ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES II
(PRAEPARATORIA)

VOLUMEN IV
ACTA SUBCOMMISSIONUM
COMMISSIONIS CENTRALIS PRAEPARATORIAE

PARS III - 2

SUBCOMMISSIO DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS

SESSIONES VIII-XIV: 15 IUNII - 20 IULII 1962

TYPIS VATICANIS
MCMLXXXXV

PROPOSITUM ET MENS

Multa et varia argumenta, quae ad subcommissionis de schematibus emendandis operam pertinent, opportune in duobus disposita sunt tomis, ut inquisitio facilior fiat.

Tomus prior, qui superiore anno typis editus est, acta et documenta sessionum I-VII (22 ianuarii-11 maii 1962) subcommissionis continet.[1]

Alter tomus, qui nunc profertur, ceterarum sessionum (VIII-XIV: 15 iunii-20 iulii 1962) materiam exhibet.

Quaedam deinde adiciuntur documenta, quae ad schemata referuntur de quibus subcommissio in suis sessionibus non disseruit.

Enimvero schemata decretorum *De sacramento ordinis* et *De sacerdotibus lapsis*, a commissione praeparatoria de disciplina sacramentorum scripta, post illorum discussionem a commissione centrali peractam, in Concilii rerum agendarum indicem non sunt inserta.

Praeterea schemata decretorum: *Necessitas orationis pro unitate christianorum maxime temporibus nostris; De Verbo Dei; De Œcumenismo catholico*, post sodalium commissionis centralis disceptationem, emendata sunt a secretariatu ad christianorum unitatem fovendam, qui illa composuerat.

Tandem schemata constitutionum *De ordine sociali*, et *De communitate gentium*, a commissione theologica parata, ad secretariam generalem missa sunt postquam commissio centralis suum opus iam expleverat.

Ideo exc.mus Pericles Felici, commissionis centralis secretarius generalis, ab em.mis sodalibus subcommissionum commissionis centralis vota expetivit ad illa schemata emendanda.

---

[1] *Acta et Documenta Concilio Œcumenico Vaticano II apparando. Series II (Praeparatoria)*, vol. IV, pars III-1: *Subcommissio de schematibus emendandis. Sessiones I-VII*, Typis Vaticanis 1994.

Documenta, attento animo collecta et disposita, brevibus ditantur notis, quae investigationi favent.

Libri forma, litterae et rationes typographicae eaedem sunt ac illae ceterorum quinquaginta septem tomorum, qui hactenus editi sunt.

VINCENTIUS CARBONE

SUBCOMMISSIONIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
SESSIONES VIII-XIV

SESSIO VIII

(15 Iunii 1962)

A) *DOCUMENTA*

1

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 145/SE

E Civitate Vaticana, die 31 marzo 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 23 e 24 febbraio scorso,[1] in vista degli emendamenti da apportare agli schemi *De aliquibus Institutis status perfectionis in particulari*;[2] *De vocatione religiosa*;[3] *De ipsa vita religiosa renovanda in genere et in particulari*,[4] et *De constitutionibus, De Institutis, De habitu religioso*.[5]

---

[1] Patrum observationes typis editae sunt in: *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 663-683; 687-693; 703-719; 725-737; 882 ss.

[2] *Quaestiones de Religiosis. Schema de statibus perfectionis adquirendae.* Pars II, Sectio II, cap. VII: *De institutis laicalibus praesertim fratrum docentium*; cap. VIII: *De institutis saecularibus*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 11: in *Acta et Documenta...*, *Series II*, vol. II, pars II, pp. 653-657; vol. III, pars I, pp. 448-452.

[3] *Schema de statibus perfectionis adquirendae.* Pars I, Sectio III, cap. IX: *De vocatione religiosa*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 7: in *Acta et Documenta...*, *Series II*, vol. II, pars II, pp. 693-695; vol. III, pars I, pp. 453-455.

[4] *Schema de statibus perfectionis adquirendae.* Pars II, Sectio I, cap. XI: *De ipsa vita religiosa renovanda in genere*; cap. XII: *De ipsa vita religiosa renovanda in particulari*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 19: in *Acta et Documenta...*, *Series II*, vol. II, pars II, pp. 693-701; vol. III, pars I, pp. 456-463.

[5] *Schema de statibus perfectionis adquirendae.* Pars II, Sectio I, capp. XIII, XIV, XV: *De constitutionibus, de institutis, de habitu religioso*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 12: in *Acta et Documenta...*, *Series II*, vol. II, pars II, pp. 719-724; vol. III, pars I, pp. 463-468.

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre, l'Eminenza Vostra è pregata di far esaminare le proposte avanzate dal Segretario della Commissione, cui Ella presiede, dal Redattore dello schema, cui gli emendamenti si riferiscono, e da un esperto di Sua fiducia, con il compito di riferire quali emendamenti, tra i proposti, siano da accogliere ed indicare i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine, non oltre il mese di aprile p.v.

Già ringraziando, bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di distinto ossequio mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo Um.mo obb.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
il Signor Cardinale Valerio VALERI
Presidente della Pont. Commiss. dei Religiosi
Preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II

2

EM.MUS VALERIUS CARD. VALERI

Praeses pontificiae commissionis de Religiosis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE RELIGIOSIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 043/62

E Civitate Vaticana, die 19 maii 1962

Eminentissime Domine,

Litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae diei 31 mensis Martii 1962 (Num. Prot. 145/SE) grato animo accepi, una cum Observationibus Em.morum ac Exc.morum Patrum Commissionis Centralis Praeparatoriae Concilii Oecumenici Vaticani II, in sessionibus 23 et 24 Februarii u.e. prolatis, super quattuor schemata Commissionis de Religiosis, nempe: *De aliquibus Institutis*

in particulari, De vocatione religiosa, De ipsa vita religiosa renovanda in genere et *De constitutionibus, De Institutis, De habitu religioso.*

His observationibus a Rev.mo P. Secretario aliisque selectis membris Commissionis diligenter examinatis, honori mihi duco remittere Eminentiae Tuae Responsa quae ipsi pro munere suo facienda aestimaverunt.

Haec vero in conspicuam molem succreverunt. Attamen, notandum est quod, gratia maioris lectorum commoditatis, singulis responsis praemissae sunt ex integro ipsae observationes quae sexaginta paginis constant! Insuper, plures observationes argumenta valde complexa et omnino fundamentalia de institutis religiosis tangunt, quibus ampliora responsa, haud raro ab ipsis discrepantia, danda erant. Id adverti potest in quaestionibus: *De accessione Fratrum Docentium ad Sacerdotium, De votis sollemnibus et de clausura monialium* et speciatim *De Institutis Saecularibus Sacerdotum dioecesanorum.*

Tandem, cum in Commissione Centrali de opportunitate vel minus alicuius schematis vel particularis argumenti Concilio deferendi, pluries disceptatum fuerit quin ulla norma precisa hac de re daretur, redactores responsorum utile fore putarunt *criteria* quibus Commissio in schematibus parandis usa est breviter exponere.

Quae omnia dum communico, qua per est observantia magnoque cum sensu venerationis laetus me obtestor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum in Christo Iesu

VALERIUS Card. VALERI, *praes.*

Em.mo ac Rev.mo Domino
Domino Card. Carolo CONFALONIERI
Praesidi Pontificiae Subcommissionis Centralis
de schematibus emendandis

ADNEXUM

RESPONSIO

ad observationes a Patribus factas in sessione commissionis centralis diebus 23-24 februarii 1962 circa capp. VII-XV schematis

DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

Responsionis textus typis editus est in fasciculo *De emendatione schematis decreti de Religiosis, Pars II*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962: cf. pp. 15-62.

3

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 231-236/SE

E Civitate Vaticana, die 9 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi onoro rimettere all'Eminenza Vostra Reverendissima la relazione[1] preparatoria per gli emendamenti da apportare a quattro fascicoli dello Schema *De statibus perfectionis adquirendae*.

I quattro fascicoli,[2] qui allegati, contengono già gli emendamenti che sono stati accettati dalla Commissione dei Religiosi dietro i suggerimenti della Commissione Centrale.

Sono quindi a pregarLa di voler intervenire alla riunione che avrà luogo venerdì 15 alle ore 17,30 in Vaticano nella sala delle Congregazioni del Palazzo Apostolico.

Profitto volentieri di questa nuova occasione per baciarLe umilissimamente le sacre Mani e confermarmi con sensi di profonda stima

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo umil.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

Agli Eminentissimi Signori Cardinali
Cardd. Clemente MICARA, Giacomo L. COPELLO,
Giuseppe SIRI, Giuseppe FRINGS,
Paolo Emilio LÉGER, Michele BROWNE

---

[1] *De emendatione schematis decreti de Religiosis. Pars II*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962.

[2] Cf. p. 11, note 2-5.

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI
DE RELIGIOSIS

PARS II

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

— 5 —

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI DE RELIGIOSIS

PARS II

Schema Decreti de Religiosis, a Commissione de Religiosis paratum, pluribus constat capitibus, quae singillatim discussa fuerunt in sessione generali Commissionis Centralis. Quae nunc pro emendatione proponuntur mense februario 1962 subiecta fuerunt iudicio Patrum Commissionis Centralis et haec sunt: *De aliquibus institutis status perfectionis in particulari, De vocatione religiosa, De ipsa vita religiosa renovanda, De constitutionibus, De institutis, De habitu religioso.* Cetera autem capita proponentur proximo coetu nostrae Subcommissionis, cum de ipsis disceptare adhuc debeat Commissio Centralis.

Pont. Commissio de Religiosis abundantiores quam aliae Commissiones dedit responsiones observationibus a Patribus Commissionis Centralis prolatis, dicens: « Hae — responsiones — in conspicuam molem succreverunt. Attamen, notandum est quod, ... plures observationes argumenta valde complexa et omnino fundamentalia de institutis religiosis tangunt, quibus ampliora responsa, haud raro ab ipsis discrepantia, danda erant. ... Tandem, cum in Commissione Centrali de opportunitate vel minus alicuius schematis vel particularis argumenti Concilio deferendi, pluries disceptatum fuerit quin ulla norma praecisa hac de re daretur, redactores responsum utile fore putarunt criteria quibus Commissio in schematibus parandis usa est breviter exponere ».

Heic tamen proponuntur illae tantum observationes, quibus Commissio de Religiosis assentire non videtur, cetera autem, quae ab eadem acceptatae sunt, in ipso schemate decreti inveniuntur tamquam emendationes iam introductae. Ad singula schemata plene emendanda solvantur oportet igitur quaestiones quae adhuc remanent quaequae infra singillatim proponuntur.

— 6 —

I

DE ALIQUIBUS INSTITUTIS STATUS PERFECTIONIS IN PARTICULARI

AD OBSERVATIONES GENERALES

I. *Observatio* - LIÉNART: a) Decretum in quo explicite tribuitur Institutis, de quibus agitur, ius ad apostolatum in Ecclesia exercendum, deberet simul aperte declarare quod sub ipso respectu, ab Episcopo dioecesis dependant.

b) Hoc non dicitur nisi de Institutis Saecularibus sacerdotum incardinatorum, et merito! Sed omnes qui operi Ecclesiae cooperare intendunt, etsi dioecesi non incardinati, subiici debent Episcopo ita ut normas ab eo statutas ad doctrinam christianam edocendam, ad Actionem Catholicam fovendam, ad apostolatum organizatum promovendum fideliter observent.

Pro bono pacis, exopto quod in decreto ius illud Episcopi memoretur.

Respondetur: Ad a) De hoc argumento, scilicet: « de religiosorum apostolatu sub regimine Episcoporum exercendo », ex professo et amplissime omni sub respectu agitur in speciali schemate ab utraque Commissione de Episcopis et de Religiosis concordato, cui titulus est: *De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad opera apostolatus exercenda.*

Ideoque, ea quae in praesentibus vel ceteris schematibus deesse hac in re videntur, sunt quaerenda in praefato schemate concordato.

Propterea, etsi hic de subordinatione horum institutorum in apostolatu exercendo expresse non fiat mentio, hoc non nocet, cum talis subordinatio in speciali schemate ex professo doceatur.

De cetero competentia Ordinarii etiam in praesenti capite non penitus omittitur: v. g. Art. 5 (pag. 7).

Ad b) Iam provisum in responso praecedenti: silentium de hac subordinatione hic, nullo modo est eius negatio: sed haec specialis quaestio reservatur speciali schemati de apostolatu, ut dictum est.

Quare non videtur aliud hic addendum esse.

N. B.: Iuvat statim, semel pro semper hoc notare quod vox

— 7 —

« religiosi », cum loquimur de Apostolatu Religiosorum, sumenda est sensu lato, pro omnibus sodalibus statuum perfectionis, sive in Institutis saecularibus, nisi aliud dicatur vel ex contextu constet.

II. *Observatio* - RUFFINI: Nescio cur non tractetur quaestio: num Instituta laicalia sacerdotes proprios habere possint. Pro comperto habeo plures eorum sodales ad sacerdotium adspirare. Aliquid de hac re dicendum esse aestimo.

Respondetur: a) Commissio nostra hanc quaestionem ab Em.mo Relatore positam serio et protracto studio subiecit; immo, occasio specialiter tractandi de Institutis Laicalibus Fratrum Docentium, praecise fuit illa: *De accessione Fratrum Docentium ad Sacerdotium.*

Propterea, ut hac in re securius procederet, Commissio instituit inquisitionem penes plus quam viginti (20) instituta Fratrum Docentium, sequentem quaestionarium mandando singulis Curiis Generalitiis:

« Rogatur ... un rapport ... qui témoigne de l'opinion de votre Conseil (Général) sur ce sujet, et aussi, des tendances remarquées parmi les membres de votre institut sur les points suivants:

I. L'opportunité ou non de promouvoir les Frères enseignants au Sacerdoce:

a) quant à la manière de le faire;

b) quant au critère d'appel des Frères au sacerdoce.

II. Les moyens de revaloriser la vocation du Frère enseignant:

a) avec et par le sacerdoce;

b) sans le sacerdoce.

b) Exitus huius inquisitionis, quoad accessionem Fratrum ad Sacerdotium, fuit plane negativus; omnes fere Curiae Generalitiae contrariae sunt huius accessioni ad Sacerdotium: et ratio communissima allata est quia volunt remanere id quod sunt; iuxta intentionem propriorum Fundatorum, considerando quod vocatio religiosa laicalis est in se completus status perfectionis evangelicae ab Ecclesia iuridice recognitus, et insuper eorum propriae vocationi apostolicae efficaciter inservit. Pauci qui accessioni favent, id faciunt cum non paucis et diversis restrictionibus.

Quoad tendentias autem inter membra, certo adsunt qui talem habent adspirationem; sed relativae pauciores sunt, neque eorum intentio semper apparet ab omni specie personalis ambitionis immunis, ita ut in pluribus casibus de rectitudine talis intentionis serio dubitari possit.

— 8 —

c) Quapropter, Commissio aestimavit quaestionem nondum maturam ut circa hanc materiam aliquod decretum conciliare tuto ferri posset. Hoc enim non deberet esse negativum: quod praecluderet portam et viam ad aliquam disciplinam quae non destituitur fundamento et quae in certis casibus acceptari posset; neque deberet esse positivum: esset, praesentibus in adiunctis, provocare nimiam perturbationem in institutis, speciatim dando aliquod praemium illis qui accessionem promovent quique non semper sunt fautores pacis.

Neque praetermitti potest quaestio magni momenti theologici, de distinctione scilicet inter vocationem sacerdotalem in statu religioso, et vocationem ad statum religiosum simpliciter, uti iam supra in prima paragrapho sub littera b) innuitur. Vocationes enim, quarum unaquaeque est in se completa et ab aliis distincta, non possunt indiscriminatim inter se converti, ita ut alicuius fratris accessio ad sacerdotium a simplici sui Superioris designatione pendeat: fundamentum enim vocationis ad sacerdotium collocari nequit in mero actu auctoritatis extrinsecae, cum omnis vocatio sit a Deo.

d) Attamen, Commissio voluit mentem suam hac in re definire atque, si interrogata, Commissioni Centrali manifestare: id quod, hanc occasionem nacta nunc facit:

Mens Commissionis de Religiosis

i) Mens generalis Commissionis est ut res, cum nondum sufficienter matura appareat, prudentiae S. Sedi relinquatur, quae si occurrerit, accessionem permittere poterit (ut iam aliquoties fecit) sub datis conditionibus, sic continuando experimentum vix inceptum et expectando ut quaestio maturescat antequam aliquod decretum generale ferat.

Commissio autem interim censet quaedam particularia esse advertenda, nempe:

ii) *Praemittitur*: 1° Nihil obstare theologice quominus aliquis Frater Instituti docentis aliusve laicalis, etsi post plurimos annos in statu religioso laicali transactos, ad Sacerdotium in ipso quidem Instituto exercendum promoveri possit, vocantibus Superioribus et ipso consentiente, dummodo vere idoneus sit servatisque ceteris de iure servandis.

2° Etsi omnis accessio ad Sacerdotium a priori non sit excludenda et hanc singulis in casibus perpendendis a S. Sede petentibus concedi possit, quaestio autem, valde delicata, gravis nimiaque consectaria secumferens, nondum matura apparet neque

— 9 —

sufficienti experientia comprobata ut generali quodam decreto de opportunitate huiusmodi novae disciplinae prudenter statui possit.

iii) Permissa autem ex hypothesi accessione Fratrum docentium ad Sacerdotium, conditiones sequentes observandae videntur, ad hanc novam praxim intra debitos limites continere et ad abusus avertendos, scilicet:

1° Inductio Sacerdotii in Instituta quae illam exoptant, primum fieri debet per modum Institutionis stabilis in Constitutionibus rite definiendae, cum omnibus conditionibus quibus Sodalium accessio ad Sacerdotium congruenter circumscribatur, auctoritate Capituli Generalis et S. Sede adprobante.

2° Unicum esse potest motivum huius accessionis Fratrum ad Sacerdotium: spirituale bonum ipsius Instituti eiusque Operum rite et efficacius consulendum. Minime invocari potest actualis sacerdotum penuria et eorum insufficientia in fidelibus spiritualiter assistendis: id enim non tantum esset vocationem Fratris docentis perficere, sed evertere, ut scilicet curae animarum potius vacet quam iuventuti erudiendae!

3° Numerus promovendorum in singulis Institutis relative satis restrictus maneat, prae totali sodalium numero, ita ut Institutum non desinat esse vere laicale neque eius aequilibrium morale perturbetur.

4° Candidati promovendi omni sub respectu idonei esse debent ad normam iuris.

5° Ad Superiores maiores pertineat, secundum Constitutiones, singulos candidatos idoneos pro opportunitate seligere et ad Sacerdotium vocare atque competenti Episcopo ordinanti praesentare vel, prout ferat casus, cum eiusdem litteris dimissoriis, ad alium ad normam iuris.

6° Nullus autem ad Ordines promoveri potest sine eius assensu, omnino libere praestito, numquam vero a Superioribus praecipientibus.

7° Sic promoti Sacerdotes in Institutis laicalibus, ab omnibus regiminis muniis exclusi manere debent.

Conclusio: Commissio non favet decreto conciliari hac de re; si autem aliter a Commissione Centrali decernatur, rogat ut ratio habeatur eius mentis prout supra expositae.

III. *Observatio* - JULLIEN: a) Maxima quidem laude digni sunt Rev.mi viri qui sodales Commissionis de Religiosis impensa opera adlaborarunt in parandis istis schematibus Decretorum, triginta tribus (33) capitibus contentorum, quorum quaedam, ex iis quae sunt in media re, hodie proponuntur.

— 10 —

b) Ex iis sane possumus coniicere praeclarum illud opus procul dubio, haud parum utilitati futurum esse sive ad Concilium, sive ad instructiones dein forte super his quaestionibus edendas ab Apostolica Sede, sive ad Codicis Iuris Canonici canones complendos perficiendosque.

c) Quod autem res spectat Concilio proponendas, hae haud poterunt quidem recte dignosci atque eligi, nisi ubi omnia schemata Commissionis studio subiecta fuerint: nam, attento fine Concilii, tota illa materia restringatur oportet ad ea quae magis propositum *pastorale* respiciunt. Iam igitur a limine, humiliter insto ut Concilium omnino illustret, exponat, doceat atque imperet quae sint rationes, iuxta Ecclesiae doctrinam, inter utrumque clerum, regularem scilicet et saecularem qui dicitur.

d) Valde nimirum optatur ut Concilium opus exstruat veritatis, caritatis, unitatis et pacis. Quod opus urget in Christi Ecclesia, nostris praesertim infensis temporibus, in quibus foris bella omne genus premunt et intus serpit liberi examinis periculum.

e) Prae fidelium oculis vivida sub luce exhibeatur nobilissima ad vitam religiosam divina vocatio, quin tamen contentio vel odiosa comparatio, etsi tacite, cum praeclara ad sacerdotium divina vocatione innuatur. Sit exempli gratia, unum idemque schema quod de utraque vocatione in caritate Domini agat easque iterum iterumque illustret: quaecumque alia ratio etenim in Mystici Corporis Christi veritatem offendit.

f) Ne seipsos Religiosi supra ceteros exaltent, clerici vero saeculares a religioso statu amplectendo fideles ne detrahant. Itaque, in mutua aestimatione, et religiosi fovere poterunt ac debebunt vocationes fovere pro institutis religiosis virorum ac mulierum.

g) Sed, insuper Concilium decreta peculiaria edat oportet de operibus apostolatus a viris feminisque Religiosis sub congruenti Episcoporum regimine fovendis: quilibet quidem iuxta suiipsius ordinis regulas, ita ut, puta, Cartusiano alicui paroeciale onus non imponatur; omnes vero in aedificationem Corporis Christi. Urgeatur utique ut sanctae serventur constitutiones familiarum religiosarum, a singulis sodalibus; Episcopis attamen liceat super Religioso ad extra adlaborantes unitatis regimen exercere. Ideoque, ex octo sectionibus, maximum momentum habeat ultima sectio quae agit de apostolatu religiosorum sub moderamine Episcoporum. Summi enim momenti sunt ad animarum bonum vires unitae religiosorum et cleri saecularis; dum dissensiones

— 11 —

etiam inter paucos vocationes ex utraque parte minuent, operam plurimorum infirmabunt.

h) Propter debiliorem humanam naturam, conflictus quidem adfuerunt atque aderunt: sed solvendi erunt ad normam iuris, prudentiae et caritatis. Ceterum Legislator, historia duce, principia statuit ad recte definiendos casus qui contingere possunt: exempli gratia, pro stipe quaeritanda, pro domibus novis erigendis, pro ministerio pastorali in paroeciis religiosis concreditis, pro catechetica populi institutione a religiosis tradenda iudicio Ordinarii (cfr. can. 1334); et cetera. Quae omnia sane Concilium expolire et pro locorum adiunctis addere poterit ».

Respondetur: Ad a) et b) Omnia quae hic ab Em.mo Domino Cardinali sapienter magnaque cum benevolentia scripta sunt, scilicet, vota circa ea quae desiderantur et criteria quibus ea sunt peragenda non solum respondent animo Commissionis; sed de facto, completa sunt in schemate, variis partibus seu sectionibus quibus constat.

Ad c) Propositum Concilii non tantum debet esse pastorale; sed etiam doctrinale: nam in vera doctrina, sana pastoralis fundatur ab eaque derivetur oportet.

De rationibus inter utrumque clerum, in particulari, sermo est in Prima Parte, prima sectione doctrinali de Statibus perfectionis relate ad statum tum Episcoporum, tum clericorum.

Ad d) Placet omnino.

Ad e) De nobilissima vocatione religiosa sermo est in Prima Parte doctrinali: tum in sectione prima: Constitutio de Statibus perfectionis tum in Sectione tertia: De Vocatione religiosa.

Ad f) Placet: et de hoc sermo est in Parte Secunda: Sectione tertia: de vocationibus religiosis promovendis.

Ad g) Placet: et de hoc amplissime sermo est in schemate ab utraque Commissione de Episcopis et de Religiosis concordato.

Ad h) Placet: et de hoc, iterum in eodem schemate concordato sermo est.

IV. *Observatio* - BEA: a) In his schematibus multa repetuntur quae omnibus qui de vita religiosa agunt plane nota sunt. Opportunius videtur ea tantum dicere quae *hodie* sunt peculiaris momenti, v. g. de momento vitae contemplativae, de adaptatione ad hodiernas necessitates apostolatus, de praestantia status virginitatis, de accurata praeparatione eorum qui in apostolatu occupantur, de Institutis saecularibus et similia.

b) Etiam in his tamen non videtur esse descendendum ad

— 12 —

particularia, sed danda principia. Exsecutio enim in diversis Sodalitatibus omnino diversa erit, et ab iis ipsis, sub vigilantia Sacrae Congregationis de Religiosis, perficienda erit ».

Respondetur: Criteria ab Em.mo Domino hic proposita in decretis Concilii exarandis adhibenda, Commissio de Religiosis proculdubio prae oculis habuit in suis schematibus redigendis, ut iam ante pluries in variis responsis datis dictum est.

Cum autem hac de re frequenter fiant observationes et reapse desint normae precisae, utile erit criteria quibus argumenta quae Concilio proponantur seligenda sint hic schematice exponere, sub duplici titulo: A) *Criteria ipsa;* B) *Applicatio criteriorum.*

A) *Criteria ipsa.*

i) Non pertinet ad Concilium exarare aliquem Tractatum Academicum de materia subiecta (in casu: de statibus perfectionis), completum in omnibus suis partibus et perfecte organicum, ad modum tractatus scholae.

ii) Sed ex materia subiecta assumuntur tantum ea sive ad doctrinam sive ad disciplinam relata, quae hodie speciale momentum habent: et hoc quia ista sunt:

Sive nova: pro temporum progressu inducenda et tunc convenienter elucidanda et suis rationibus munienda.

Sive vetera: quae:

a) contra negligentes sunt iterum inculcanda et urgenda;

b) contra impugnantes sunt vindicanda;

c) contra errantes sunt enucleanda et definienda;

d) pro exigentiis temporum sunt congruenter aptanda;

e) pro progressu temporis sunt utiliter complenda et perficienda.

iii) Sed attendendum est quod aliquando non sufficit ista simpliciter exponere; saepe saepius enim, plurima puncta particularia, super quibus declaratio conciliaris vehementer exoptatur, haud facile et adaequate intelligi poterunt, quin conveniens praecesserit explicatio magis generalis, quae in se utique aliquando superflua videri poterit.

Inde necessitas ampliandi sermonem ut res perfecte intelligatur.

iv) Criterium autem decisivum selectionis materiae in Concilio tractandae, non est stricta necessitas, sed vera convenientia.

Etenim: Ex una parte: etiam argumenta quae criteriis supra datis respondent non sunt, pro natura sua, necessario tractanda in aliquo Concilio Oecumenico; plura certo bene tractari possent

— 13 —

in aliqua Constitutione vel Instructione Apostolica, ut recenter factum est pro studio linguae latinae promovendo. Et hoc verum est non tantum pro materia Commissionis de Religiosis sed etiam pro materia aliarum Commissionum, ut schemata Commissioni Centrali hucusque praesentata sufficienter demonstrant.

Ex altera parte: semel Concilio Oecumenico indicto et considerata universalitate et amplitudine materiae inter Commissiones praeparatorias distributae, convenit ut argumenta cum quadam quoque amplitudine tractentur et ita omnium expectationi, quae est magna, Concilium plane respondeat.

v) Attamen Concilium, etsi cum aliqua amplitudine materiam tractare intendat, non debet ad nimia particularia descendere, ista relinquendo sive revisioni Codicis, sive futuris Decretis, Instructionibus, Monitis, etc. quibus S. Sedes, per diversa Dicasteria competentia, Decisiones Concilii executioni mandabit.

B) *Applicatio criteriorum.*

Faciliter consensus unanimis obtineri potest circa criteria supra exposita; non ita quoad eorum applicationem concretam.

Ex ipsis Observationibus membrorum Commissionis Centralis evidenter apparet quod non omnes eodem modo iudicant de opportunitate vel minus eiusdem determinati argumenti, et unusquisque abundat in proprio sensu.

Ideoque, stante difficultate applicationis criteriorum, videtur rationabile quod Commissio quae aliquam materiam determinatam ex professo tractavit cum omnibus necessariis informationibus, aliquando specialiter quaesitis, praesumptionem habeat in iudicando de opportunitate alicuius argumenti in textu Conciliari inserendi.

Quare, in aliqua parte schematis delenda, caute est procedendum: ne deleantur quae necessario vel saltem valde utiliter dicenda erant; insuper ne agendo solummodo de una quaestione inter varias connexas, mens Concilii videatur minus de istis curare, et sic fiat argumentum ex silentio.

V. *Observatio* - SUHR: « Capita VII et VIII non videntur pertinere ad partem de Doctrina. Cap. VIII videtur remittendum rerum evolvendarum cursui et iurisprudentiae ».

Respondetur: Capita VII et VIII pertinent ad doctrinam, quia in eis non agitur de disciplina sodalium; sed de ipsa particulari natura, indole et aestimatione horum Institutorum, salvis

— 14 —

forsitan quibusdam immediatis consectariis practicis, v. g. art. 7: de vocatione fratrum docentium fovenda.

Ad caput VIII quod attinet, proculdubio plura relinquuntur de facto iurisprudentiae; hoc patet ex comparatione inter pauciora hic dicta de Institutis saecularibus, et permulta quae ad iurisprudentiam pertinent, ut videri possunt in libro *De Institutis Saecularibus,* a pag. 198 ad pag. 234.

VI. *Observatio* - SÉPINSKI: Liceat mihi aliquas animadversiones indolis generalis facere: a) Opinor difficile fore ut omnia capita Constitutionis a Concilio qua tali definitive approbentur. Potest vero Concilium Constitutionem in omnibus partibus discussam tamquam votum Summo Pontifici proponere, qui omnia Sacrae Congregationi competenti et Commissioni pro emendando Codice instituendae tradere potest.

b) De Institutis laicalibus praesertim Fratrum docentium addatur in fine cap. VII paragraphus specialis, qua enunciatur praecedentes paragraphos applicandas esse sororibus docentibus, congrua congruis conferendo.

c) Instituta saecularia, secundum meum iudicium et experientiam, respondent necessitati speciali societatis modernae et optimos fructus producunt; ideoque teneri et adiuvari debent, ut adhuc maiores fructus ferre possint.

d) Pro terris missionum in constitutione poterunt inseri speciales paragraphi.

Respondetur: Ad a) De opportunitate materiam schematis conservandi vel Codici revidendo remittendi, iam provisum est in responso praecedenti pp. 12-13, aliisque locis.

Ad b) De extensione cap. VII etiam ad sorores docentes, haec notantur:

i) Iam habetur generalis norma in art. 2, ubi sermo est de vita religiosa laicali in genere ... hisce ultimis saeculis volventibus nova forma, tam pro viris quam pro mulieribus, variis apostolatus operibus mirum in modum aptata et nunc ubique vegetior efflorescens ... ».

ii) De Fratribus autem docentibus specialiter sermo fuit, quia dum vocatio Sororum ab omnibus fovetur, vocatio Fratrum hodie haud sufficienter aestimatur et fovetur, etiam ex parte cleri. Propterea, Pius XII Epistulam hac de re scripsit ad Em.mum Card. Valeri, d. 21 martii 1954, ad vocationem Fratrum docentium altius extollendam in omnium aestimatione et favore; id quod non tam urget pro vocatione sororum docentium.

— 15 —

iii) Nihil impedit autem, si placuerit, ut propositio Rev.mi Relatoris addatur in fine art. 7, scilicet:

« Ea quae in hoc capite de Fratribus docentibus specialiter habentur, aliis etiam Fratribus qui diversa munera explent, necnon Sororibus docentibus aliisque applicanda sunt, congrua congruis referendo ».

Ad c) Placet.

Ad d) Est caput XXXII et ultimum in schemate nostro de Missionibus, Commissioni Centrali mense iunii praesentando.

AD OBSERVATIONES PARTICULARES IN SINGULOS ARTICULOS

AD ARTICULUM 3

I. *Observatio* - SIRI: « Non placet, quia in eo tangitur quaestio (pr. lin. 7-8) quae videtur mutabilis ».

Respondetur: Vocatio fratris docentis non est tam mutabilis: suam missionem habet in Ecclesia iam a saeculis, stabiliter conservatam et, ut meretur, adhuc conservandam.

Mutatio huius vocationis in clericalem non est certo matura, ut supra dictum est (cf. supra p. 7-9); et etiam si in institutis fratrum permittatur accessio ad sacerdotium, non erit quaestio de integro instituto mutando in clericale.

Ideoque, ea quae in hoc articulo habentur, opportuna remanent.

II. *Observatio* - LÉGER: a) « Mihi videtur inopportunum suggerere ut definitio vocationis fratrum docentium quod illi sunt qui sacerdotio renuntiant.

b) Nonne aliquod adderet ad descriptionem vocationis fratrum docentium dicere quod fratres docentes maxime destinantur ad institutionem christianam puerorum paupertate aut alio defectu laborantium, et ad educationem religiosam deligentius tradendam et profundius pervestigandam. Sic melius distingueretur vocatio fratrum ab illa catholicorum magistrorum laicorum ».

Respondetur: Ad a) In hoc capite agitur specifice de fratribus docentibus laicalibus, proinde qui sunt sine sacerdotio; et agitur de tali vocatione religiosa, quae est tantum religiosa, pro

— 16 —

suo merito in Ecclesia convenienter extollenda et omnium aestimationi iuste commendanda.

Ergo oportet ut certo modo hoc dicatur.

Ad formulam autem, a Pio XII mutuatam, quod attinet, disceptatum est in Commissione: quidem enim haud recte dictum censebant quod fratres « renuntiant sacerdotio ».

Certo nequit esse in casu renuntiatio stricto sensu, alicui officio quadam ratione sibi debito: sicut quis Officio suo renuntiat vel iuri suo. Sed est renuntiatio sensu latiori, quatenus quis non prosequitur id quod posset, sicut multi alii, prosequi. Et hoc sensu iustificatur formula Pii XII: quatenus non assumunt sacerdotium, quod tamen multis in casibus, consideraverunt vel saltem potuerint considerare tamquam possibile.

Ad b) Destinatio fratrum docentium « ad institutionem puerorum paupertate aliove defectu laborantium » bene potest assumi a singulis institutis, et de facto fit iuxta intentionem particularem cuiusque Fundatoris. Haud expedire videtur ut ipsa Ecclesia auctoritative eam imponat, eo minus quod non tantum pueri pauperes sunt christiane erudiendi, sed etiam ditiores: id quod non semper obtinetur cum magistris laicis.

Ideoque, in toto opere educationis, praesertim cum sacerdotes magis magisque ad apostolatum stricte sacerdotalem vocentur, oportet campum sine restrictione, etiam in scholis superioribus, fratribus docentibus apertum relinquere; maxime cum in illo sine tali restrictione meritissime iam adlaborant.

Retinendum est autem quod differentia vocationis Fratrum docentium ab illa Magistri catholici non tantum, neque praecipue in hoc est ponenda; sed in eo quod Fratres, cum approbatione Ecclesiae, receperunt quoque munus, ut dicitur in art. 3 tradendi « doctrinam catholicam seu christianam, qua, in scholis iuvenis animum ad vitam christianam reapse instituunt ».

Ad Articulum 8

I. *Observatio* - Ruffini: « Laudanda quidem sunt Instituta saecularia, utpote quae mire hodiernis novis necessitatibus apta remedia afferunt; sed nimia facilitate hic illic oriuntur. Non raro confessor vel parochus ius sibi tribuit condendi Institutum saeculare cum votis, inscio Episcopo, immo secreto et secreto sodalibus imposito: exinde periculum — praeter alia — est ne plura habeantur Instituta inter se simillima. Quocirca aliqua frena afferenda esse puto ».

— 17 —

Respondetur: Art. 37: « De novis institutis numero temperandis » (Schema: de Constitutionibus ...) applicandus est etiam novis institutis saecularibus condendis.

Ad periculum particulare avertendum de quo in Observatione, forsitan quod in eodem articulo 37, in fine addi posset:

« Ut haec norma prudentiae efficacius servetur, nemo aliquod institutum status perfectionis, etiam saeculare, constituere praesumat, inconsulto Ordinario ».

II. *Observatio* - Hurley: « Relate ad instituta saecularia valde periculosum mihi videtur permittere ut eorum sodales tamquam deputati in coetus legislativos (parlamenta) status ingrediantur. Impossibile enim est omnem notorietatem de hac re vitare. Consequentia est quod suspiciones et quidem non sine fundamento de clericalismo politico oriuntur, quibus spiritus anticlericalis nutritur. Vita politica est pro laicis, non pro fidelium categoriis quae quamdam ecclesiasticam qualitatem induere videntur. Si sodalis Actionis Catholicae qua talis ad vitam politicam ingredi non debet, multo minus sodalis instituti saecularis ».

Respondetur: Periculum de quo in observatione non videtur omnino vanum. Nihilominus, res iam est in actu in nonnullis casibus.

Idem, debita servata proportione dici potest de sodalibus institutorum saecularium qui officia publica detinent, speciatim in Scholis status vel Universitatibus.

De cetero schema nihil hac de re commendat vel reprobat.

Ergo concludendum est quod est quaestio de prudentia, qua singuli casus sunt moderandi. Ubi tale serium periculum emergat, huiusmodi activitas tunc prohiberi poterit; sed imprudenter ipsum Concilium id universaliter prohiberet, excludens medium quod beneficum esse potest.

III. *Observatio* - Dell'Acqua: a) Adumbratur in capite VIII praesentis schematis ius de Institutis saecularibus, quae « primo elapsi saeculi dimidio condi ceperunt » atque « nostro hoc saeculo ... multiplicata silenter sunt, pluresque, satis inter se diversas, formas sive autonomas, sive diversimodi Religionibus Societatibusve unitas induerunt ». (Const. Ap. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 febr. 1947, AAS, vol. XXXIX, 1947, p. 118 s.).

b) Ut tantae gravitatis negotium accommodate cumulateque hoc iure expediatur, magno erit emolumento quaedam peculiaria attento penitus animo considerari.

— 18 —

c) Omnes quippe norunt quanta sollecitudine Ecclesia postulet ut qui evangelica consilia per vota obedientiae, castitatis et paupertatis publica profiteri cupiunt, apte per novitiatum informentur « studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus extirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas » (can. 565, § 1). Haec namque necessaria prorsus sunt, veluti experientia evincitur, ad frugifere consilia servanda et exoptatam perfectionem persequendam.

d) Praeter quae praesidia, ad perfectionem evangelicam in religiosis Institutis aspirantes aliis fruuntur praecipuis auxiliis, prout habentur vitae communis saeptum atque iugis Moderatorum vigilantia et praesens quasi tutela.

e) Haec omnia apud Institutorum saecularium sodales, varia quidem ratione et mensura, maiora adhuc desiderari videntur.

Quod si perpendatur istos sodales, utpote plerumque solos et cotidianis occupationibus distentos, esse nonnumquam praeter modum pravis saeculi afflatibus et voluptatum blandimentis obnoxios, plane constat ipsos potissimum prae iis qui in religionibus degunt — uti oportet — virtutibus christianis assequendis operam dandam.

f) Ideoque peropportunum esset si S. Synodi Patres, inter alia de acquirenda in saeculo perfectione normas, hanc praecipuam conderent de idonea sodalium institutione deque congruis praesidiis quibus ipsi sedulo connixi ad evangelicam perfectionem contendere revera valeant.

g) Secundum apparata schematis praecepta, Instituta saecularia Ordinariis locorum, quibus subiecta erunt « de iure innotescunt, potest tamen haud raro iuvare, immo aliquando omnino necessarium esse ut sodalium nomina vel ipsa centra ceteris prorus ignota maneant » (p. 10, n. 13).

h) Ut vere dicatur, praescriptum hoc de secreto tegendis sodalium nominibus ipsisque Institutorum saecularium centris nostra quidem aetate haud satis intellegitur. Quin de gravibus incommodis loquamur, quae inde exoriri nonnumquam possunt, regula ista praecepto Domini adversatur, quod sonat: « Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in caelis est » (Mt. V, 16).

i) Praeter itaque gravia vel extraordinaria rerum adiuncta, quae in aliquibus locis habentur, ex. gr. ob catholicorum insectationes aliasque eiusmodi causas, ipsum christianorum commune bonum exigit ut, quem ad modum religiosa Instituta, ita haec

— 19 —

saecularia palam elaborent malis seu scandalis, quae tam late patent et pervulgantur, depellendis.

j) Duae insuper recensentur saecularium institutorum clericalium classes, eorum videlicet quorum sodales incardinationem propriae dioecesi retinent et eorum quorum sodales eandem non retinent (p. 10 s., n. 14 s.). In priorum sodales Ordinarii loci auctoritas nullo sub respectu imminuenda, sed potius novo vinculo firmanda est; posteriorum vero sodales « ad normam Constitutionum plane pendent a proprio Superiore interno, quin tamen ipse in officia ab Ordinario loci commissa directe intervenire valeat, salva semper eorumdem adimpletionis vigilantia » (p. 11, n. 15).

k) Differentia hinc evidens fit eaque non parvi ponderis inter ascriptionem qua Instituto coniunguntur sacerdotes incardinationem non retinentes et ascriptionem qua copulantur sacerdotes qui incardinationem retinent. Nonne differentia eiusmodi graviter officit uni eidemque formae seu rationi servandae muneribusque in Ecclesia rite explendis, quae saecularium institutorum peculiaria sunt seu propria? Quaenam erit vis unius adscriptionis prae altera? Quaenam erit iuridica condicio priorum sacerdotum prae ceteris?

l) Nullum autem est dubium, quin fidei pietatisque incrementum in dioecesibus fovendum cotidie magis reposcat sacros administros, sive hi retineant sive non retineant incardinationem, earum Episcopis omnino obnoxios.

m) Quoniam denique universa cleri saecularis populique christiani disciplina ad tramitem can. 250 Codicis iuris canonici a Congregatione Concilii est moderanda, aequum esset sacerdotes ex saecularibus Institutis, qua eorumdem Institutorum sodales, Congregationi de religiosis, qua vero dioecesano ministerio operam navantes, Congregationi Concilii subiici, pariter ac religionum sodales qui, in missionum territoriis commorantes, Congregationi de Propaganda Fide vel Congregationi religiosorum negotiis praepositae subduntur (can. 252, § 5).

Respondetur: Ad a), b), c), d), e), f): In his sex prioribus paragraphis observationis, sermo est de *Apta Institutione Sodalium* Institutorum saecularium, pro quibus omnia quae pro religiosis instituendis praecipiuntur, « maiora adhuc desiderari videntur » (cf. *e*). Ideoque, peropportunum esset si S. Synodi Patres normam « conderent de idonea sodalium institutione deque congruis praesidiis quibus ipsi sedulo connixi ad evangelicam perfectionem contendere valeant ».

— 20 —

i) Absque dubio, sodales Institutorum saecularium accurata et solida indigent Institutione: propter rationes supra allatas.

Hoc autem iam habetur in Sectione de alumnorum statuum perfectionis institutione, saltem sub generali formula, in art. 44. Ibi enim explicite dicitur quod normae in hac sectione traditae omnibus sodalibus statuum perfectionis viri et mulieribus sunt applicandae « pro subiecta materia debitaque cum proportione ».

ii) Attamen ne supersit dubium de extensione harum normarum ipsis, forte quod specialis eorum mentio opportuna esset in eodem art. 44 addendo in fine (pag. 6):

« ...incrementum et robur.

Ab his praescriptis minime eximuntur sodales Institutorum saecularium qui pro sua conditione auxiliis spiritualibus et disciplinaribus vitae communis carent, ideoque solidam et probatam institutionem ad evangelicam perfectionem in saeculo prosequendam, ratione proprio statui accommodata et sub ductu peritorum Magistrorum sibi comparare debent ».

Ad g), h), i): Quae de secreto in Institutis saecularibus agunt.

i) Verba evangelica « Sic luceat lux vestra ... » quae invocantur contra secretum servandum in Institutis saecularibus, non habent tantam et rigidam applicationem ut penitus excludant omnem possibilitatem bonum legitime in secreto peragendi. Plerumque utique opera bona sunt manifeste facienda; aliquando prudentia contrarium consulere potest et haud raro consulit ubi deest tolerantia sive ex parte populorum sive gubernii.

ii) Id specialiter valet pro Institutis saecularibus quorum sodales apostolatum exercent, generatim, non per apertam regni Dei praedicationem; sed per discretam in massa populorum penetrationem qua praecepta vitae christianae diffunditur. Ideoque, frequenter talem apostolatum exercere debent quin a personis circumstantibus eorum opera advertatur et multo minus eorum qualitas membri Instituti religiosi seu saecularis.

iii) Si autem ad textum schematis (art. 13) attendatur, haec retinenda sunt:

Secretum non imponitur tamquam regula in Institutis; sed potius tamquam exceptio necessaria a circumstantiis particularibus inducta: « potest tamen haud raro iuvare, immo aliquando omnino necessarium esse. ...

Ergo, si desint adiuncta ad secretum servandum vere impellentia, non est ratio illud servandi.

Secretum numquam est observandum erga Ordinarium loci, qui de iure potest omnes sodales cognoscere. Dicitur: potest, non necessario quod semper debeat eos cognoscere. Sicut etiam respectu Institutorum religiosorum Ordinarius loci non necessario de facto omnes sodales eorum cognoscat, ita non plus est exigendum ab Institutis saecularibus.

— 21 —

Hisce ultimis diebus (26 aprilis 1962) quidam Episcopus scripsit ad S. C. de Religiosis, circa aliquod Institutum saeculare Sacerdotum dioecesanorum in sua dioecesi:

« En consultant les Constitutions de la Société du Cœur de Jésus, je n'ai pas trouvé de référence à l'Ordinaire sur ces différents sujets. Souvent les Evêques, qui ne peuvent pas ignorer l'existence d'une Fraternité dans leur diocèse, préférent ne pas savoir quels sont ceux de leurs prêtres qui en font partie, afin de rester libres dans tout ce qui regarde le gouvernement de leur diocèse.

C'est pourquoi, après avoir affirmé à l'art. 30 de nos Statuts que " aucune Fraternité ne peut se constituer dans un diocèse sans l'autorisation de l'Ordinaire ", nous avons préféré ne pas mentionner au n. 31 que le prêtre qui s'engage dans l'une de ces Fraternités, doit au préalable y être autorisé par l'Evêque ». (Mgr. Guy Riobé, Coad. d'Orléans).

Propterea, videtur hic articulus esse legitimus et opportunus.

Ad j), k), i): Quae tractant de duplici categoria institutorum clericalium, nempe sacerdotum, sive incardinatorum, sive non incardinatorum.

Cum de hac quaestione ex professo agendum est in responso ad Observationem Em.mi Card. Marella, responsum etiam ad praesentem observationem remittitur.

Ad m) Agitur de competentia inter SS. Congregationes definienda circa Instituta saecularia: etiam responsum ad hanc observationem remittatur ad illud infra dandum, ut supra dicitur.

Ad Articulum 12

I. *Observatio* - Gracias: « Si quidem istorum Institutorum sodales qui iuxta suas Constitutiones in saeculo dispersi, totis viribus evangelicam perfectionem prosequendam desudare tenentur, quin habitu religioso et vita communi sustententur, nonnullis periculis et saeculi contagiis exponuntur, ea de causa ipsi speciales cautelas et tutelas adhibeantur oportet.

Si v. g. in casu " Sacerdotum-operariorum " qui dicuntur, quorum nonnulli stricto sensu religiosi erant, S. Sedes censuit strictiorem vigilantiam, opportunas necessariasque cautelas iniungere, nonne etiam relate ad ista Instituta saecularia, maxime alumnorum spirituali atque morali institutione providendum esset.

— 22 —

Ceteroquin in nostris regionibus, Instituta saecularia, mihi videtur, non conducunt profectui spirituali Ecclesiae. Et ratio est quia secundum nostras traditiones religiosas in India, non christiani magni habent vitam religiosam traditionalem, i. e.: a) habitum religiosum; b) vitam communem; c) vota ».

Respondetur: i) De speciali cura in alumnis Institutorum saecularium instituendis supra iam actum est in Responso ad Observationem Exc.mi Dell'Acqua (cf. supra pag. 19: ad a), b), c), d), e), f).

ii) De specialibus cautelis adhibendis ad sodalium vitam religiosam in saeculo tuendam, providetur in singulis Constitutionibus: membra sunt sub vigilantia alicuius Superioris ad instar localis, cui rationem reddere debent de propria vita et opera; coadunantur certis temporibus ad exercitia spiritualia peragenda, non solum semel in anno, sed generatim singulis mensibus.

Placeret tamen talem necessitatem inculcare, addendo, in art. 11, in fine:

« ... aliter provisum fuerit.

Cum autem sodales horum Institutorum in saeculo degentes pretiosis subsidiis spiritualibus et disciplinaribus vitae communis priventur, Superiores peculiari studio super eorum vitam spiritualem et modum exercendi activitatem externam vigilare debent atque omne opportunum auxilium in perfectione evangelica prosequenda iis solerter afferre ».

iii) Notare tamen iuvat hic quod art. 16: « De Institutis saecularibus alicui religioni aggregandis », specialiter ob hanc rationem sodales adiuvandi spiritualiter ponitur, praesertim si sint laici, viri vel mulieres, praecipue ut spiritualem directionem sanam et solidam tuto accipere queant.

iv) Revera haec forma status perfectionis, non videtur ubique apta esse; ideoque ubi non respondet conditionibus locorum non est praemature inducenda: de hoc Ordinarii locorum pro sua prudentia iudicare debent.

Ad Articulum 14

I. *Observatio* - Marella: i) Cum observationes Em.mi Card. Marella ampliores sint (pp. 16-19 in textu observationum) gratia claritatis per partes procedetur, scilicet:

I. *Origo et vicissitudines quaestionis.*
II. *Status quaestionis.*

— 23 —

III. *De natura et indole Institutis saecularis sacerdotum dioecesanorum seu incardinatorum.*
IV. *De competentia Dicasteriorum Romanorum in Instituta saecularia.*

Pars I - *Origo et vicissitudines quaestionis*

Em.mus Card. Marella: « Si in articulo n. 14 sermo est de Institutis saecularibus clericalibus, quae in praesens exsistunt, tunc opportunum quin immo necessarium esse videtur, ut bene et apte definiatur materia obedientiae Superiori interno debitae, quin ullo modo debilitetur dependentia Sacerdotis saecularis a proprio Ordinario loci.

Attamen si sermo est de novis erigendis Institutis saecularibus clericalibus in dioecesi pro clero dioecesano, tunc quaedam animadvertenda sunt.

Huic amplissimo coetui notum facio Commissionem Centralem mandatum dedisse tribus Commissionibus praeparatoriis, Commissioni scilicet de Episcopis et de dioeceseon regimine, de disciplina Cleri et populi christiani et de Religiosis, ut in Subcommissione mixta pertractarent quaestionem de Institutis saecularibus clericorum dioecesanorum: an essent constituenda et quomodo?

Tres Commissiones votum commune protulerunt, attentis principiis, sive theologicis sive iuridicis, quod his quae sequuntur verbis enunciatur:

Votum: « Cum peculiaris sit Cleri dioecesani indoles, quippe qui integre apostolatus addictus sit ministerio, quod sub auctoritate Episcopi exercet; cumque hac de causa peculiaris quoque rationis sit eiusdem spiritualitas, specialis desideratur legislatio, qua normae penitus definiantur, naturam, constitutionem activitatemque ordinantes cuiuscumque generis consociationum, etiam earum in quibus Sacerdotes dioecesani consilia evangelica profiteri valeant, ita quidem ut clare semper et ubique cautum sit et de bono spirituali ipsorum Sacerdotum, servata indole propria Cleri dioecesani, et integra eorumdem unione cum aliis sacerdotibus dioecesanis, et potissimum cum proprio Episcopo, cui plane, immo et promptius, subiecti manere debent ».

Praeter istud votum, quod trium Commissionum commune fuit, Commissio de Episcopis, in Sessione Generali a die 5 ad 13 huius mensis habita, mentem suam clarius aperuit ».

N. B.: Mens Exc.morum Episcoporum infra exponetur in Parte tertia: *De natura et indole Instituti* ... (cf. inf. p. 27, ss.).

Respondetur: Complementum narrationis de origine et vicissitudinibus quaestionis.

Ut tota quaestio (implexa et nova) facilius et securius intelligatur, narratio Em.mi Cardinalis magis particulariter complenda est.

i) Epistola S. Officii d. 26 aprilis 1961 ad Em.mum Card. Ciriaci, Praesidem Commissionis Disciplinae cleri et populi.

Ne in origine quaestionis indaganda remotius aequo ascendamus, initium praesentis quaestionis considerari potest Epistola S. Officii d. 26 aprilis 1961 ad Em.mum Card. Ciriaci, cum approbatione Sanctissimi, mandata, ad quam Em.mus Card. Micara in sua observatione appellavit, dicens: prae oculis habeatur mens S. Officii.

Notandum est Epistolam dirigi ad Em.mum Card. Ciriaci, non qua Praefectum S. Congregationis Concilii, sed expresse qua Praesidem Commissionis Praeparatoriae Concilii, de Disciplina Cleri Populique christiani. Ideoque S. Officium intendebat quaestionem subicere non S. Congregationi Concilii, sed ipsi Concilio Oecumenico, tramite Commissionis Praeparatoriae de Disciplina Cleri et Populi Christiani.

Quaestio tractanda his verbis succincte indicabatur:

« ... la questione della erezione di Istituti secolari di Sacerdoti diocesani, per la quale viene chiesto il consenso della Santa Sede e circa i quali occorrerebbe chiarire definitivamente la condizione giuridica ».

Tunc, quaestione integre exposita, epistola concludebatur:

« Poichè però la questione è così importante da poter avere riflessi non soltanto in una o in un'altra determinata diocesi, ma in ben più vasta portata, gli Em.mi Padri hanno creduto opportuno *devolvere* la cosa al giudizio e alle decisioni dei Vescovi, e pertanto, pur esprimendo il su riferito loro parere, hanno disposto, e l'Augusto Pontefice ha approvato, che la pratica sia rimessa a codesta Commissione Preparatoria del Concilio Ecumenico ». (A. Card. Ottaviani, Segr.).

Igitur, iuxta hanc Epistolam, Commissio Praeparatoria de Disciplina Cleri et populi christiani parare debebat schema Concilio Oecumenico praesentando, circa hanc specialem quaestionem.

ii) Mandatum Pontificium d. 26 iulii 1961, de quaestione tractanda in Commissione Mixta.

Non bene intelligitur quod de hac quaestione nulla notitia data fuerit sive S. Congregationi de Religiosis, quae de iure competens est circa ista Instituta saecularia et de facto hanc competentiam per annos exercuit, etiam decreta « nihil obstat » vel « erectionis » emittendo; sive Commissioni de Religiosis Praeparatoriae Concilii, quae in hac materia aequo iure etiam est competens, sicut in omnibus statibus perfectionis.

Res tamen ad cognitionem S. Congregationis de Religiosis et Commissionis de Religiosis post aliquod tempus pervenit, et deinde, ad Ipsum Summum Pontificem delata est, qui respondit dando mandatum tractandi quaestionem in Commissione mixta, scilicet inter Commissionem de Episcopis, de Disciplina Cleri et de Religiosis.

Hoc mandatum a Summo Pontifice personaliter datum, non a Commissione Centrali adunata, sequentibus verbis ab Exc.mo D.no Felici die 26 iulii 1961 tribus Em.mis Cardinalibus Praesidibus communicatum est:

« Ho l'onore di comunicare a Vostra Eminenza Reverendissima che il Santo Padre ... Si è degnato di disporre che la questione dell'erezione di Istituti secolari di sacerdoti diocesani venga trattata da una Commissione mista, composta dalla Commissione dei Vescovi e del Clero e del Popolo, e dalla Commissione dei Religiosi ... ».

iii) Adunatio trium secretariorum: d. 16 octobris 1961.

Ad mandatum Pontificium in exsecutionem rite deducendum, tres Secretarii trium Commissionum supra citatarum, die 16 octobris 1961 convenerunt, atque unanimiter ordinem sequendum in quaestione pertractanda statuerunt.

iv) Subcommissio mixta: mense Decembris 1961.

Versus medium mensis decembris adunata est Subcommissio mixta, composita ex tribus Secretariis et novem membris, scilicet, tribus pro unaquaque Commissione.

a) Secretarii tunc praesentarunt relationes suas circa quaestionem:

Secretarius Commissionis de Religiosis praesentavit relationem in propria Commissione concordatam, quae fideliter adhaerebat Ordini in praeliminari adunatione secretariorum praestituto.

Secretarius Commissionis de Disciplina Cleri Populique Christiani, id non potuit facere, quia alia membra subcommissionis suae non concordabant; sed sententiam cuiusque eorum illustravit.

Relator Commissionis de Episcopis et Dioeceseos Regimine praesentavit Relationem acceptatam ab aliis membris eius subcommissionis, sed praeter Ordinem a Secretariis praestitutum.

b) Post aliquam disceptationem, clare omnibus apparuit membra divisa fuisse inter duas oppositas sententias:

Ex una parte, iuxta mentem Commissionis de Religiosis, sustinebatur ius vigens tamquam permansurum, salvis debitis emendationibus quibus compleri et perfici poterat. Speciatim retinebatur quod non tantum Instituta saecularia Sacerdotum dioecesanorum iam exsistentia erant conservanda; sed etiam erectio novorum Institutorum eiusdem speciei, emergente necessitate vel utilitate, permittenda erat.

Ex altera parte, iuxta mentem Commissionis de Episcopis, concedebatur Instituta iam exsistentia fore conservanda; sed negabatur erectio novorum huiusmodi Institutorum et proponebatur aliae formae institutorum pro sacerdotibus incardinatis.

c) Cum vero concordia inter has oppositas sententias impossibilis appareret, tunc relicta solutione quaestionis pro suo merito, propositum est et acceptatum est Votum, ab Em.mo Card. Marella supra relatum (cf. supra pag. 23).

Ut omnes videre possunt ex vicissitudinibus quaestionis, hoc Votum est tantum aliquod compromissum ad adunationem subcommissionis, cum voto concordi, terminandam, quae non valebat rem ipsam definire.

Et ex ipso textu, apparet quaestionem non fuisse definitam, et remansisse in statu quo iuridico, expectando novam legislationem.

v) Cum res ita essent, Commissio de Religiosis tunc non dubitavit praesentare Commissioni Centrali integrum suum schema: de Institutis saecularibus iam a multo tempore paratum, incluso art. 14 qui specialiter agit de Institutis Sacerdotum dioecesanorum seu incardinatorum.

vi) Ex altera parte, ut testatur Em.mus Card. Marella, Commissio de Episcopis et Dioeceseon Regimine quaestionem iterum examinavit atque « mentem suam clarius aperuit »: quam ex textu Em.mi Praesidis Commissionis referimus, in Parte Tertia sequenti (cf. inf. p. 37).

Pars II - *Status quaestionis*

Ad omnem aequivocationem vitandam, interest maxime ut obiectum quaestionis de qua hic agitur precise et clare determinetur.

i) Non agitur hic de Institutis saecularibus universim: sed tantum de Institutis saecularibus clericalibus. Ergo nullo modo tanguntur in praesenti disceptatione Instituta laicalia, virorum vel mulierum.

Igitur, pro Institutis saecularibus laicalibus, virorum et mulierum, considerandum est tantum schema a Commissione de Religiosis hic (Caput VIII) praesentatum, quod sub oculos habemus cum Observationibus a Patribus Commissionis Centralis in idem factis.

ii) Neque ad omnia Instituta clericalia quaestio directe refertur: sed tantum ad instituta sacerdotum dioecesanorum vel incardinatorum, illorum scilicet qui semper et de iure incardinationem propriae dioecesi conservat, nonobstante eorum adscriptione Instituto.

Quoad cetera Instituta clericalia sacerdotum qui non sunt incardinati vel incardinationem suam de iure amittunt, iterum ad schema de religiosis est respiciendum, et modo speciali, art. 15 qui de iisdem agit.

iii) Quaestio igitur restringitur ad unum obiectum precisum et limitatum. Quod evincitur ex documentis supra citatis.

Sive ex epistola S. Officii ad Em.mum Card. Ciriaci: « la questione della erezione di Istituti secolari di sacerdoti diocesani » (cf. supra pag. 24).

Sive maxime ex mandato Pontificio: « ... la questione della erezione di Istituti secolari di sacerdoti diocesani .... (cf. supra pag. 25).

iv) Immo quaestio adhuc strictius circumscribitur ex eo quod *directe* non respicit Instituta, etiam sacerdotum dioecesanorum, iam exsistentia seu approbata; quorum perseverantiam admittit Commissio Episcoporum (cf. supra pag. 26). Sed tantum futura Instituta, quorum erectionem intendit negare Commissio de Episcopis (cf. supra pag. 26): documenta enim vocem habent « erezione ».

Quid tunc de hac re est sentiendum? Oportet audire mentem Commissionis de Episcopis, prout ab Em.mo Card. Marella relatam.

Pars III - *De natura et indole Instituti saecularis sacerdotum dioecesanorum seu incardinatorum*

Em.mus Card. MARELLA: a) « Praeter istud votum (cf. supra pag. 23), quod trium Commissionum commune fuit, Commissio de Episcopis, in Sessione Generali a die 5 ad 13 huius mensis habita, mentem suam clarius aperuit. Exc.mi Praesules censuerunt ne Instituta saecularia pro clero dioecesano amplius erigerentur, quia huiusmodi Instituta mutare videntur status Cleri Dioecesani, inspecto iure condito in legibus constitutionalibus

— 28 —

Institutorum saecularium (i. e. in Const. Ap. *Provida Mater* et in Motu Proprio *Primo Feliciter*).

b) « Etenim:

1° In Institutis saecularibus clericalibus non adimpletur ratio saecularitatis, quae perficere non possunt, cum sint — status clericalis natura inspecta — « extra negotia saecularia » positi;

2° Instituta saecularia constituta sunt, non tantum ad christianam perfectionem acquirendam, sed etiam ad apostolatum exercendum in saeculo (sicut in art. 1 Legis peculiaris): iamvero apostolatus in sacerdote dioecesano omnino pendere debet ab Episcopo, secus specialis cleri dioecesani natura mutatur;

3° Instituta saecularia vinculum stabile, mutuum ac plenum exigunt, ita ut sodales se totos Institutos tradant, et Institutum de sodalibus curam gerat atque respondeat (art. III); attamen natura Cleri saecularis exigit ut inter Sacerdotem et Episcopum nullum aliud vinculum publicum exsistat praeter incardinationem;

4° Instituta saecularia supponunt hierarchicam regiminis ordinationem (art. IX); Clerus vero saecularis nullam aliam hierarchicam regiminis ordinationem, praeter ea quae ab Episcopo provenit, admittere potest.

c) « Hisce de causis exoptatur nova legislatio circa ius associationis pro Clero dioecesano.

De huiusmodi nova legislatione consilia quaedam proposuerunt Patres:

1° Huiusmodi legislatio plane distincta sit oportet ab analoga legislatione pro Institutis saecularibus perfectionis, quae fidelibus laicis patent;

2° Ut huiusmodi consociationibus pro Clero dioecesano propria et peculiaris reservetur denominatio seu titulus, ut distinguantur ab aliis Institutis;

3° Ut omnes et singulae Consociationes pro Clero dioecesano sub auctoritate et competentia S. Congregationis Concilii ponantur. Cum enim huiusmodi consociationes sint pro Clero saeculari, et ad sanctificationem eiusdem Cleri saecularis essentialiter ordinentur, congruum videtur ut earumdem suprema moderatio illi sacro Dicasterio demandetur quod de disciplina ipsius Cleri saecularis universim invigilat;

4° Ut consociationes pro Clero debeant esse dioecesanae et sacerdotes Episcopo tamquam Superiori suo subsint, etsi Episcopus immediatam Consociationis directionem possit committere alii sacerdoti, ut moderatori vel praeposito, et tamquam illius alter ego. Ita ut unica exsistat pro Clero dioecesano externa directio et orientatio, atque idem ductus pro sacerdotum modo sese gerendi eorumque activitate apostolica;

— 29 —

5° Admitti possunt etiam consociationes interdioecesanae immo et confoederationes sacerdotum dummodo vinculum dependentiae unice erga proprium Episcopum consistat, et relationes cum Consociatione interdioecesana sint tantummodo ordinis spiritualis, scilicet nullam conscientiae obligationem inducentes, nullusque character iurisdictionis aut potestativus admittatur.

d) Ipsi Exc.mi Patres suggestiones nonnullas edixerunt quoad vota privata vel promissiones vel iuramenta obedientiae et paupertatis; praesertim obedientiae erga Episcopum fieri debet: quod clarius exprimetur in voto quam primum Commissioni Centrali tradendo.

e) Pariter, in eodem voto, Exc.mi Patres proposuerunt ut Institutorum saecularium perfectionis, quae sunt iam canonice instituta, propria physionomia, indoles ac iuridica forma, clarius et apertius definiatur; ut distinguatur conditio Institutorum saecularium, quae variis classibus coalescunt, scilicet sacerdotibus et laicis, itemque si agatur de Instituto cum membris mixtis, clarior distinctio fiat inter utriusque categoriae conditionem iuridicam ».

Respondetur: Praemittitur hic, utilitatis causa, notio iuridica Instituti saecularis. Hoc proprio nomine veniunt: « Societates, clericales vel laicales, quarum membra, christianae perfectionis adquirendae atque apostolatum plene exercendi causa, in saeculo consilia evangelica profitentur » (Const. Ap. *Provida Mater*: Lex peculiaris, art. 1).

Nunc ad observationes factas, respondetur per singulas partes:

Ad a) Haec pars continet, ut ita dicatur, thesis Commissionis Episcoporum, quae sic propriis verbis effertur: « ne Instituta saecularia pro clero dioecesano amplius erigerentur » (cf. supra, pag. 27, a).

i) Haec thesis, ut patet, duo continet:

explicite dicit: « ne instituta ... amplius erigerentur »;

implicite supponit instituta iam exsistentia conservanda esse. Et hoc concordat plene cum iis quae in subcommissione mixta, mense decembris 1961, a membris Commissionis de Episcopis propugnata fuerunt (cf. supra, pag. 26, b).

ii) Sed huiusmodi discriminatio inter instituta exsistentia et nova non videtur rationabilis:

Aut ista instituta sunt bona et benefica Ecclesiae: tunc cur prohiberentur nova, servatis servandis, condenda?

Aut sunt mala et nociva Ecclesiae; tunc cur exsistentia tolerantur? Forte quod quis diceret: tolerantur eorum interitionem expectando. Sed id temerarie exspectatur, quando constat ista florere numero (sodales nunc sunt circa quattuor millia (4000); et vita: ut plus quam 70 Epistolae Episcoporum testantur.

Ideoque talis discriminatio non est rationabilis: aut omnia sunt supprimenda, aut nova servatis servandis, permittenda.

Insuper pro institutis exsistentibus et permanentibus, haec prohibitio de futuro esset ipsis valde iniuriosa: quia aequivalet reprobationi ex parte Ecclesiae, et reprobatio iniusta sine causa, cum e contra a propriis Ordinariis laudibus extollantur! quo iure tunc instituta experientia probata et fructibus commendata supprimere vel ipsis iniuriam inferre, quasi tantum ad duritiem cordis tolerata!

iii) Quoad autem valorem institutorum exsistentium, considerandum:

Quod instituta saecularia, in genere, a Constitutione *Provida Mater Ecclesia* fuerunt recognita et adnumerata inter status publicos perfectionis christianae; sed non ab ea creata.

De facto a saeculo exsistebant, et proinde si Ecclesia ea iuridice recognovit, est quia eadem bona et benefica Ecclesiae aestimavit, non solum ex principiis theologicis, sed ex ipsa experientia, arborem diiudicando ex propriis eius fructibus.

Instituta clericalia sacerdotum dioecesanorum, sunt de facto recentiora.

Nihilominus in eorum favorem militat experientia iam decennalis, et, ut supra dictum est, a plus quam 70 Episcopis laudantur, non solum ob fructus sanctitatis sodalium, sed specialiter ob eorumdem plenam submissionem Episcopis; ipsi communiter concordant cum epistola quam Em.mus Card. Valeri legit in sessione Commissionis Centralis, in qua, praeter alia haec habentur:

« L'objection, faite parfois, que l'appartenance à un Institut séculier distend les liens avec l'Evêque ou le diocèse, est absolument contredite par les faits. Je n'ai pas de prêtres plus disposés à accepter toute mission que les prêtres appartenant au Prado, à la Société des Prêtres du Cœur de Jésus, ou à votre Pieuse Union ».

Haec facta comprobata nequeunt rationabiliter tractu calami deleri; et secumferunt testimonium quod ista Instituta saecularia, a S. Sede approbata, reapse sunt bona et benefica Ecclesiae.

Si ita est, cur nova condenda prohibere, ob timorem quod nova possent esse mala et nociva? Et ob timorem qui non ex

institutorum experientia procedit, quae e contra, ut vidimus, fiduciam gignit; sed ex quadam simplici mentis apprehensione.

Etsi hic et illic quaedam habentur difficultates, hae non destruunt valorem ipsius institutionis: et ubi non desunt difficultates, etiam in Religionibus, in dioecesibus, etc.? solvantur difficultates; sed serventur institutiones.

Ad b) Scilicet ad rationes quae pro thesi supra relata afferuntur (cf. supra pag. 28-29, b).

Ad rationem 1): de ratione « saecularitatis » non adimpleta in istis institutis.

Si recte haec ratio intelligatur, affirmatur quod « non adimpletur ratio saecularitatis in istis instituti », quia eorum sodales cum sint clerici, « extra negotia saecularia » sunt positi et quidem vi ipsius iuris.

Respondetur: i) Verum est « saecularitatem » esse elementum essentiale et specificum omnis Instituti saecularis: ubi igitur deest, nequit adesse institutum saeculare.

ii) Sed esset evidens aequivocatio confundere hanc saecularitatem propriam Institutorum saecularium, cum negotiis saecularibus a iure Clero prohibitis!

Negotia saecularia Clericis prohibita, sunt negotia profana quae statum clericalem dedecent vel ab eodem aliena, in Codice speciatim enumerata in can. 139-142.

Saecularitas autem de qua agitur est simplex permanentia in mundo (in saeculo) per oppositionem ad vitam communem canonicam propriam Religionum vel Societatum, quarum sodales saeculo valedicunt.

Haec permanentia in saeculo, vel saecularitas, potest esse:

vel *Laici*: cui proinde permittuntur exercere omnia negotia honesta, licet omnino profana et ad temporalia tantum directa;

vel *Clerici*, qui tamen, propter statum sacro ministerio consecratum, prohibentur agere negotia saecularia, i. e. ista profana et proprio statui aliena, etiam si honesta sint et aliunde simplici laico permissa.

Ideoque et precise quia hac ratione clericus permanet in saeculo, iuridice vocatur, clericus saecularis, nonobstante prohibitione ei facta negotia saecularia exercendi.

iii) Ergo: si termini recte intelliguntur, nulla est oppositio inter saecularitatem et statum clerici saecularis; et consequenter « saecularitas » propria Instituti saecularis, est perfecte compatibilis cum statu clerici saecularis.

Saecularitas enim necessario implicat tantum permanen-

tiam in saeculo. Quod negotia saecularia, profana, neque ea excludit, neque ea exigit, ab eis praescindit. Ideoque sine ulla contradictione, Pius XII potuit dicere in lege peculiari Const. Ap. *Provida Mater*: « Societates clericales vel laicales ... » (art. 1).

Et explicitius in Allocutione d. 8 dec. 1950: « Nulla profecto ratio officit, quominus clerici in Saecularia Instituta coalescant, ut, ad evangelicae perfectionis statum, huiusmodi vitae delectu et genere, contendant... » (cf. AAS, 1951, p. 29-30).

Ad Rationem 2): de apostolatu sacerdotum ab Episcopo dependente (cf. p. 28).

Arguitur ex quadam adserta impossibilitate conciliandi in Clero dioecesano, apostolatum ad quem omne Institutum saeculare destinatur cum plena dependentia eiusdem ab Episcopo.

Respondetur: i) Omnino verum est apostolatum, et quidem operibus externis exercendum, esse finem necessarium cuiusque Instituti saecularis; adeo ut iure vigenti, Institutum saeculare unice contemplativum admitti nequeat (cf. Lex peculiaris, art. IX, et supra pag. 28-29).

ii) Ex altera parte, verum est etiam quod exercitium apostolatus a sacerdote dioecesano plane dependet a suo Episcopo.

iii) Sed haec integra dependentia ab Episcopo in Apostolatu exercenda minime impeditur vel minuitur in sacerdote alicui Instituto saeculari adscripto, quin e contra corroboretur, ut explicite habetur in Schemate art. 14 et certo, non leviter dictum: « ... id semper prae oculis habendum est, auctoritatem Ordinarii loci in hos clericos nullo sub respectu imminuendam sed potius novo vinculo firmandam esse ».

Id etiam, Epistolae Episcoporum de quibus supra sermo fuit (cf. supra pag. 30, iii) expresse testantur de facto iam obtentum esse.

iv) Completa dependentia ista ab Episcopo, directe sequitur principium « saecularitatis » institutorum saecularium, vi cuius, sodales, non tantum remanent in saeculo, sed in eodem conservant suam conditionem socialem et professionalem, cum eiusdem exigentiis:

Ita laicus medicus, advocatus, etc. remanet talis etiam post adscriptionem Instituto saeculari, et in ista peculiari saeculari conditione vel professione suum apostolatum exercet: inde dicitur quod « ... hic apostolatus Instituto saecularium non tantum in saeculo, sed veluti ex saeculo ac proinde professionibus, exercitiis, formis, locis, rerum adiunctis saeculari huic conditioni

respondentibus, exercendus est fideliter » (Pius XII, Motu Proprio, *Primo feliciter,* II).

Pariter clericus, conservat suam conditionem clerici dioecesani: remanet incardinatus, cum omnibus exigentiis erga suum Episcopum ab incardinatione derivantibus, et consequenter cum plena dependentia ab Episcopo, in suo Apostolatu exercendo, sine ulla differentia in hoc cum aliis sacerdotibus dioecesi incardinatis.

Est, proportione servata, sicut esset aliquis officialis exercitus alicui instituto saeculari adscriptus, qui certo certius completam dependentiam a suis ducibus, in re militari, retineret.

v) Sed tunc, quid de eius proprio superiore Instituti?

Erga ipsum est etiam dependens, sed secundum indolem propriam Instituti saecularis et secundum proprias Constitutiones.

Ideoque:

Quoad observantiam consiliorum evangelicorum: a suo Superiore pendet et exclusive, ad normam Constitutionum. Sed statim, notandum est, quod obiectum istorum consiliorum coarctatur secundum precise id quod exigit « saecularitas », ut patet ex Lege pec., art. 3.

Sic v. g. quoad paupertatem: ea quae pertinent ad paroeciae administrationem cui sacerdos praeficitur non est materia voti paupertatis; quoad obedientiam: ea quae pertinent ad sacrum ministerium sub auctoritate proprii Episcopi, non pertinent ad votum nisi quod Superior posset iussiones Episcopi, praecepto suo vi voti dato corroborare ut fidelius adimpleantur, minime posset iisdem contradicere, ut explicite dicitur in art. 14 Schematis: « ... qui (Superior) numquam quidquam praecipere vel consulere potest quod dependentiae ab Ordinario adversetur ... ».

Quoad exercitium ministerii dioecesani, sacerdos dependet a suo Episcopo et exclusive: sive quoad distributionem officiorum, sive quoad modum ea adimplendi.

Ad Superiorem internum pertinet tantum vigilantia super personam sacerdotis ut officia ab Episcopo sibi commissa perfecte adimpleat. Sed, ut supra additum est, art. 14, Superior non valet sacerdotes transferre in aliam dioecesim neque ab uno officio dioecesano ad aliud.

Quoad vitam spiritualem, distinctio hic est necessaria:

respectu obligationum communium clericorum a iure pro eorum sanctificatione impositarum, a suo Episcopo dependet sicut ceteri sacerdotes;

respectu observantiae consiliorum evangelicorum, alia-

— 34 —

rumque observationum cum iisdem connexis, a suo Superiore dependet unice.

vi) Hac ratione componitur exercitium utriusque auctoritatis Episcopi et superioris in eodem clerico incardinato: quatenus hae duae auctoritates circa diversa obiecta directe exercentur et ita coordinantur ut in conflictum venire nequeant.

Liceat hic aliquid addere circa dependentiam Sacerdotum saecularium duplici simul potestati, quin inde inconveniens aliquod exoriatur.

Notae sunt adhortationes Summorum Pontificum, praesertim Leonis XIII et S. Pii X ad sacerdotes, in specie ad ipsos curiones paroeciarum, ut Tertio Ordini Saeculari S. Francisci se adscribant, et sic efficacius exemplo suo animarum bonum promoveant.

Iamvero sodales Tertii Ordinis saecularis, qui « sub moderamine alicuius Ordinis, secundum eiusdem spiritum, ad christianam perfectionem contendere nituntur, modo saeculari eorum consentaneo » (can. 702, § 1), iuxta Regulam a S. P. Leone XIII approbatam, visitationi et correctioni Superiorum e primo vel tertio Ordine regulari franciscali subsunt in iis quae observantiam Regulae tangunt; et haec subiectio, ut patet, nullo modo officit iurisdictioni Ordinarii loci, quin immo non parum iuvat ad sanctitatem tot sacerdotum sive etiam Episcoporum e clero saeculari, quorum non pauci ss. Altarium honoribus decorati sunt.

Practice difficultates esse poterunt, quae nullibi desunt ut ex experientia patet, neque inter Episcopos et suos sacerdotes nulli piae associationi adscriptos; sed haec proveniunt ex personis, non ex ipsis institutionibus: et proinde resolvi poterunt quin pereant institutiones.

Ad Rationem 3): de vinculo exclusivo inter Episcopum et Sacerdotem (p. 28).

Iterum arguitur ex adserta impossibilitate conciliandi vinculum stabile sacerdotis cum suo Instituto, et vinculum eiusdem cum suo Episcopo.

Respondetur: i) Verum est quod ex una parte, adesse debet vinculum stabile, mutuum ac plenum inter sacerdotem et Institutum (Lex. pec., art. III). Sed, hoc intelligi debet: non simpliciter, sed, ut dicitur in eadem Lege peculiari: « Ad normam Constitutionum ».

Constitutiones autem respondent propriae indoli Instituti, ideoque respondere debent et de facto respondent conditioni peculiari sodalium, et in casu, sacerdotum incardinatorum.

— 35 —

Quatenus generaliter totam vitam complectitur, est quaedam plenitudo donationis Instituti, sed non eadem ac in Religionibus, precise quia sacerdos incardinatus, etsi ad plenum apostolatum teneatur, illum explere debet, tamquam sacerdos incardinatus sub dependentia directa sui Episcopi.

ii) Quod « inter sacerdotem et Episcopum nullum aliud vinculum publicum » exsistere possit praeter incardinationem, hoc non evincitur, et ex dictis, contrarium probatur.

Nullum aliud vinculum esse debet quod contradicat incardinationi eiusque exigentiis: omnino concedendum est; sed non excluditur aliud vinculum quod sit, non contra incardinationem, sed tantum praeter incardinationem: quonam iure enim excluderetur, si cum incardinatione conciliari potest? et, ex supra dictis, ostenditur quomodo conciliatur, non tantum de iure, sed etiam experientia comprobante.

Ad Rationem 4): de hierarchica ordinatione ecclesiastica exclusiva (pag. 28).

Iterum arguitur quod institutum saeculare supponit hierarchiam internam, quae excluditur ab hierarchia quae ab Episcopo provenit.

i) Verum est in quolibet Instituto saeculuari dari hierarchiam internam, constitutam Superioribus internis, qui et ipsi sub aliquo Superiore supremo constituti sunt. Ex altera parte vero, sacerdos incardinatus inseritur in hierarchia ecclesiastica sub suo Episcopo.

ii) Sed quonam iure haec ultima hierarchia priorem excludere debeat, non videtur.

Et est fere eadem difficultas ac supra: duplex auctoritas in eadem persona; hoc est phenomenon quotidianum: v. g. eadem persona est simul cives subditus potestati civili, et catholicus subiectus potestati Ecclesiae.

Solutio est in distinctione inter competentiam utriusque potestatis: esset impossibile, si circa idem et secundum idem agerent; non autem si in obiecta diversa vel secundum diversas rationes.

Porro supra ostensum est utramque potestatem habere respective propriam competentiam definitam, ita ut conflictus, de iure, haberi non possit.

Idem concludendum de duplici Hierarchia Superiorum.

Conclusio: Ex responsis supra datis, patet oppositionem inter statum Clerici incardinati et eiusdem statum qua membri

— 36 —

Instituti saecularis, de iure non exsistere; de facto difficultates oriri possunt ex personis; sed difficultates sunt proprio modo solvendae quin pereant institutiones quae iure et facto probatae sunt utiles et beneficae in Ecclesia.

Respondeatur ad c): « Hisce de causis exoptatur nova legislatio ... » (pag. 28).

Responsum Generale: i) Consentaneum est ut ius vigens de Institutis saecularibus compleatur et perficiatur. Est enim prima codificatio huius materiae; nihil mirandum igitur si perfecta omni sub respectu non sit.

ii) Minus placet loqui de nova legislatione, quae sonat ac si haec materia esset de integro ordinanda: quod non est casus licet in quibusdam partibus compleri indigeat et hic et illic expoliri.

iii) Melius esset loqui de revisione huius iuris, sicut dicitur de Codice revidendo; eo magis quod legislatio de Institutis saecularibus locum suum proprium habere debebit in futura Codicis editione et sic subintrabit generali Codicis revisioni.

Ad primam propositionem: « Huiusmodi legislatio plane distincta sit oportet ab analoga legislatione pro Institutis saecularibus perfectionis, quae fidelibus laicis patent » (cf. supra, p. 28).

Respondetur: Placet, dummodo clare appareat haec instituta pertinere ad statum perfectionis proprie dictum, et non sint tantum piae associationes etiam ad vitam spiritualem clericorum fovendam ordinatae.

De istis poterit certo sermo esse in hac legislatione; sed ita ut non confundantur cum aliis de statu perfectionis.

Ad secundam propositionem: « Ut huiusmodi consociationibus pro Clero dioecesano propria et peculiaris reservetur denominatio seu titulus ut distinguantur ab aliis Institutis » (cf. supra, pag. 28).

Respondetur: Placet.

Ad tertiam propositionem: « Ut omnes et singulae Consociationes pro Clero sub auctoritate et competentia S. Congregationis Concilii ponantur » (cf. supra, pag. 28).

Responsum adaequatum ad hanc propositionem dabitur infra, in Pars Quarta: *De competentia Dicasteriorum Romanorum in Instituta saecularia.*

Ideoque statim fit transitus:

— 37 —

Ad quartam propositionem: « Ut consociationes pro Clero debeant esse dioecesanae et Sacerdotes Episcopo tamquam Superiori suo subsint, etsi Episcopus immediatam Consociationis directionem possit committere alii sacerdoti, ut moderatori vel praeposito, et tamquam illius alter ego. Ita ut unica exsistat pro Clero dioecesano externa directio et orientatio, atque idem ductus pro sacerdotum modo sese gerendi eorumque activitate apostolica » (cf. supra, pag. 28).

Respondetur: In hac propositione, ut patet, sunt duae res: ut consociationes sint mere dioecesanae; et earum Superior sit Episcopus.

i) Consociationes mere dioecesanae:

Si agatur de Consociationibus piis, quin vere statui perfectionis, prout supra explicatum est, pertineant, nulla est difficultas ut sint mere dioecesanae.

Si de veris Institutis saecularibus statui perfectionis pertinentibus, magna est difficultas practica si mere sint dioecesanae: quia in plerisque dioecesibus nec numerus sufficiens ad illa componenda inveniri poterit, ideoque ii sacerdotes qui ad perfectionem in statu saeculari consequendam forte adspirabunt, vocationi suae renuntiare debebunt.

ii) Episcopus Superior Consociationis: iterum eadem distinctio est facienda:

Si agatur de Consociationibus ad statum perfectionis non pertinentibus: id haberi potest ut Episcopus sit earum Superior, ut de facto habetur. Liceat tamen addere quod experientia haec non fuit semper felix, propter rationes, quae pro altero casu afferuntur, proportionaliter validas etiam in hoc casu.

Si e contra agatur de Institutis status perfectionis: minime convenit ut Episcopus sit eorum Superior.
Agitur enim de Superioritate exercenda, non externe circa externam activitatem personarum; sed bene circa earum vitam intimam per ordinem ad sanctitatem assequendam observantia consiliorum evangelicorum aliarumque observantiarum particularium.

Difficiliter Episcopus, qui potius de vita externa per iurisdictionem moderanda principaliter est occupatus, valeat sese immittere in vitam internam suorum sacerdotum.

Id eo difficilius erit pro eo, quod non necessario ipse erit membrum huius consociationis: poteritne tunc eius vitam et spiritum plene assequi ut singulos sodales in istis viis perfectionis dirigere valeat?

Episcopi in dioecesi sese succedunt; frequentissime prove-

— 38 —

niunt ex aliis dioecesibus, et afferunt novam mentem et novum modum gubernandi. Quomodo continuitas vitae et spiritus haberi poterit cum Superioribus, non tantum extraneis consociationi, sed frequenter alienis ab earum vita et spiritu.

Remedium quod offertur, committendo regimen habituale consociationis alicui moderatori, sub auctoritate Episcopi: ex una parte ostendit incommodum quod Episcopus sit verus Superior: ad quid si non valet proprium munus exercere sine incommodis?

Ex altera parte, praebet remedium inefficax: regimen vicariale ad tempus; sed non modo perpetuo, quia auctoritas Vicarii, etsi iuridice completa, moraliter non habet plenam vim.

Ratio precipua habendi Episcopum Superiorem, est ut vitetur dualitas auctoritatum: sed supra ostensum est quanam ratione talis dualitas componitur et quomodo de facto in pluribus dioecesibus componitur sine illis incommodis quae ab aliquibus timentur.

Contra rationes hic allatas, aliquis arguere posset quod cum Episcopus tamquam perfector erga perficiendos habeatur, convenit eum esse Superiorem perficiendorum, qui sunt sodales statuum perfectionis.

Respondetur: a) Verum est (iuxta doctrinam Doctoris Angelici) Episcopum, qui in statu perfectionis exercendae est constitutus, haberi tamquam perfectorem erga religiosos qui sunt in statu perfectionis adquirendae.

Sed hanc functionem habet ut totius dioecesis Pastor eamque exercet vi potestatis iurisdictionis. Non autem hanc functionem habet tamquam Superior singulorum institutorum perfectionis, neque eam exercet vi potestatis dominativae quae propria est Romano Pontifici et Superioribus internis.

b) De cetero, etiam quoad eius potestatem iurisdictionis, ab ea subducuntur, tum Instituta exempta, salvis casibus expressis quibus subduntur, tum alia instituta ad normam Iuris, quatenus ipsa aliqua fruuntur immunitate a potestate Episcoporum, maxime si sint iuris pontificii.

c) Historia omnino confirmat istam distinctionem inter Episcopum Pastorem dioecesis, cui religiosi subiici possunt, et superiores internos Institutorum.

Conclusio: Sinatur ut Instituta possint esse etiam interdioecesana, cum propriis Superioribus internis, quin Episcopus hoc munus assumat quod, ut supra ostensum est ei non competit.

— 39 —

Ad quintam propositionem: « Admitti possunt etiam consociationes interdioecesanae et confoederationes, dummodo autem semper cautum sit ut vinculum iuridicae sacerdotum dependentiae unice erga proprium Episcopum consistat: et relationes cum Consociatione interdioecesana sint tantummodo ordinis spiritualis, scilicet nullam conscientiae obligationem inducentes, nullusque character iurisdictionis aut potestativus admittitur ».

Respondetur: i) Si agatur de Consociationibus ad statum perfectionis non pertinentibus: totum est concedendum.

ii) Si agatur de Institutis status perfectionis:

a) Episcopus nequit haberi ut eorum verus Superior ut supra ample ostensum est, maxime vero si sunt interdioecesana; salva integra eius auctoritate in sacerdotes incardinatos quae a tali incardinatione ipsi derivatur, ut supra iam dictum est.

b) Nequit admitti inter sodales et Superiores relationes ordinis mere spiritualis: debet esse vinculum iuridicum quod veras obligationes morales inducit: aliter, perit ipsa ratio Instituti status perfectionis publici.

Ideoque consociatio interdioecesana et ipsa confoederatio quae excogitatur, absque ulla potestate in socios alienae dioecesis vel confoederationis, necessario reducenda erit ad illas fidelium associationes de quibus in Codice can. 684 et ss., quae Moderatores quidem habent, sed absque ulla potestate dominativa in socios adscriptos.

Respondetur ad d) « Ipsi Exc.mi Patres suggestiones nonnullas edixerunt quoad vota privata vel promissione vel iuramenta obedientiae et paupertatis; praesertim obedientiae semper erga Episcopum fieri debet; quod clarius exprimitur in voto quam primum Commissioni Centrali tradendo» (cf. pag. 29).

Respondetur: non placet: vota sunt emittenda in manus proprii Superioris interni; ideoque non Episcopi.

Neque hoc Episcopo nocere possit, cum ipse servat integram suam auctoritatem in Sacerdotes, ratione incardinationis, cui auctoritati Superior internus nequit contradicere.

Respondetur ad e) « Pariter, in eodem voto, Exc.mi Patres proposuerunt ut Institutorum saecularium perfectionis, quae sunt iam canonice instituta, propria physionomia, indoles ac iuridica forma, clarius et apertius definiatur; ut distinguatur conditio Institutorum saecularium, quae variis classibus coalescunt, scilicet

— 40 —

sacerdotibus et laicis, itemque si agatur de Instituto cum membris mixtis, clarior distinctio fiat inter utriusque categoriae conditionem iuridicam » (cf. pag. 29).

Respondetur: Placet omnino ut ius vigens in iis rebus perficiatur. Sed liceat notare quod ista in Constitutionibus institutorum approbatis, iam habentur.

Pars IV - *De competentia Dicasteriorum Romanorum in Instituta saecularia*

N.B.: Hic, ut supra dictum est, affertur responsum ad tertiam propositionem, quae sic sonat:

Ad tertiam propositionem: « Ut omnes et singulae Consociationes pro Clero sub auctoritate et competentia S. Congregationis Concilii ponantur.

Cum enim huiusmodi consociationes sint pro Clero saeculari, et ad sanctificationem eiusdem Cleri saecularis essentialiter ordinentur, congruum videtur ut earumdem suprema moderatio illi Sacro Dicasterio demandetur quod de disciplina ipsius Cleri saecularis universim invigilat » (cf. supra, pag. 28).

Respondetur: Duplex responsum hic necessarium est: primum praeiudiciale, alterum pro merito quaestionis et rei veritate.

Primum responsum: Praeiudiciale: Haud convenit Concilio Oecumenico de variis competentiis inter Dicasteria Romana aliquid decernere. Haec enim sunt instrumenta quibus Summus Pontifex negotia Ecclesiae universalis, Sibi personaliter de iure divino commissa, pro suo prudenti arbitrio et conscientia expedit. Ideoque, sicut haec negotia ad Ipsum spectant, ad Ipsum quoque spectat horum instrumentorum seu Dicasteriorum quibus ea expedit creatio, ordinatio et cuiusque propriae competentiae definitio, quin Concilium etiam Oecumenicum valeat Summo Pontifici aliquam normam imponere.

Ut vulgo dicitur, Dicasteria Romana sunt « longa manus » Summi Pontificis, quam nemo alius valet aliquomodo ligare.

Ideoque, Sacra Congregatio Consistorialis, consideratis omnibus votis Episcoporum circa eventualem aliquam Curiae Romanae reorganizationem, scite sequens votum ad Commissionem Antepraeparatoriam expressit:

« In fine, la S. Congregazione Concistoriale esprime il som-

— 41 —

messo parere che l'eventuale riforma della Curia Romana del Romano Pontefice, se così piacerà al Santo Padre, non è conveniente, per ovvi motivi, che venga trattata in Concilio Ecumenico » (cf. Acta et Documenta, vol. III, pag. 36, V).

Alterum responsum: Pro merito quaestionis et rei veritate.

Notare oportet imprimis quod propositio Em.mi Cardinalis Relatoris est generalis, quatenus omnes et singulas Consociationes pro Clero saeculari constitutas complectitur.

Ad omnem aequivocationem vitandam, distinguere oportet hic inter consociationes quae tantum sunt Piae Associationes, etsi ad Cleri sanctificationem ordinatae, et alias Societates quae ad tramitem Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia,* naturam Instituti saecularis vere induunt.

De prioribus associationibus piis quae nunc sub auctoritate et competentia S. Congregationis Concilii sunt, in praesenti responso non est sermo.

Quoad autem posteriores quae vere induunt naturam Instituti saecularis, propositio Em.mi Cardinalis Relatoris non videtur admittenda, propter rationes sequentes quas liceat cum aliqua amplitudine, propter gravem momentum rei, exponere.

Quaestio dupliciter considerari potest et debet:

i) de iure condito vigenti;

ii) de iure condendo seu eventualiter perficiendo.

i) *De iure condito*: actualis competentia S. Congregationis de Religiosis in Instituta saecularia.

Iure vigenti est omnino certum et indiscussum quod S. Congregatio de Religiosis sit competens, et exclusive competens, in omnia Instituta saecularia, etiam sacerdotum dioecesanorum.

a) Constitutio Apostolica *Provida Mater Ecclesia* confert S. Congregationi de Religiosis universam competentiam in omnia Instituta saecularia ad normam eiusdem Constitutionis Apostolicae constituta.

« Instituta saecularia a Sacra Congregatione de Religiosis dependent, salvis iuribus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, ad normam can. 253, § 3, quoad Societates et Seminaria Missionibus destinata » (Lex peculiaris, art. IV, § 1).

b) Instituta saecularia, autem, non sunt tantum laicalia, sed etiam Clericalia: « Societates, clericales vel laicales ... » (Lex Peculiaris, art. I).

Ergo, competentia S. Congregationis de Religiosis est etiam in Instituta saecularia clericalia.

c) Constitutio, vero non distinguit, inter Instituta clericalia

— 42 —

sacerdotum incardinatorum seu dioecesanorum et Instituta clericalia sacerdotum non incardinatorum.

Sed neque unam vel alteram categoriam excludit et ambae categoriae sub locutione generica: « Clericalia » comprehenduntur.

d) Omne dubium hac de re tollitur ipsa iurisprudentia S. Sedis:

1° Sacra Congregatio de Religiosis, non tantum obtinuit competentiam in Instituta saecularia, sed etiam munus Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia* et ea omnia in eadem contenta *Executioni mandandi* (cf. Const. Ap. cit. n. 13) et insuper, facultatem recipit ipsa Constitutionem Apostolicam opportunis normis interpretandi, perficiendi et applicandi.

« 2° Normis, quas Sacra Congregatio de Religiosis, prout necessitas ferat atque experientia suffragetur, sive Constitutionem Apostolicam interpretando sive ipsam perficiendo atque applicando pro omnibus vel pro aliquibus ex his Institutis edere censuerit » (Lex peculiaris, art. II, § 2, 2°).

2° Ideoque, iuxta mandatum acceptum, Sacra Congregatio de Religiosis pluries suis Litteris declaravit Instituta saecularia Sacerdotum Dioecesanorum seu incardinatorum esse omnino conformia Constitutioni Apostolicae *Provida Mater Ecclesia*, et consequenter Decreta pro eorum erectione, edidit atque instituta erecta regit.

Conclusio: de iure condito, nullum est dubium circa competentiam Sacrae Congregationis de Religiosis in omnia Instituta saecularia, etiam clericalia sacerdotum dioecesanorum seu incardinatorum.

ii) *De iure condendo*: Estne valida ratio hanc ordinationem iuris iam ipsa experientia probatam immutandi?

Censemus negative esse respondendum, quia:

Fundamentum subiectionis Institutorum saecularium Sacrae Congregationi de Religiosis, quod est ipse status publicus perfectionis adquirendae, remanet immutatum;

Rationes ad hoc ius mutandum allatae non apparent validae ad effectum de quo agitur.

Fundamentum subiectionis Institutorum saecularium S. Congregationi de Religiosis, quod est status publicus perfectionis adquirendae immutatum remanet.

1° Status perfectionis adquirendae obtinetur, non per meram adspirationem ad altissimam sanctitatem neque per mera exercitia ascetica etsi numerosa et austera (v. g. parochus d'Ars);

— 43 —

sed effective et unice per authenticam professionem consiliorum evangelicorum gratia seu causa perfectionis christianae prosequendae et secundum normas ab Ecclesia hunc in effectum definitas factam in aliqua societate ab Ecclesia quoque hunc in finem erecta.

Vi huius professionis, persona, laicus vel sacerdos, vere transit in alium statum vel saltem alium statum assumit publicum, quo non est amplius simplex laicus, neque simplex sacerdos: sed talis in statu perfectionis.

Sine hac professione, nulla persona consequitur statum publicum perfectionis adquirendae in Ecclesia.

2° Licet in statu clericali ut tali, sanctissimi adesse possint et fuerint viri, licet clerici saeculares vivere possint et debeant secundum spiritum consiliorum evangelicorum, licet ipse Codex ipsis suppeditet efficacia media ad sanctitatem consequendam, non propterea autem clerici vel sacerdotes constituuntur in statu perfectionis: quia non profitentur Consilia evangelica secundum disciplinam ab Ecclesia ordinatam et constitutam tamquam propriam status publici seu ab ipsa iuridice recogniti.

Haec doctrina est omnino certa, a Pio XII expresse sequentibus verbis inculcata:

« Veritati absonum est », ait Pius XII, « asseverare clericalem statum, utpote talem et prout ex divino iure procedit, ob naturam suam vel saltem ob eiusdem naturae apostolatum quoddam exposcere, ut ab eisdem sodalibus evangelica consilia serventur et hac de causa debere aut posse statum evangelicae perfectionis (adquirendae) appellari » (Alloc. d. 8 dec. 1950: II).

3° Professio autem Consiliorum evangelicorum secundum disciplinam ab Ecclesia ordinatam et constitutam, non est in laico vel sacerdote aliquid mere accessorium in vita sua; sed, e contra, est acquisitio novi et stabilis modi vivendi qui integram eius vitam afficit et complectitur et ad finem specificum ordinat ideoque verum statum vitae constituit.

A fortiori id dicendum est de Instituto quod essentialiter ad hanc professionem consiliorum evangelicorum ordinatur a qua eius natura recipit determinationem et speciem substantialem et non mere accessoriam, uno verbo, veram figuram iuridicam.

Ideoque, recipi nequit id quod S. Congregatio Concilii, in suis votis ad Commissionem Antepraeparatoriam scripsit, scilicet, quod Instituta saecularia sint mere « fidelium associationes, licet qualificatae » (cf. Acta et Documenta: III, p. 196).

Professio perfectionis in iis, non est mera alicuius genericae associationis fidelium qualificatio accessoria; sed est substantia-

— 44 —

liter constitutiva ipsius associationis quae ad talem professionem essentialiter ordinatur.

4° Et haec est ratio fundamentalis eorum subiectionis S. Congregationi de Religiosis cui committitur universim status perfectionis adquirendae.

Et bene intelligitur quod ad aliquam associationem in via consiliorum evangelicorum tuto dirigendam et tuendam, requiritur competentia specializata: quae in hac S. Congregatione invenitur; non autem in aliis Dicasteriis quorum specializatio est diversa ut patet. Nemo enim ignorat quod specializatio est ratio fundamentalis attributionis diversarum competentiarum inter Dicasteria Romana; et ubi haec regula negligitur, est magnum periculum confusionis et damni.

Rationes contra hanc conclusionem allatae examinantur: Contra praecedentem conclusionem, afferuntur rationes quae vim habere videntur, saltem quando agitur de Institutis saecularibus sacerdotum dioecesanorum, de quibus hic sermo est.

1° *Prima ratio*: Licet Sacerdos dioecesanus, emittendo professionem Consiliorum evangelicorum transeat vere ad statum perfectionis, remanet tamen in statu clericali qui S. Congregationi Concilii subiicitur: ergo eidem remanere debet subiectus.

Respondetur:

— Clericus vel sacerdos Consilia evangelica profitens remanet in statu clericali: et consequenter remanet subiectus suo Episcopo in cuius dioecesi est incardinatus, et Sacrae Congregationi Concilii, quoad omnia quae ad statum clerici vel sacerdotis incardinati spectant.

Hoc omnino conceditur et in schemate nostro perfecte servatur.

— Sed Institutum saeculare cui talis clericus vel sacerdos adscribitur est status perfectionis, de se completus: et licet sit pro clericis et Institutum clericale, non confunditur cum statu clericali.

Sicut sodalitas Tertii Ordinis cui sacerdos saecularis incardinatus libere nomen dare potest, remanet sodalitas a statu clericali distincta cum consectario quod ipsa subiicitur S. Congregationi de Religiosis, non Concilii (cf. can. 251, § 1).

— Ideoque talis clericus et sacerdos duplicem obtinet subiectionem:

qua pertinens ad statum clericalem dioecesanum: subiicitur Episcopo et S. Congregationi Concilii, in iis quae ab eius incardinatione derivantur;

qua pertinens ad statum perfectionis: subiicitur S. Congregationi de Religiosis, in iis quae pertinent ad professionem consiliorum evangelicorum aliisque cum ea connexis.

— 45 —

2° *Secunda ratio contra*: Institutum saeculare etiam sacerdotum dioecesanorum essentialiter ordinatur ad apostolatum exercendum. Sed Apostolatus in Ecclesia exercetur specialiter sub competentia S. Congregationis Concilii: ergo eadem de causa, ipsum subiici debet eidem Sacrae Congregationi.

Respondetur:

— Verum est quod Institutum saeculare essentialiter ad apostolatum exercendum ordinatur, et quidem duplici sensu:

Sensu *positivo*: quatenus est eius ratio exsistentiae et veluti specificativa: ideoque in definitione quae invenitur in Lege Peculiari, art. 1, expresse hoc inculcatur: « Societates, clericales vel laicales, quarum membra, christianae perfectionis adquirendae atque apostolatum plene exercendi causa, in saeculo consilia evangelica profitentur.

Sensu *negativo*: quatenus iure vigenti, nequit dari Institutum saeculare unice contemplativum quod non devoveatur operibus externis apostolatus.

— Sed haec essentialis ordinatio ad Apostolatum minime destruit in Instituto saeculari statum perfectionis, cui adiicitur et quidem secundo ordine, ut habetur in praecitata definitione Legis Peculiaris: « ... christianae perfectionis adquirendae atque apostolatum plene exercendi causa ... ».

Ideoque, exigentiae status perfectionis etiam remanent quarum una est: subiectio S. Congregationi de Religiosis.

— De cetero, haec ordinatio ad Apostolatum, minime est exclusiva Instituto saeculari: est communissima omnibus Institutis religiosis et Societatibus vitae communis vitae activae seu operibus externis apostolatus deditis.

Est verum quod possunt esse Instituta religiosa, mere contemplativa: et in hoc ius religiosorum differt a iure Institutorum saecularium, ut supra notatur.

Sed Instituta religiosa vitae activae, etiam essentialiter ad Apostolatum ordinantur, et haec fuit etiam pro ipsis ratio determinans exsistentiae in Ecclesiae: hi status perfectionis conditi sunt precise, praeter perfectionem prosequendam, ad apostolatum exercendum; et licet apostolatus non sit de ratione con-

— 46 —

stitutiva status perfectionis ut talis, certo fuit motivum determinans exsistentiae Institutorum vitae activae.

Porro, haec tam necessaria ordinatio Institutorum religiosorum ad Apostolatum, minime impedit eorumdem subiectionem S. Congregationi de Religiosis et, quoad eorum activitatem, subiectionem diversis Dicasteriis competentibus.

Sic habetur:

Institutum religiosum: qua status perfectionis, directe et unice subiicitur S. Congregationi de Religiosis, in iis quae ad talem statum pertinent;

Sodales autem eiusdem Instituti, in muniis suis externis obeundis, dependent a diversis Dicasteriis:

i) qua Missionarii: dependent a S. Congregatione de Propaganda Fide;

ii) qua addicti sacro ministerio paroeciali, praedicationi, etc.: dependent a S. Congregatione Concilii;

iii) qua addicti Universitatibus ecclesiasticis: dependent a S. Congregatione de Universitatibus.

— Ergo, ita debet esse de Instituto saeculari sacerdotum dioecesanorum:

i) qua status perfectionis: Institutum a Congregatione de Religiosis pendet; et pariter sodales, in iis quae pertinent ad statum perfectionis;

ii) qua sacerdotes incardinati: ipsi pendent ab Episcopo et a S. Congregatione Concilii, in iis quae ab eorum incardinatione derivantur, et consequenter in apostolatu exercendo seu ministerio sacro dioecesano.

— Insuper: retineatur, ut pluries supra dictum est, Statum perfectionis Instituti saecularis sacerdotum dioecesanorum, minime contra eorum apostolatum positum esse; sed e contra, ita ordinarii ut huic apostolatui quam maxime faveat et quidem, secundum ordinem proprium apostolatus sacerdotis incardinati, qui exercendus est sub dependentia proprii Ordinarii.

Quod Pius XII profunde docuit in Motu Proprio *Primo feliciter* sequentibus verbis:

« Hic apostolatus, qui totam vitam complectitur, tam profunde ac sincere in his Institutis persentiri iugiter solet, ut, Divinae Providentiae ope atque consilio, animarum sitis et ardor non tantum occasionem vitae consecrationis dedisse feliciter, sed magna ex parte suam propriam rationem et formam imposuisse, mirumque in modum, finem, quem specificum appellant, genericum etiam finem exigisse atque creasse videatur » (Motu Proprio, *Primo feliciter*: II).

— 47 —

Conclusio: Neque apostolatus invocari potest ut valida ratio subiiciendi ipsa Instituta saecularia sacerdotum dioecesanorum S. Congregationi Concilii.

Huiusmodi subiectio magnum periculum gigneret reducendi haec Instituta simpliciter ad Associationes Apostolatus, cum amissione veri status perfectionis prout ab Ecclesia recogniti.

3° *Tertia ratio contra*: Illa est quae in ipsa tertia propositione affertur:

« Cum enim huiusmodi consociationes sint pro clero saeculari, et ad sanctificationem eiusdem cleri saecularis essentialiter ordinentur, congruum videtur ut earumdem suprema moderatio illi Sacro Dicasterio demandetur quod de disciplina ipsius cleri saecularis universim invigilat ».

Respondetur:

— Verum est quod ista Instituta sint pro clero saeculari et ad sanctificationem eiusdem cleri saecularis essentialiter ordinentur:

Sed ad sanctificationem adipiscendam, non per sola media communia omnibus clericis a iure imposita et quorum observantia remanet etiam sub dependentia proprii Ordinarii, ut supra dictum est.

Sed ad sanctificationem adipiscendam professione et observantia consiliorum evangelicorum secundum disciplinam pro statibus perfectionis constitutam: et quoad hoc dependent a Sacra Congregatione cui universim committuntur status perfectionis.

Sicut sine incommodo, sacerdos incardinatus Tertiarius non pendet a suo Ordinario in iis quae ad Tertium Ordinem spectant; ita sine incommodo, sacerdos Instituto saeculari adscriptus, non pendet a suo Ordinario in iis quae ad statum perfectionis spectant.

Conclusio: Neque haec ultima ratio allata est valida ad Instituta saecularia sacerdotum dioecesanorum subducenda competentiae S. Congregationis de Religiosis in favorem S. Congregationis Concilii.

Conclusio - De competentia Dicasteriorum

Supra expositis perpensis nulla est valida ratio mutandi ius conditum quoad subiectionem institutorum saecularium, etiam sacerdotum dioecesanorum, S. Congregationi de Religiosis, cuius subiectionis fundamentum, quod immutatum remanet, est ipse

— 48 —

status publicus perfectionis evangelicae cui ista Instituta perfectionis pertinent.

Quoad alias associationes quae ad statum perfectionis non pertinent de earum subiectione S. Congregationi nihil immutatur.

Sed, ut imprimis dictum est, neque convenit Concilio hanc quaestionem tractare (cf. supra Responsum: praeiudiciale).

AD ARTICULUM 14 (iterum)

I. *Observatio* - SÉPINSKI: « Pag. 11, lin. 9, melius definiatur hoc modo: « quod dependentiae ab Ordinario *loci* adversatur ».

Respondetur: Non placet. Nullum est periculum aequivocationis, cum Instituta saecularia exempta non sint. E contra addito verbi potest hic generare aequivocationem.

AD ARTICULUM 16

I. *Observatio* - YAGO: « Instituta saecularia non aggreganda sunt alicui religioni nisi Ordinarius permittat. Nam Instituta saecularia sunt ad apostolatum et dependent ab Ordinario. Instituta religiosa autem ad perfectionem membrorum suorum et dependent a Superiore religioso. Ideo paragraphus 16 abrogatur ».

Respondetur: i) Instituta saecularia sunt imprimis ad perfectionem christianam, professione consiliorum evangelicorum assequendam, instituta, necnon ad Apostolatus.

Dependentia ab Episcopo: ut supra amplissime dictum est, non debet esse nisi quatenus horum institutorum sodales ratione incardinationis et in muneribus exterioribus obeundis ab eo dependent; non quatenus ipse sit Superior Instituti.

ii) Sed aggregatio quaeritur maxime quoad vitam spiritualem fovendam; ad hoc nempe ut sodales, qui dispersi in saeculo vivunt, habeant auxilia et praesidia necessaria vel utilia ad propriam vitam spiritualem.

Ideoque haec aggregatio prodesse revera potest Institutis laicalibus, parum vero clericalibus. ...

Propterea, articulus non videtur abrogandus.

— 49 —

II

DE VOCATIONE RELIGIOSA

I. *Observatio* - LÉGER: « Nonne opportunum esset primo loqui de communi vocatione ad perfectionem cuius initium est baptismum, et postea de particulari vocatione religiosa, ita ut bene illustrarentur differentiae et relatione inter unam et alteram exsistentes ».

Respondetur: i) Si ageretur de Tractatu completo de Vocatione religiosa, oporteret certo aliquid praemittere, ad modum introductionis, de vocatione generali omnis baptizati ad perfectionem: « Estote perfecti sicut Pater Vester in caelis perfectus est ».

Sed agitur de vocatione religiosa in particulari ut eius specifica natura et quaedam eiusdem consectaria in memoriam revocarentur, et exinde practicae normae, pro vocationibus promovendis, instituendis et candidatis admittendis (de quibus in aliis schematibus) deducerentur.

Ideoque, adhaerendo criteriis supra in responso ad Primam Observationem statutis, Commissio voluit sobrie rem tractare.

ii) Si autem placuerit aliquid addere, possent hic referri verba Pii XII ad Congressum II de Statibus perfectionis, anno 1957.

II. *Observatio* - JULLIEN: « Placeret si unum et idem schema quod de utraque vocatione religiosa scilicet et saeculari; ageret, in veritate, in mutua aestimatione. Nam religiosi fovere possunt vocationes pro clero saeculari; et sacerdotes saeculares possunt et debent vocationes fovere pro Institutis religiosis virorum ac mulierum, et in specie pro mirabilibus illis fratribus et sororibus docentibus, quos quidam despiciunt sub falso praetextu actionis catholicae fovendae aut familiarum christianarum colendarum ».

Respondetur: i) Unum schema de vocatione, sive sacerdotali, sive ad statum perfectionis de se placet.

Sed tunc deberet esse integrum; et etiam continere ea quae spectant vocationem ad perfectionem universalem de qua in observatione praecedenti.

— 50 —

ii) Practice autem, forte quod erit difficile: quia plura consectaria quae in praesenti schemate habentur, et sunt necessario dicenda, locum invenire non possent in generali et communi tractatu de vocatione.

Quidquid hac de re decernatur, ea quae hic habentur non sunt praetermittenda, quia pro nostro tempore, valde opportuna. Accidit insuper quod, ob magnum hodiernum impulsum versus opera apostolatus, genuina natura vocationis religiosae, qua talis, facile negligi aut non faciliter intelligi possit, atque necessitas elucet specialis tractatus ad hoc.

Ad observationes particulares in singulos articulos

AD ARTICULUM 20

I. *Observatio* - DÖPFNER: « ... animaeque saluti et sanctificationi consulat ».

Videtur, quod hic « motivum salutis individualis », quae certe non est negligenda, nimis characteristicum habetur pro discernenda vera vocatione religiosa. Theologice salus individualis subsumitur gloriae Dei et plenitudini Christi mystici. Studia autem empirica demonstrant, quod saltem his nostris temporibus vocationes valde distinctae excellunt per motivum sociale: « servire melius saluti animarum », vel: « esse membrum magis vivum et activum Corporis Christi mystici ». Utrumque tamen motivum exprimi potest bene verbis ipsius S. Pauli Apostoli: « cogitare quae Domini sunt » (cf. I Cor. VI, 32).

Unde propono hanc mutationem faciendam in loco indicato: ... ut scilicet soli Deo placeat et « cogitet quae Domini sunt » (cf. 1 Cor. VII, 32).

Respondetur: Placet quod hic advertitur: minus autem formula proposita, quae non videtur satis respondere iis quae in observatione ipsa ponuntur de servitio proximi quaerendo. Observatio enim vocationem religiosam videretur magis in suis consectariis vel effectibus considerare practicis, quam in se uti facit textu schematis.

Ideoque sic haec ultima sententia emendari posset (lin. 21, pag. 4): « ... ut scilicet soli Deo placeat et Dei amore propriae animae et proximi saluti ac sanctificationi consulat ».

— 51 —

AD ARTICULUM 21

I. *Observatio* - O'CONNOR: « Mea humili opinione numerus 21 cautiorem expositionem requirere mihi videtur ».

Respondetur: Numerus 21 proxime adhaeret doctrinae Const. Ap. *Sedes Sapientiae* speciatim in parte II, ubi ex professo tractat de vocatione. Ideoque satis caute videtur rem exponere.

AD ARTICULUM 23

Observatio - CENTO: «Redactio melior fiat, ne videatur perfectionem et sanctitatem in saeculo attingi non posse ».

Respondetur: Non placet, quia hic agitur de norma practica ab ipsa natura vocationis derivata, non de generali notione vocationis de qua sermo fuit in responso ad Observationem generalem Em.mi Card. Léger.

Hic articulus, sicut ceteri, legendus est non tamquam seorsim exstans et propterea sufficiens sibi: sed in toto contextu de vocatione in hoc schemate exposita. Iam in art. 1 aliquid hac de re, saltem indirecte, innuitur; quod adhuc melius patebit, si praemittantur verba supra proposita adiungenda.

AD ARTICULUM 25

Observatio - RUFFINI: « ... dum adhuc facultas sit discedendi ». Non vocati aut non rite dispositi necesse est habeant semper facultatem discedendi ».

Respondetur: i) Distinguenda est facultas discedendi: iuridica, quae cuilibet professo competit, votis vel promissione expletis; et moralis qua tuta conscientia aliquis uti possit.

ii) Expleta temporaria professione: omnibus, ut dictum est competit facultas iuridica discedendi: non propterea autem competit facultas moralis, quatenus aliquis posset tunc imprudenter agere discedendo; prudenter autem, si advertat se non esse vocatum.

iii) Professione definitiva emissa (sive per vota, sive aliter) non suppeditat amplius facultas iuridica discedendi, etiam ei qui sentit se non esse vocatum: ut rite discedat, dispensationem a competente auctoritate obtinere debet, quin ad eam strictum ius habeat.

iv) Si vero advertat se errasse: inquantum possibile est, permanere debet in obligationibus susceptis, memor quod « Beni-

— 52 —

gnissimus Deus, hunc statum ingressos ita congruis copiosisque suae gratiae auxiliis prosequitur ut defectio a vera divina vocatione iuste damnetur » (cf. art. 26 ex Instruct. S. C. de Religiosis).

v) Id valet maxime si agatur de vocatione religiosa cum sacerdotio coniuncta et de ipsa vocatione sacerdotali, adeo ut Ecclesia valde sit reluctans sacerdotes ad statum laicalem reducere et multo plus, a lege coelibatu dispensare.

Cum proportione, affirmari potest de vocatione specifice religiosa: religiosus obligationibus post debitam probationem in perpetuum susceptis, remaneat fidelis, nisi reapse adsint nimiae difficultates quas ipse superare omnino non valeat!

Ad Articulum 26

I. *Observatio* - Siri: « In lin. 18 textus reformetur hoc sensu: caveatur periculo ut inde deducatur facilitas abeundi a statu religioso, seu a consecratione sui Deo facta ».

Respondetur: Placet hoc addere in fine, modo sequenti:

« ... vocatione iuste damnetur. Ideoque caveatur a periculo ne in mentem sodalium deducatur aliqua facilitas abeundi a statu religioso in perpetuum suscepto seu a consecratione perpetua sui Deo facta ».

II. *Observatio* - O'Connor: « Mea humili opinione numerus 26 " De obligatione perseverandi " cautiorem expositionem requirere mihi videtur ».

Respondetur: Videtur hic articulus pro rei veritate redactus: quomodo cautior esse posset?

Ad Articulum 27

I. *Observatio* - Léger: « In paragrapho 27 (vigesima septima) rapide recensentur causae deminutionis vocationum religiosarum. Credo quod, ad fructuosius examen situationis, enumerandae sunt aliae causae quorum aliquae penes ipsa instituta religiosa inveniuntur. Et hoc est cuiusdam momenti; quia Ecclesiae nocet non attendere ad omnes causas penuriae vocationum et perquirere responsabilitatem deminutionis vocationum tam religiosarum quam sacerdotalium in solis familiis, societate et ipsis individuis vocatis ».

— 53 —

Respondetur: Notandum est in hoc articulo agi non de causis defectionis a vocatione religiosa iam suscepta: quae utique numerosiores sunt et satis complete enumerantur (9) in Instructione S. C. de Religiosis ad Moderatores Supremos Institutorum d. 2 februarii 1961 data.

Sed de causis quae impediunt vocationes vel iisdem obstant, quarum saltem praecipuae sunt illae hic recensitae.

Posset tamen addi alia, ab Exc.mo DD. Cooray indicata, infra, Observ. V (pag. 55): quaedam negligentia parochorum in vocationibus promovendis; immo, modus procedendi illorum concionatorum et confessariorum, qui non satis exponunt pulchritudinem spiritualem vitae religiosae, eius aptitudinem ad perfectionem acquirendam, eiusque momentum in Corpore Christi mystico; et, quod confessarios spectat, quandoque germina vocationis religiosae enecant, iuvenes dissuadendo a sancto proposito.

Saepissime etiam deminutio vocationum religiosarum coincidit cum diminutione vocationum ad sacerdotium dioecesanum.

II. *Observatio* - Gracias: « a) Quaestio sub numero 27 schematis agitata (p. 6) est omnino fundamentalis. Em.mus Cardinalis Relator sic loquitur: Inter huiusmodi deminutionis causas proculdubio recenseri debemus: *a*) tum morum relaxatio in individuis, in familiis et in societate: *b*) tum hodiernae vitae affluentia, commoda et oblectamenta.

b) Mihi videtur istas causas, a Relatore expositas, etiamsi sint verae, non tamen sufficere ut deminutionem vocationum ad vitam religiosam explanent. E. g. in America hae causae praevalent, tamen vocationes tum virorum tum mulierum ad vitam religiosam abundant. In India, quamvis et ipsa subest talibus influentiis, numerus vocationum ad vitam religiosam de die in diem crescit.

c) Liceat mihi aliam causam huius deminutionis adnumerare, nempe deficientia ex parte Ordinum religiosorum, praesertim mulierum, sese adaptandi circumstantiis modernis in illorum modo vivendi, vestiendi, etc.

d) Quam ob rem, haec quaestio debet esse intensiori modo tractata ».

Respondetur: i) Scopus huius articuli, non fuit hoc argumentum, de deminutione vocationum, exhaustive tractare: quia sub hoc aspectu, esset potius locus alicuius Instructionis, sicut factum est pro causis defectionis, ut supra dictum est.

Sed tantum praecipuas enumerare, et sic habere fundamentum normae quae in fine edicitur: « Quapropter, seria conamina ... ».

— 54 —

ii) Aliae causae adsunt certo: si placet eas addere, nihil obstat: v. g. ut supra dictum est, negligentia parochorum in vocationibus inquirendis et promovendis; forte etiam tenuis conditio oeconomica familiarum quae auxilio filiorum indigent.

iii) Ad singulas observationes respondendo, liceat tunc addere:

Ad a) Iam provisum in dictis supra i) et ii).

Ad b) Non intenditur dicere quod istae causae semper producunt pravum effectum: dari possunt animae nobiliores et fortiores quae has difficultates vel obstacula superent; sed indubitanter plures sunt quae iis succumbunt.

Ad c) Haec causa adesse potest in variis casibus. Sed ex altera parte, diminutio vocationum notatur etiam in pluribus Institutis modernis quae melius forte etiam aptati sunt conditionibus modernis vitae et operae. De cetero, de institutis aptandis sermo est in Parte II Schematis.

III. *Observatio* - DÖPFNER: « Considerationes videntur aliquomodo nimis generales, praesertim in conclusione (inde a pag. 7, lin. 4). Propius ad argumentum forsitan accedere posset consideratio de spiritualitate familiae, nam familiae vere christianae sunt quodammodo seminarium vocationum, et de vita secundum " regula talentorum " (cf. Mat. XXV, 14-23), quia homines viventes secundum hanc regulam, i. e. in omnibus quaerentes " Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? ", iam magis sunt paratae ad respondendum vocationi divinae.

Unde propono addendum in fine huius paragraphi:

« Imprimis coniuges sancti et familiae sanctae formari debent, familia est quodammodo seminarium vocationum. Omnes autem christiani instanter monendi et instruendi sunt, ut vivant secundum " legem talentorum " (cf. Mat. XXV, 14-25): nam qui in omnibus rebus quaerit " Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? " habet cor paratum ad respondendum etiam vocationi religiosae, si Domino placuerit eum vocare ».

Respondetur: Ea quae hic dicta sunt placet. Sed quaeritur, an exhortatio ad familias christianas suscitandas et efformandas non pertineat potius ad aliquod Schema Commissionis «De disciplina cleri et populi christiani »?

Praeterea, locutio: « ... ut vivant secundum " legem talentorum " est satis insolita et parum perspicua, speciatim relate ad materiam de qua agitur: de vocationibus suscitandis!

Quapropter minus placet hoc novum incisum hic addere.

— 55 —

IV. *Observatio* - ALFRINK: « Si hic sermo est de seriis conaminibus ad vocationes augendas hoc paululum iuvabit, si conamina non describuntur ».

Respondetur: Hoc debet haberi non ut programma completum ad vocationes promovendas; sed ut monitum ad conamina facienda.

Qua ratione autem effective vocationes sunt promovendae, hoc fusius dicitur in capite speciali: « De vocationibus promovendis ».

V. *Observatio* - COORAY: «Hoc volo addere: defectus vocationum saepe saepius est ex incuria parochorum; nam est factum experientiae quod quaedam paroeciae dant multas vocationes: sed venit novus parochus et cessant vocationes ».

Respondetur: Provisum est supra.

Haec enim est causa deminutionis vocationum, licet potius negativa sed non minus perniciosa. Ideoque, addi posset ad art. 27 ut ibi indicatur.

VI. *Observatio* - ALTER: « Numerus absolutus vocationum religiosorum et religiosarum tum sacerdotalium apud fideles in Statibus Foederatis Septentrionalis Americae crescit propter peculiares conditiones hic vigentes; etiamque propter necessitatem novarum paroeciarum fundatarum in locis suburbanis ».

Respondetur: In Schemate, non dicitur deminutionem esse factum universale: e contra dicitur: « ... pluribus in locis ... », et pernotum est quod et quanta sint huiusmodi loca!

— 56 —

III

DE IPSA VITA RELIGIOSA RENOVANDA IN GENERE ET IN PARTICULARI

Ab observationes generales

I. *Observationes* - Wyszyński: § 1. « Minime videtur mihi necessaria ad bonum commune Ecclesiae, coartare exemptionem Religiosarum Congregationum ne oriatur "ghetto" in Ecclesia dioecesana: pro nunc temporis saepissime existit " Ecclesia religiosarum " in Ecclesia universali, inter quas magnum chaos existit.

§ 2. Munus Episcoporum erga Religiones et Congregationes maxime est dilatandum, praesertim quando dicitur de concordantia collaborationis in servitio pastorali. Visitatio omnium domorum religiosarum potius Episcopo dioecesano est committenda, quam Congregationi de Religiosis, vel membris eiusdem societatis, quod semper in vanum cadit.

§ 3. Praeparatio sodalium religiosorum ad opera pastoralia non est sufficiens, cum non cognoscunt theologiam pastoralem et leges liturgicas.

§ 4. Quoad paupertatem fovendam, experientia probatur, in nostris regionibus, subiectis guberniis atheistis, clerum saecularis melius se defendit contra tentationes inimicorum Ecclesiae, cum sit pauper, quam Congregationes Religiosae, quae falsa spe ductae, saepius componunt res cum guberniis, ne pereat substantia materialis Congregationum ».

Respondetur ad § 1: « De exemptione ».

1. In schemate « De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera exercenda » ab utraque Commissione de Episcopis et de Religiosis concordato, Commissioni Centrali proximo mense iunii subiiciendo, agitur inter alia de « exemptione Religiosorum ». Quapropter, caput speciale « De exemptione » quod in schemate generali de statibus perfectionis adquirendae suppressum est, ne « bis in idem » habeatur.

Responsum igitur ad hanc observationem *de exemptione* remitti deberet ad sessionem mensis iunii quando haec quaestio tractabitur.

— 57 —

Nihilominus ne mens Commissionis Centralis veluti suspensa maneat, aliquid hic dicitur.

2. Imprimis, iuvabit hic referre textum Art. 3 Schematis concordati (inter Episcopos et Religiosos) qui praesenti observationi Em.mi Principis virtualiter respondet.

« 3. (Tertium principium: *de exemptione Religiosorum*) ».

Romanus Pontifex vi « suae potestatis episcopalis ordinariae et immediatae in omnes et singulas Ecclesias et in omnes et singulos Pastores et fideles » (can. 218, § 2 C. I. C.) ad Seipsum, vel in Ecclesia Orientali ad Patriarcham, avocare potest Religiones, easque ab Ordinariorum locorum iurisdictione subducere.

Haec autem exemptio, nisi aliter expresse a Romano Pontifice statutum fuerit, non est absoluta et illimitata. Ipsa enim ordinem internum potissimum respicit quo melius in religionibus omnia sint inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu utantur, ac denique incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur (Leo XIII, Const Ap. *Romani Pontifices*, d. 8 maii 1881, Acta Leonis XIII, vol. II, 1882, p. 234).

Quatenus autem de « apostolatu agitur locali, qui adiutricem operam Ecclesiasticae Hierarchiae praestare debeat, prorsus necesse ut sine Episcopo nihil fiat » (Pius XII, Epist. ad Card. Valeri pro Congressu utriusque Cleri in Hispania, d. 20 sept. 1956: AAS, vol. XLVIII, 1956, p. 663), a sacris utriusque cleri administris, itemque a religiosis utriusque sexus sodalibus.

Idcirco, in singulis dioecesibus firma manet, ad normam iuris, subiectio Religiosorum Episcopi loci potestati « prout episcopale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt » (Pius XII, Alloc. d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII, 1951, p. 28), ita ut « sarta tecta sit dioecesana disciplina » (Leo XIII, Const. Apost. cit. ibid.).

3. Fundamentum exemptionis in praecitato textu perspicue et auctoritative indicatur: ex una parte quod exemptio fundatur in suprema potestate Romani Pontificis (can. 218) qua ipse valet fideles, proinde religiosos, a iurisdictione Episcoporum subducere eosque sibi immediate subiicere; ex altera parte inculcatur necessitas efficaciter consulendi stabilitati structurarum Institutorum, eorum vitae religiosae uniformitati iuxta eumdem spiritum a Fundatoribus datum et efficacitati eorumdem actionis apostolicae: quae omnia in Instituto per diversas dioeceses, regiones et continentes diffuso obtineri nequeunt nisi opera unius regiminis interni, quod a supremo uno regimine Ecclesiae dependet; et e

— 58 —

contra omnino periclitarentur si institutum diversis regiminibus particularibus Ordinariorum locorum quibus versatur subiiceretur.

« Pour l'état religieux, la juste indépendance des jurisdiction locales que lui assure la loi ecclésiastique, est *condition de vie ou de mort.* C'est la nature même de la société évangélique, démontrée par l'histoire, souvent douloureuse, de l'Eglise, qui exige qu'elle puisse vivre selon ses propres principes, si elle veut rendre autour d'elle les services que l'Esprit Saint et l'Eglise lui confient » (P. R. Carpentier, S. I., *Vocation Sacerdotale, vocation religieuse,* Etude, au Premier Congr. international des Vocations Religieuses, Rome, déc. 1961: cf. *Nouvelle Revue Théologique,* 1962, pag. 158).

Id perspicue et auctoritative docetur a Leone XIII, in citata Constitutione Apostolica *Romani Pontifices,* cuius ampliora verba hic licet referre.

« Ad regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt canonici iuris praescripta. Scilicet, quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est divina ordinatione constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur; tamen quo melius in Religiosis Ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni religiosae conversationis consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere ac suos cuique subditos sacra potestate regendos attribuere, Clerum Regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed quod earum domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas iure propter primatum pontificium immediate subesse oporteret, in Eius potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae » (Leo XIII).

In hoc textu non solum habetur fundamentum theologicum et iuridicum exemptionis; sed etiam eius magna utilitas et necessitas, etsi non absoluta, saltem vere moralis necnon eiusdem consentanea coartatio ut « sarta tecta sit dioecesana disciplina ».

4. Coartatio exemptionis, de qua in Observatione Em.mi

— 59 —

Principis, a Concilio Tridentino iam stricte definita, strictior evadit ipso Iure Codicis.

a) Est coartatio quoad Instituta: Iure vigenti exemptio de iure competit tantum regularibus (can. 615); ex indulto paucioribus Congregationibus (can. 618, § 1).

Unde haud recte dicitur in observatione: ... coartare exemptionem Religiosarum *congregationum* ... ».

Sane, omnes Congregationes iuris pontificii certa immunitate a potestate Ordinariorum locorum fruuntur (can. 618, § 2); sed licet eius fundamentum et necessitatis ratio cum fundamento et necessitate exemptionis coincidant, est radicaliter ab ea diversa neque cum exemptione confundenda. Insuper haec immunitas pontificia, in Institutis laicalibus, adhuc coartatur iuxta canones 618, § 2, 2°, 512, § 2, 3°.

b) Coartatio etiam habetur quoad obiectum, quatenus, ut dicitur in schemate concordato, exemptio « ... ordinem internum potissimum respicit » ita ut quatenus de « apostolatu agatur locali » ... prorsus necesse sit ut sine Episcopo nihil fiat » (cf. supra, pag. 2). Hoc evidenter patet considerando quod in Codice, adsunt plus quam quinquaginta Canones, quibus exempti expresse dicuntur subiecti Ordinario loci: 106, 6°; 337; 480; 497; 514; 533; 552; 609; 612; 621; 622; 686; 698; 703; 713; 714; 792; 831; 875; 876; 919; 956; 959; 1155; 1162; 1169; 1199; 1259; 1261; 1265; 1274; 1279; 1291; 1292; 1334; 1338; 1339; 1343; 1345; 1356; 1382; 1385; 1386; 1406; 1505; 1516; 1550; 1555; 1579.

c) Haec coartatio adhuc strictior fit in Schemate concordato ut videri poterit cum Commissioni Centrali praesentabitur.

5. *Responsum directum*: ad observationem: « ... necessaria ... coartare exemptionem religiosarum congregationum. ...

Resp. Ex supra expositis, videtur quod rationabilis coartatio iam habetur, tum iure vigenti, tum Schemate concordato proxima sessione mensis iunii examinando.

6. *Responsum ad rationem allatam*: «... ne oriatur 'ghetto' in Ecclesia dioecesana ». ...

Hac comparatione, insinuatur aliquod periculum, ut videtur, alicuius institutorum exemptorum segregationis qua ipsa fierent veluti aliena dioecesi.

Si talis est conceptus hic expressus, dicendum est fundamentum huiusmodi periculi non apparere.

Etenim:

i) Quoad ordinem externum: sodales institutorum etiam exemptorum in activitate sua exteriora seu muneribus externis

— 60 —

obeundis Ordinario loci, fere in omnibus, subduntur; maxime quoad opera externa apostolatus. Unde in hoc: nulla segregatio.

Immo, in schemate concordato, coordinatio eorum activitatis cum clero saeculari et aliis institutis, maxime inculcatur (cf. art. 4, 35, 36, 37, 39, 40, 41, 42).

ii) Quoad ordinem internum: verum est quod in sua vita propria, instituta religiosa, maxima ex parte, ab Ordinarii loci potestate subducuntur; sed in hoc merito assimilari possunt familiis naturalibus quibus certa intimitas cum regimine interno debetur, quin propterea tamquam alienae habeantur civitati.

De cetero, haec immunitas quoad ordinem internum, solide fundatur, ut supra vidimus.

iii) Neque, in domibus religiosis, etiam exemptis, Ordinarius loci habetur tamquam alienus, in alieno territorio.

Ipsi enim competunt plura quae facere valet ut Pastor in propria dioecesi:

a) valet contionari (can. 1343, § 1), pontificalia exercere (can. 337, § 1), sacramentum confirmationis ministrare (c. 792);

b) valet visitare exemptorum ecclesias vel publica oratoria (can. 1262, § 2); scholas externas, oratoria, recreatoria, patronatus, etc. (can. 1382);

c) valet peragere consecrationem loci sacri (can. 1155) et campanarum (can. 1169, § 5); altaris immobilis (c. 1199, § 2);

d) valet agere de causis spectantibus ad S. Officium (can. 1555) et de causis inter religiosas personas morales vel physicas diversae religionis (can. 1579, § 3); valet dirimere controversias de praecedentia collegiali inter religiosos (c. 106, 6°);

e) valet peragere examen voluntatis puellarum vel sororum ante noviciatum, primam professionem et perpetuam (c. 552).

Conclusio: his rationibus, conceptus de « ghetto » est valde temperatus et parum accommodatus; ideo expressio est omnino vitanda, tamquam inducens conditionem rerum quae reapse non existit.

7. *Ad adsertum*: « ... pro nunc temporis saepissime existit " Ecclesia religiosorum " in Ecclesia universali, inter quas magnum chaos existit ».

Respondetur: a) Quidquid sit de locutione « Ecclesia religiosorum », quae minus recta nobis videtur, factum cui alludit, scilicet circumscriptio determinata de regimine in Ecclesia universali non est exclusivum Institutis religiosis: ipsae dioeceses sunt eclesiae particulares in Ecclesia universali; similiter aliae circumscriptiones, ad earum similitudinem «iure ecclesiastico»

— 61 —

constitutae, ad quas ipse Leo XIII instituta exempta assimilabat (cf. supra).

b) Neque est accipiendum quod inter « ecclesiam religiosorum » et ecclesiam universalem existat « magnum chaos» .

i) Respectu supremae potestatis Ecclesiae: hoc nullum habet fundamentum ut patet; immo Religiosi exempti Romano Pontifici immediate ideoque peculiari modo de iure et de facto subiiciuntur.

ii) Respectu hierarchiae episcopalis: ea quae supra referuntur circa coartationem exemptionis, excludunt tale chaos inter instituta religiosa. et hierarchiam episcopalem.

Respondetur ad § 2: « Munus Episcoporum... etc. ».

Quoad primum incisum: « de munere Episcoporum dilatando ».

Respondetur: ea quae supra dicta sunt huic observationi respondere:

i) quoad ordinem externum institutorum; munus Episcoporum iam iure vigenti satis amplum, adhuc ampliatum est in schemate concordato, praesertim quoad opera apostolatus;

ii) quoad ordinem internum institutorum: nulla apparet valida ratio potestatem Ordinariorum in hoc ordine ampliandi; immo ut supra dictum est, nimius singulorum Ordinariorum interventus in uno Instituto per plures dioeceses, regiones et continentia diffuso, eiusdem structurae, vitae et operae graviter nocere potest (cf. supra, p. 59).

Quoad alterum incisum: « Visitatio omnium domorum... », etc. (cf. pag. 1).

Respondetur: i) Visitationes a Sacra Congregatione de Religiosis peractae vocantur proprio nomine « Visitationes Apostolicae »; sunt exceptionales, et tantum propter quamdam gravem emergentem causam indicuntur.

Nulla est ratio istas simpliciter committendi Ordinariis locorum, ut insinuatur in observatione, eo magis quod ipsi Ordinarii haud raro sunt veluti partes in causa, sive directe, sive saltem indirecte, per quamdam redundantiam.

ii) Non est possibile ut huiusmodi visitationes apostolicae regulariter fiant determinatis temporibus: evaderet onus possibilitatem omnino excedens.

iii) Visitationes vero a propriis Superioribus internis sunt regulariter peragendae iuxta Constitutiones.

— 62 —

Necessariae sunt: non tantum quia debent haberi visitationes; sed quia tales requiruntur quae a Superioribus internis fiant. Ipsi enim non solum institutum et personas melius cognoscunt; sed praesertim efficacius fovere possunt spiritum proprium Instituti cum et ipsi eodem sint imbuti: quod non verificatur in Visitatore externo. Insuper, informationes in visitationibus collectae maxime inserviunt recto regimini instituti. Quare sunt omnino retinendae.

Asseritur quod « semper in vanum cadit ». Hoc fieri potest in certis casibus; sed experientia universalis docet hoc non posse afferri tamquam regulam generalem. Etsi effectus visitationum non est semper ad abusus corrigendos, qui non ubique habentur, efficaces remanent ad disciplinam et regularem observantiam sustinendam, et ad multos defectus praecavendos et, ut supra dictum est, ad informationes colligendas Regimini Instituti valde utiles et necessarias.

iv) De visitationibus autem ab Ordinario loci peragendis:

a) Certo haec visitatio nequit simpliciter sufficere illas sive a Sacra Congregatione de Religiosis indictas, sive a Superioribus internis peragendas.

b) Can. 512 imponit Ordinario loci quasdam visitationes peragendas. Num semper regulariter ubique fiant? et quando Episcopus nequeat illas personaliter peragere, num mittat semper virum vere idoneum? Num istae visitationes semper fructu suos afferant?

Ex experientia, difficile est repondere simpliciter affirmative.

c) Plane percipiuntur difficultates pro Ordinario loci has visitationes peragendi; ideoque non videtur oportere illas ultra praescripta Codicis multiplicare.

Conclusio: Quin vigens disciplina de visitationibus mutetur, forte quod Concilium urgere possit ut regulariter et fructuose fiant, addendo aliquam clausulam, v. g.: ad num. 22.

22/B (Visitationes a Superioribus internis).

Visitationes domorum, provinciarum aliarumve similium Instituti circumscriptionum a Constitutionibus praescriptae a Superioribus regulariter peragendae sunt, sive per se, sive, permittentibus Constitutionibus, per suos delegatos inter personas vere idoneas selectos. Ad earumdem efficaciam tuendam et augendam, de exsecutione et observantia eorum quae occasione visitationis decreta fuerint Superiores competentes sedulo inquirant atque, prout opus sit, easdem urgeant.

(Visitationes Ordinarii loci).

— 63 —

Ordinariis locorum iniungitur ut visitationes domorum religiosarum a iure ipsis commissas fideliter peragant; atque si personaliter impediti sint, curent eas personis plane idoneis committere.

Responsum ad § 3: « Praeparatio sodalium... etc. ».

a) Etsi in praeparatione sodalium religiosorum ad opera apostolatus defectus advertantur, attamen hi non sunt exaggerandi qui, de cetero, etiam inter clerum saecularem notantur.

Permulti enim sunt religiosi apte praeparati qui validissimum Ecclesiae afferunt auxilium, speciatim ubi technicae « specializationes » requiruntur. Paroecias dirigunt, varia apostolatus opera promovent generatim cum competentia. In ipsis institutis pastoralibus magistri numero et aptitudine praestant, sicut etiam in diversis Curiae Romanae Consiliis quae ad apostolatum aliqua ratione spectant. Insuper inter scriptores de re apostolatus omnino praevalent sive libros edendo, sive periodicis collaborando.

b) Quo nonobstante, libenter recognoscitur necessitas hac in re ulterius progrediendi, quamvis hisce ultimis annis multum factum sit. Ad hoc providebit sectio secunda subsequens de « Alumnorum Institutione » sub triplici aspectu eorum vocationis religiosae, apostolicae, et, in institutis clericalibus, sacerdotalis.

Ideoque, studium huius schematis est exspectandum.

Responsum ad § 4: « Quoad paupertatem fovendam... ».

a) Videtur Em.mus Auctor Observationis insinuare quod dum ex una parte clerus saecularis est pauper, ex altera parte, Congregationes Religiosae non sint pauperes et ratio esset quia istae possessiones habent ad quas salvandas cum Gubernio persecutore componere debent.

Revera talis assertio non convincit.

i) Ex facto quod Congregationes religiosae possessiones habeant minime sequitur eas non esse pauperes; multo minus, huiusmodi possessiones non sunt eisdem imputandae in crimen vel delictum contra paupertatem.

Etenim, Instituta religiosa sunt Societates; domus earum exigentiis tum vitae communis sodalium, tum operum earum respondere debent; et hoc non est contra paupertatem, etiam si propterea hae domus sint amplae et variis subsidiis oeconomicis convenienter instructae.

De cetero, idem obtinet in mensis episcopalibus, in dioecesibus et paroeciis, quarum bona, plerumque conspicua, spiritum

— 64 —

evangelicum non offendunt dummodo necessaria vel utilia sint atque superfluam sumptuositatem excludant.

Id autem non impedit quominus singuli sacerdotes vere pauperes esse possint, sicut singuli religiosi de facto sunt; sed, ut patet, proposita comparatio inter clerum saecularem et congregationes religiosas retineri nequit.

ii) Certo quod Congregationes religiosae in suis possessionibus etiam necessariis excedere possunt et tunc paupertatem offendere. Quare est articulus 18 quo a Concilio inculcatur religiosa paupertas non in sola sodalium vita individuali servanda, verumtamen, etiam in tota collectivitate.

b) Id quod dicitur: « clerus saecularis melius se defendit contra tentationes inimicorum Ecclesiae ... »; non apparet certum immo non paucis saltem in casibus historice contrarium constat.

c) Dari potest quod Congregationes ad suas possessiones conservandas componere debeant cum guberniis persecutoribus.

De se, huiusmodi compositio est legitima cum Congregationes habeant ius et officium suas possessiones incolumes servandi, in bonum Ecclesiae tandem utendas.

Sed intra ambitum prudentiae et decentiae id faciendum est: hac de re, nulla generalis norma dari potest a Concilio, quod debet ad prudentiam et conscientiam Superiorum sese remittere.

Conclusio: Ex hac prima observatione generali, plura sunt prae oculis habenda in variis schematis articulis perpendendis; sed nulla inducitur textus mutatio, nisi placuerit acceptare novum articulum de Visitationibus propositum, qui poni posset post art. 22: tamquam medium generale aliquod ad renovationem efficiendam et firmandam.

II. *Observationes* - LÉGER: « Meum placet dabo cum aliqua haesitatione. Credo quod in textu proposito, praesertim agitur de revocatione aliquarum notionum et de admonitione contra periculosas novitates, potiusquam de *vera renovatione*. Notabo quod raro refertur ad Evangelium ut criterium renovationis, quod criteria proposita pro renovatione saepissime sunt negativa, et quod, timor et timiditas in multis paragraphis manifestentur quando Ecclesia potius necessitatem habet sanctae audaciae ».

Ad: « *Meum placet dabo ... de vera renovatione* ».

Respondetur: a) Omnes recognoscunt quod in praesens, non agitur de reformatione status perfectionis, sicut tempore Concilii

— 65 —

Tridentini quo de vera reformatione Regulariam et Monialium (Sessione XXV) agebatur. Sed de renovatione potius in melius.

Hic terminus alicui Membro Commissionis Centralis adhuc apparet aliquatenus exaggeratus: « Forte loco renovationis » vitae religiosae et aliarum similium vocuum, aliae mitiores expressiones adhiberi debent, ne acatholicis ansa praebeatur insimulandi instituta perfectionis acquirendae quasi ea a pristino fervore omnino deciderint » (Concha).

b) Commissio autem de Religiosis retinuit terminum « renovationem » tamquam aptissimum, de cetero commendatum a Primo Congressu de Statibus perfectionis (1950), cuius thema generale sic sonabat: « De accommodata renovatione quoad statuum perfectionis professionem ».

Sed cum nulla reperiatur huius vocis precisa definitio, Commissio curavit edicere quo sensu illa adhibetur in schemate (art. 5). Et reapse: in genere, renovatio dicitur de aliqua re in qua inducitur aliquid novi: quod dupliciter obtineri potest:

i) per restaurationem alicuius formae decursu temporis amissae, redeundo proinde ad pristina;

ii) per innovationem formae antea numquam habitae. Haec innovatio autem, in casu Institutorum status perfectionis non fit propter se; sed ad hoc ut res novis externis exigentiis aptetur.

Ideoque tunc proprio nomine hic dicitur accommodatio rei praesentibus adiunctis temporibus quibus certa ratione est commensuranda.

c) Renovatio autem in schemate inducta, non est iudicanda tantum ex praesenti schemate de accommodata renovatione vitae religiosae; sed ex integra parte secunda totius schematis, ut notavit Em.mus DD. Jullien: « Expectentur cuncta de religiosis proponenda, praesertim de relationibus inter Episcopos et religiosos, ita ut videatur utrum et quatenus praesens schema cum sapientibus animadversionibus subiiciantur Concilio, an locum dent Instructioni Sanctae Sedis ».

d) Praesens schema cum directe versetur circa ipsam vitam religiosam est indole magis asceticum quam iuridicum vel disciplinare, et propterea renovationes vel innovationes sunt minus apparentes.

Attamen ea omnia quae spectant ad vitam interiorem et ad tria consilia evangelica sunt magni ponderis et tendunt ad veram renovationem hac in re efficiendam.

Ad: « ... *raro refertur ad Evangelium ut criterium renovationis* ».

— 66 —

Respondetur: i) In Evangelio habentur fundamenta status perfectionis; non vero normae particulares de eo, quae potius proveniunt a Magisterio Ecclesiastico, a quo status perfectionis canonice est ordinatus. Quare, parum refertur ad Evangelium: cum hic agatur de normis particularibus, et multum ad magisterium Ecclesiasticum: ut patet ex variis notis in calce paginarum.

ii) De cetero, omnes sciunt difficultatem practicam aliquem textum scripturisticum adducendi, secundum *proprium sensum litteralem*. In aliqua libera oratione, faciliter citantur textus scripturistici saltem sensu accommodato vel analogico; in textu Conciliari, doctrina et normae vitae fundari debent in sensu litterali fontium, etiam si agatur de Sacra Scriptura.

Certo plures textus scripturistici afferri possent pro diversis articulis; sed qui habent potius sensum generaliorem, quin specifice spectant ad statum perfectionis: ideoque eorum usus esset fere abusus. Si autem quidam suggerantur, qui reapse ad rem pertinent, libenter accipientur.

Ad: « ... *quod criteria proposita pro renovatione saepissime sunt negativa* ».

Respondetur: i) Certo adsunt criteria negativa, et necessario: nam omnis renovatio status perfectionis intra debitas limites contineri debet, sive quoad finem et structuram institutorum, sive quoad spiritum proprium a proprio Fundatore hereditate legatum.

ii) Sed adsunt etiam criteria positiva quae impellunt sive ad restaurationem praeteriti: ubi opus est, sive ad accommodationem temporum nostrorum adiunctis, ut v. g. art. 8, 9, 11, 21. Immo, consulitur innovatio finis Instituti quando hic « nullam amplius vel parvam habeat utilitatem » (art. 7).

Haec indoles positiva criteriorum adhuc magis perspicua apparebit in sequentibus schematibus, praesertim in schemate concordato de rationibus inter Episcopos et Religiosos.

Ad: « ... *et quod, timor et timiditas in multis paragraphis manifestentur quando Ecclesia potius necessitatem habet sanctae audaciae* ».

Respondetur: i) Ecclesia certo hodie impellit sanctam audaciam ut animae periclitantes subveniantur. Sed simul commendat cautelam ne audacia evadat temeraria; et non desunt exempla quibus ipsa audaces formas apostolatus repressit, quia prudentiam excedentes.

— 67 —

ii) Commissio prae oculis habuit innovationes esse continendas intra limites a Magisterio Ecclesiastico sapienter definitos: forte quod hic modus agendi appareat tamquam timiditas?

iii) Forte circa quaedam argumenta expectabatur profundior innovatio, puta, quoad accessionem Fratrum docentium ad Sacerdotium! Sed ut videbimus, occasione data, huiusmodi argumenta nondum ad sufficientem maturitatem devenerunt ut *tuto* in Concilio definiri possent.

iv) Circa istam quaestionem de audacia utenda et temperanda, Pius XII haec verba habet:

« Dilectissimi Nobis, volumus etiam breviter attingere de studio religiosorum Institutorum mutatis temporibus sese accommodandi et pulchro foedere simul nova et vetera iungendi.

Si iuvenes haec audiunt " oportet nostrae esse aetatis ", " oportet ausus nostros aetati nostrae aequare " insolito animi ardore flammescunt et, si religiosae militiae sub signis merent, eo summopere cupiunt futuri religiosi laboris molimina convertere. Quod quidem aliqua ex parte aequum est. Plerumque enim contigit, ut legiferi patres religiosorum Institutorum novum suum excogitarent opus, quo emergentibus neque moram patientibus Ecclesiae necessitatibus vel muneribus occurrerent; itaque cum suo tempore sua exaequabant incepta. Quodsi vultis patriis insistere exemplis, eo modo quo ipsi se gesserunt, ita et vos agite. Aequalium vestrorum inter quos vivitis, scrutamini opiniones, iudicia, mores et, si ibi particulae boni et iusti inveniantur, pretiosis hisce elementis potimini; aliter eos collustrare, iuvare, sublevare, ducere non valetis.

At est Ecclesiae patrimonium, quod iam ab eius primordiis indemne est, quod labentibus aevis non variatur, humani generis necessitatibus et votis congruentissimum, pars eius praecipua catholica fides est, quam quidem contra nova pericula recens quoque per Encyclicas Litteras *Humani generis* Nos tutati sumus Quam, nullo temeratam naevo, diligentissime servantes, hoc persuasissimum habete ei inesse perquam pollentes vires, quibus quodlibet valeat informare aevum. ... Id autem nullo modo ea, quae mutantur, tempora mutant » (Alloc. ad Congr. Int. de Stat. Perf. 1950: V).

III. *Observatio* - Cooray: « De obligatione fundamentali, nempe semper tendendi ad perfectionem christianam, oportet ut aliquid magis expresse dicatur ».

Respondetur: a) De hac obligatione tendendi in perfectionem sermo est ex professo in prima parte doctrinali de Statibus

— 68 —

perfectionis, ubi eiusdem elementa theologica et iuridica exponuntur.

b) Hic autem Commissio noluit de ea explicite loqui. Quia nota est controversia inter theologos et canonistas, an obligatio tendendi ad perfectionem sit distincta ab obligatione observandi consilia evangelica necne?

Quaestio nondum est matura ut tuto definiri possit a Concilio; ideoque, de ea implicite sermo est in consiliis evangelicis observandis, quae precise, ut dicitur, causa perfectionis christianae adquirendae suscipiuntur, praeter communia praecepta.

IV. *Observatio* - BAZIN: « Il y a beaucoup de critique contre les Ordres Religieux, surtout du fait qu'ils ne s'adaptent pas aux conditions et besoins présents ».

Respondetur: Integra Pars Secunda totius schematis, « De renovatione vitae et operae in Institutis status perfectionis adquirendae » ad hoc scopum desideratum directe confert.

Attamen, cavendum est ne omnia quae hodie instituti religiosis hac in re improbantur (« les critiques ») tamquam normae renovationis habeantur: plura parum fundantur vel exaggerantur et tendunt ad instituta conformanda saeculo, potius quam ad hoc ut in saeculo remaneant testimonia Evangelii Christi. Quare regula sequenda illa est a Pio XI supra data: « Aequalium vestrorum, inter quos vivitis, scrutamini opiniones, iudicia, mores et, si ibi particulae boni et iusti inveniantur, pretiosis hisce elementis potimini; aliter eos collustrare, iuvare, sublevare, ducere non valetis » (Alloc. 1950).

De cetero a Concilio normae expectandae sunt tantum pro defectibus corrigendis satis universaliter diffusis, qui non sint mere particulares alicui instituto vel loco.

V. *Observatio* - SUHR: « Videtur restituendus loquendi modus de " statu perfectionis " singulari, potius quam plurali numero ».

Respondetur: a) Iure vigente tres sunt status perfectionis ab Ecclesia distincte recogniti: Religiones, seu Instituta vitae communis cum votis publicis; societates vitae communis sine votis publicis; et Instituta saecularia, in saeculo, sine votis publicis, consilia evangelica profitentia.

b) Usus vocis « status » in singulari vel in plurali dependet a contextu: Quando adhibetur generice: singulariter tunc adhibetur: sic dicitur generice « status perfectionis », per oppositionem ad statum clericalem, vel « institutum status perfectionis », i. e. huius generis.

— 69 —

E contra quando adhibetur collective: tunc pluraliter adhibetur: ita saepe: sodales statuum perfectionis, ad indicandum quod tres species includuntur.

Talis est regula schematis.

Ad observationes particulares in singulos articulos

AD ARTICULUM 1

Observatio - LÉGER: « In par. 1, aliqua enumeratio datur de institutorum finibus quamvis non sit scopus ipsius paragraphi. Forsan ibi non est locus talis enumerationis. Sed si habetur credo quod debet esse completa. Et tunc dicendum est quod sodales illorum institutorum prosequuntur gloriam Dei; insuper dicendum est quod non solummodo utilitatem afferunt Ecclesiae et societati civili sed etiam in servitium sunt Ecclesiae et hominum ».

Respondetur: a) In praesenti schemate non agitur de doctrina status perfectionis; sed de eius disciplina in renovatione peragenda.

Quare, neque intenditur dari completa definitio status perfectionis; id fit in Prima Parte schematis quae est doctrinalis; sed hic revocatur succincte id quod ante magis complete traditur, prout necessarium ad excellentiam institutorum ostendendam. Ideoque, non omnia elementa necessaria hic enumerantur nec enumeranda sunt.

b) Attamen notandum est apostolatum externum non esse, de se, finem essentialem et primarium omnis vitae religiosae, sicut quidam autumare videntur. In hoc enim differt vocatio sacerdotalis a vocatione religiosa quod prima tendit ad alios et exsistit « pro hominibus, in iis quae sunt ad Deum », dum altera prosequitur consecrationem ipsius personae Deo rebusque divinis. Distinctio haec non raro oblivioni datur, ita ut saepe vita religiosa consideretur tamquam simplex medium ad apostolatum exercendum.

Licet autem vi status perfectionis non teneantur ad opera externa apostolatus, attamen quamplurima instituta illa suscipiunt exercenda, et omnes, saltem apostolatu orationis, bonum proximi procurant.

c) Certum est instituta status perfectionis esse « in servitium Ecclesiae et hominum », non solum quia sunt in Corpore

— 70 —

Mystico Christi partes integrales; sed quia, unumquodque secundum propriam indolem et vocationem, in aedificationem Corporis Christi adlaborant: id specialiter inculcatur in schemate concordato utriusque Commissionis de Episcopis et de Religiosis, circa apostolatum religiosorum.

In praesenti articulo simpliciter revocatur factum quod instituta reapse in servitium fuerunt « Ecclesiae civilique societati, quibus tantam per saecula attulerunt et adhuc afferunt utilitatem ».

Si autem placuerit aliquid innuere de eorum vocatione ad apostolatum, verba sequentia addi possent ad lineam 8:

« ... et saluti consulunt, sed, unusquisque secundum proprii Instituti indolem, universae Ecclesiae civilique societati inserviunt quibus tantam per saecula ... ».

AD ARTICULUM 2

I. *Observationes* - LIÉNART: « Dubito num sit opportunum tractare (numero secundo, pagina octava) de speciali praestantia Institutorum vitae contemplativae monasticae. Quaestio enim controvertitur et S. Thomas ipse aliter sentit quando scribit in II. II.: " Sic ergo summum gradum in religionibus tenent, quae ordinantur ad docendum et praedicandum. Quae et propinquissimae sunt perfectioni Episcoporum. ... Secundum gradum tenent illae quae ordinantur ad contemplationem " ».

Respondetur: a) Ut clare appareat intentio Commissionis circa sensum huius articuli, haec notare debemus:

Commissio non intendit hic aliquam comparationem instituere inter diversas formas vitae religiosae, contemplativae, activae et mixtae, et multo minus praemium huius comparationis attribuere vitae contemplativae.

Sed voluit tantum promovere vitam contemplativam, ne ob impulsum universalem qui hodie omnes, fere indiscriminatim, impellit ad apostolatum activum seu ad opera externa apostolatus, negligatur vita unice contemplativa, quae ut talis habet suam partem in Ecclesia propptereaque semper florere debet.

b) Ideoque, ad omnem ansam aequivocationis tollendam, hic articulus parum emendari posset modo sequenti:

— 71 —

Ad titulum: *dicatur*: *De Institutis vitae contemplativae monasticae fovendis.*

Ad textum, dicatur: « Nonobstante gravi hodierna necessitate intensioris apostolatus, retinendum est instituta vitae unice contemplativae specialiter habere rationem exsistendi in Ecclesia, cui « perpetuum decus exstant et caelestium scatebra gratiarum ».

« Etenim, etc. ... ».

Hoc modo clare dicitur haec instituta vitae contemplativae non simpliciter aliis praestare, sed suam specialem habere missionem, quam proinde oportet tueri.

Formula simplicior sed minus perspicua proponitur ab Eminentissimo Browne: « Speciali autem honore et aestimatione habentur Instituta vitae contemplativae in Ecclesia » (cfr. *Observationes*).

c) Quoad tripartitam divisionem Institutorum in Instituta: vitae contemplativae, activae, et mixtae, non est uniformitas doctrinae inter Auctores, et plerumque eorum expositiones carent claritate et ansam praebent variis contestationibus. Dum enim alii insistunt in elementis theologicis prout maxime inveniuntur in Summa Theologica S. Thomae, alii censent, et merito, attendenda esse elementa iuridica seu canonica, praesertim post Constitutionem Apostolica *Sponsa Christi,* quae aperte loquitur de « vita contemplativa canonica », et doctrina Pii XII, in suis allocutionibus radiophonicis ad Moniales, qui eamdem « vitam contemplativam canonicam », prout a contemplatione interna et theologica distinctam, ex professo explanavit.

d) Res cum ita sint, Commissio censuit non posse aperte loqui de triplici divisione vitae in activam, contemplativam et mixtam, quin simul daret amplam explicationem: quae posset invenire locum in aliqua Constitutione, non autem in Decreto conciliari; quare prudenter ab hac divisione abstinuit, et multo magis, ab omni comparatione instituenda inter has tres formas vitae perfectionis.

Tantum, ne omnia porta clauderetur, huic tripartitae divisioni voluit alludere, referendo propria verba Pii XII ex Encyclicis Litteris *Mystici Corporis Christi,* desumpta, quae sic sonant:

« Prout illi qui evangelica consilia amplexi sunt, vel operosam inter homines (vitam activam), vel umbratilem in silentio (contemplativam) vitam agant, vel utrumque (vitam mixtam) pro peculiari instituto suo efficere contendant ».

Haec videri poterunt in Schemate Primae Partis.

— 72 —

II. *Observatio* - Léger: « Utrum non haberetur locus in schemate determinare orientationes diversas quas habere debent vocationes contemplativae et vocationes mixtae. Credo quod haec determinatio multum adiuvaret ad restaurationem et accommodationem, quod est propria materia schematis, specificandam ».

Respondetur: a) De tripartita divisione vitae contemplativae, activae et mixtae iam actum est in Responso praecedenti.

b) Certo quod accommodatio aliter et aliter est facienda in institutis vitae contemplativae et institutis vitae activae vel mixtae: et id sufficienter iam inculcatur cum repetitis vicibus dicitur eam faciendam esse servato fine et spiritu proprio cuiusque Instituti. Insuper, in schemate concordato (ab Episcopis et Religiosis) specialiter sermo est de accommodatione relate ad apostolatum exercendum sub regimine Episcoporum.

Quare non videtur hic plus esse addendum.

Ad Articulum 7

Observatio - Liénart: « Quoad accommodationem hic proponuntur criteria fundamentalia, et in decreto sequenti iudicabuntur mutationes quae fieri possent ad vitam institutorum necessitatibus huius temporis magis adaptandam, sine detrimento ipsius vitae religiosae. Sed cui incumbit opus huius accommodationis? Superioribus et Praesulibus respondetur in textu. Et quis illos adiuvare possit ad hoc opus periculosum feliciter complendum? Sola nominatur Sacra de Religiosis Congregatio. Nihil dicitur de Episcopis qui tamen munus habent vigilantiae super Congregationes illis commissas et qui, omnium debitores sunt, de animabus a Deo electis et Deo consecratis praesertim solliciti esse debeant. Ad Superiores adiuvandos in opera renovationis et accommodationis Institutorum suorum, proximi sunt et multum facere possunt.

Quapropter enixe peto ut in praesenti Decreto munus Episcopale erga Congregationes non omittatur et Episcopis commendatur ut formationi doctrinali, liturgicae et biblicae in Noviciatibus et Institutis sedulo vigilent, ut de apostolicis operibus in dioecesi vigentibus Congregationes instruent et conatus illorum, ad accommodationem praescriptam patrandam, inspirent et dirigant, ad mentem Sanctae Synodi et Sacrae de Religiosis Congregationis ».

Respondetur: a) Indubium est accommodationem Institutorum ad proprios Superiores et Capitula generalia (art. 4, 8) pertinere, sub moderamine S. Congregationis de Religiosis cui etiam pertinet dare necessarias instructiones.

— 73 —

b) Quodnam est munus episcoporum hac in re: ut petitur in Observatione?

i) Certum est, ut advertitur, quod Episcopi « munus habent vigilantiae super Congregationes illis commissas et qui, omnium debitores sunt, de animabus a Deo electis et Deo consecratis praesertim solliciti esse debeant. Ad Superiores adiuvandos in opera renovationis et accommodationis Institutorum suorum, proximi sunt et multum facere possunt ».

Hoc principium in memoriam revocabitur art. 119: « De adsistentia spirituali sodalium statuum perfectionis ».

ii) Ad opus accommodationis autem Institutorum quod attinet:

— Imprimis consiliis Sacri Praesules utiliter adiuvare possunt.

— In Institutis iuris dioecesanis, etiam auctoritative intervenire valent cum ad eos spectet approbatio Constitutionum quibus variae accommodationes congruenti modo induci debent, ut explicite docetur in art. 24.

— In Institutis iuris pontificii autem interventus auctoritativus dari nequit, propter duplicem principalem rationem:

Prima ratio: agitur de institutis interdioecesanis, per unam vel plures regiones diffusis, et frequentissime internationalibus.

Ut supra ample dictum est loquendo de exemptione, haec instituta non possent, sine gravi detrimento eorum internae structurae, disciplinae et efficacitati operis ab auctoritate singulorum Episcoporum in accommodanda vita religiosa dependere, quia ipsa eorum auctoritas diversis modis ut plurimum exercebitur. E contra, perfecta unitate in regimine indoli et spiritui Instituti plane aptato indigent. Id vero obtinetur ipsa interna Superiorum potestate sub moderamine S. Sedis constituta, qua, ut aiebat Leo XIII « melius in religiosis Ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur ». Hoc non tantum pro habituali Instituti gubernatione evidenter valet, sed maxime pro Constitutionibus aliisque codicibus accommodandis, e quibus ipsa profluunt Instituti vita et opera.

Altera ratio: Iam dictum est, et iuxta art. 24 sequentem, ut hac exoptata accommodatio « pleniorem obtineat effectum, oportet omnino institutorum Constitutiones, " Directoria ", "Consuetudinaria ", ut aiunt, aliosque id genus codices quibus hae leges

— 74 —

(peculiares) continentur, explicantur et applicantur, hominum et temporum ingenio et necessitatibus congruenter aptari » (art. 24).

Porro Constitutiones istae a S. Sede sunt formaliter approbatae, propterea auctoritati Ordinariorum locorum subductae (can. 618, §2, 1°); proportionaliter dicendum est de aliis codicibus qui licet a S. Sede formalem approbationem non receperint, attamen iuxta constitutiones ab Eadem approbatas, sunt redigendae eiusque iudicio submittendae.

Insuper hae rationes maiorem adhuc vim obtinent si consideretur quod non possent faciliter omnes Ordinarii locorum ubi Institutum domus habet intervenire, ut supra ostensum est. Sed neque Ordinarius loci ubi domus princeps Instituti exstat sibi prae aliis attribuere valet aliquam hac in re specialem competentiam. Etenim, iuridice, nullam potestatem specialem habet; et practice, id quo ipsi videretur utile vel necessarium relate ad propriam dioecesim, non necessarium vel minus conveniens aliis Ordinariis apparebit.

iii) Ideoque munus episcopale circa Institutorum accommodationem est:

a) pro Institutis iuris dioecesani intra limites propriae dioecesis contentis, Ordinarius loci potest pro sua prudentia etiam auctoritative intervenire, servatis servandis, nisi agatur de rebus S. Sedi reservatis;

b) pro Institutis iuris pontificii: Consilios Superiores adiuvare possunt Ordinarii locorum, non autem auctoritative intervenire;

c) ad institutionem alumnorum (de qua in altera parte observationis) quod attinet:

i) de hac re, ex professo agitur in schemate subsequenti: de institutione alumnorum, et in particulari, art. 45.

ii) Hic dici potest quod institutio alumnorum maxime pertinet ad ordinem internum Institutorum, qua alumni ad propriam vitam Instituti degendam et propria opera exercenda secundum proprias leges iam rite approbatas et secundum spiritum Fundatorum efformantur.

Unde ea quae in genere postulant pro institutis certam subductionem ab auctoritate locali, a fortiori valent pro alumnorum formatione, facta quidem distinctione inter Instituta mere dioecesana, et alia iuris pontificii, ut supra dictum est.

iii) De cetero S. Sedes, tramite S. Congregationis de Religiosis ample providit pro institutione clericorum religiosorum ut integra habeatur sub triplici eorum respectu vocationis religiosae, clericalis et apostolicae (Statuta Generalia Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* art. 1); et rite impertiatur ab idoneis Moderatoribus, Praefectis et Magistris. Id praevidetur facturum etiam pro Institutis laicalibus tam virorum quam mulierum.

— 75 —

iv) In schemate sequenti, de alumnorum institutione, speciatim dicitur: « Normae vero quae de alumnorum institutione hic traduntur, non tantum clericos spectant, sed, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliter constet, ceteros quoque sodales utriusque sexus instituendos, monialibus non exclusis, quibus omnibus pro subiecta materia debitaque cum proportione applicandae sunt » (art. 44).

Ea specialia obiecta de quibus in Observatione (formatio doctrinalis, liturgica et biblica) practice sub una alterave forma inveniuntur in praescriptis Schematis sive de Institutione, sive etiam aliis in locis.

AD ARTICULUM 8

I. *Observatio* - GRACIAS: «In p. 10 sub numero 8, ubi criteria circa « Accommodationem » data sunt, omnino perspicue notari debet nihil posse fieri usquedum illae congregationes antiquiores in istam rem initium faciunt. Sed valde dolendum est istas congregationes antiquiores nimis tardes sunt ad hanc initiationem faciendam; semper litteram Regulae pro spiritu confundentes; seipsas numquam interrogantes quomodo fundator vel fundatrix congregationis egisset si ille vel illa congregationem hodie instituisset».

Respondetur: a) Ea quae hic observantur ad ordinem executivum potius pertinent quam legislativum.

Dum legislatio propria est Concilii, executio reservatur S. Sedi per competentia dicasteria providenda.

Certo etiam post Concilium, S. Sedes procurare debebit ut Decreta Concilii ad effectum deducantur, datis convenientibus interpretationibus, instructionibus et ubi opus erit, monitionibus et praeceptis.

b) In Schemate autem renovatio imponitur omnibus indistincte:

— In praesenti articulo 8: « Ea vero quae ... de essentia vitae religiosae (non sunt) ... diligenti prudentique disquisitioni a Superioribus et Capitulis subiiciantur et si expediat, accommodentur ».

— Speciatim renovatio commendatur pro habitu religioso etiam in Institutis existentibus, non tantum illis condendis (art. 41).

— 76 —

— Adhuc fortius pro constitutionibus renovandis, etiam illis ab ipso Fundatore exaratis, vel venerabili traditione commendatis (cfr. art. 28).

Igitur: ad S. Sedem pertinebit urgere exsecutionem istorum decretorum etiam apud antiquas Congregationes vel Ordines, si necessarium fuerit.

AD ARTICULUM 9

Observatio - GODFREY: « In pagina decima numero nono, agitur de usu inventorum modernorum technicorum. Res est magni momenti. Radiophonicae diffusiones sine dubio optima continent sed mixta malis.

Si introducuntur Radiophonium et Televisio in domibus religiosis, magna vigilantia a parte Superiorum requiretur.

Religiosi in opera educationis occupati multa possunt audire et videre ad eorum et alumnorum profectum; sed sunt res diffusae per Televisionem et Radiophonium quae certe offendunt et scandalum afferunt.

Superior debet omnia regulare et instrumentum claudere. Quod si non facit, non solum corda iuvenum et ipsius Superioris sordescent, sed eius praesentia occasio erit scandali iuvenibus eius curae a parentibus commissis ».

Respondetur: a) Omnes recognoscunt momentum practicum horum mediorum communicationis socialis, quae universam societatem hodiernam pervasit, afferendo cum oblectamentis, etiam veras utilitates; sed infeliciter cum bonis, plurima mala.

Attamen nostra Commissio sollicitata est a Secretariatu de mediis communicationis socialis ut aliquid in nostro schemate hac de re diceretur: et merito quidem, quia ipsi religiosi harum rerum influxum penitus effugere nequeunt; ideoque usus non est simpliciter supprimendus, sed sapienter moderandus.

b) Hic autem, in praesenti articulo 9, agitur non tantum de Televisione et de Radiophonio; sed in genere de technicis modernis quae complures habent utilitates: inde datur hic norma ad earum usum intra debitas limites temperandum; quae norma, sub aspectu paupertatis iteratur in art. 19.

c) Quoad autem televisionem et radiophonium, specialiter agitur in art. 58: « De institutione circa media technica communicationis socialis ».

Inter alia, opportune ibi iniungitur ut sodales status perfec-

— 77 —

tionis « ... de momento et usu horum mediorum rite instruantur et opportune praeparentur ad hoc genus apostolatus ».

Igitur: ad prudentiam superiorum pertinebit normas a Concilia datas ad effectum deducere sub moderamine S. Congregationis de Religiosis, quae iam instructionem hac de re dedit.

Insuper, in novis Constitutionibus approbandis, semper, iuxta praxim hodiernam, speciale praescriptum habetur de eadem re; id quod poterit observari in antiquis Constitutionibus aptandis.

AD ARTICULUM 10

Observatio - FRINGS: « Ad n. 10: Si congregationes sororum vitae activae haec in n. 10 prolata exsequi volunt, necessarium erit, ut aliquas domus, ut v. g. hospitalia, relinquant, ne sorores nimio labore opprimantur, Episcopi quidem et vita catholica per hanc agendi rationem in magnam penuriam redigentur, quia aliae sorores regulariter non inveniuntur, et si hae domus per sorores saeculares regi debent, multo plus pecuniae necessarium erit. In hoc dilemmate standum erit pro vita religiosa sororum servanda ».

Respondetur: Hoc problema consideratur in Schemate concordato et principium satis forte inculcatur, scilicet, quod vita religiosa incolumis remanere debet, neque ipsa pereat propter opera. Sicut persona physica habet vires limitatas, ita etiam personae morales quae sunt instituta religiosa.

AD ARTICULUM 13

I. *Observatio* - MICARA: « Temperetur oportet, utpote minus congruens textui conciliari, nota illa aliquantulum polemica, in lineis 9-10: « christiana mortificatio quam nonnulli hodie silentio praetermittunt ... ». Sufficeret, v. g. « christiana mortificatio numquam silentio praetermittenda quasi res parvi momenti, sed magni aestimanda assidueque exercenda ».

Respondetur: Non agitur in casu de polemica contra auctores qui aliquam sententiam discutibilem patrocinantur; sed de abusu in modo agendi pernicioso prophtereaque aperte denuntiando et reprimendo. Nihil aliud videtur sententia citata significare; et de munere Concilii est abusus denuntiare et efficaciter reprimere.

Igitur, minus placet emendatio proposita.

— 78 —

AD ARTICULUM 14

I. *Observatio* - MICARA: a) In n. 14, pag. 14, lin. 2-3, deleri posse censeam, sine sensus detrimento, verba: « hisce temporibus a quibusdam excogitata ».

b) Denique, in eodem n. 14, pag. 14, minus necessaria et solum ad explicationem redundantius adiecta videntur verba in lineis 7-15: « Patet subditum etc. ».

c) Adhuc ad n. 14, pag. 14: Ad notionem obedientiae uberius declarandam, illud quoque memoretur oportet quod v. g. S. Ignatius de Loyola, praeclarus, uti constat, obedientiae praeco et sectator, monuit in praestantissima « Epistula de virtute obedientiae », hisce vel similibus verbis post lineam 15, pag. 14 adiectis: « Neque tamen idcirco vetatur si quid forte occurrat a Superioribus sententia diversum idque ei, consulto suppliciter Domino, exponendum videatur, quominus id modeste ad Superiorem referre possit, sed illa cautione adhibita ut animo sit, et ante et post relationem, aequissimo ad approbandum quidquid Superiori placuerit ».

Respondetur: ad a) Minus placet delere verba: « hisce temporibus ... ». Nam non agitur de polemica sustinenda; sed de abusu evidenti denuntiando et necessario reprimendo: quod est munus Concilii.

Ad b) Ista verba: « Patet subditum ... sunt explicatio positiva cur abusus denuntiandus non debet tolerari; ideoque non est simplex verborum redundatio, sed vera conceptuum logica expositio, proptereaque, ut videtur, retinenda: aliter, non pateret sufficienter ratio intolerantiae abusus denuntiati.

Ad c) Placet additio proposita, sed modo sequenti redacta et ad lineam 15 (art. 14) inserenda: (In schemate: pag. 14, lin. 15): « ... obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ».

« Si quid autem subdito forte occurret a Superioris sententia diversum, nihil obstat quominus, consulto suppliciter Domino, id modeste Superiori exponatur, ita tamen ut subditus, humili et prompto animo paratus sit ad accipiendum et exsequendum quod ipse Superior tandem statuerit ».

« Quoniam vero nemo ad perfectionis ... (ut in textu schematis) ».

II. *Observatio* - LÉGER: « Aliquid dicetur de functione sociali obedientiae, i. e. quod superior est vere caput societatis religiosae et habet responsabilitatem boni communis, ita ut si

— 79 —

agitur de bono communi exteriori, episcopum habet responsabilitatem interventiendi et exemptio non amplius viget ».

Respondetur: a) Hic directe sermo est de obedientia religiosa, quae pro sua natura debetur propriis superioribus internis sed etiam vel maxime Summo Pontifici, qui est religiosorum supremus superior cui ipsi obedire tenentur etiam vi voti obedientiae (can. 499, § 1); non directe de exemptione vel minus: de qua sermo est in schemate concordato; neque de obedientia Ordinariis locorum debita ratione eorum potestatis iurisdictionis.

Haec sunt rite distinguenda, ne inducatur confusio in hac materia magni ponderis.

b) Superior internus certo habet responsabilitatem boni communis communitatis cui praeest et hac ratione exercet aliquam potestatem socialem cui membra communitatis subduntur, sicut in qualibet societate.

Sed insuper, qua Superior Religiosus habet semper in subditum potestatem dominativam (can. 501, § 1), in ipsam personam subditi ita ut ipse non habeat amplius « nec velle nec nolle » independens a voluntate Superioris.

Et hac ratione ipse exercet veram obedientiam asceticam ad imitationem obedientiae Iesu Christi cuius cibus erat facere voluntatem Patris sui et qui obediens fuit usque ad mortem crucis.

c) Error hic denuntiatus, vere perniciosus, est tendentia reducendi obedientiam religiosam ad simplicem obedientiam socialem Superiori ratione boni communis debitam: quae sufficere potest in aliqua societate simpliciter apostolatui dedita, minime in aliqua societate status perfectionis evangelicae.

Inculcando necessitatem obedientiae vere asceticae in imitationem obedientiae Christi, non excluditur obedientia socialis ratione boni communis, quae e contra in priore includitur et motivo vere supernaturali et superiore exercetur. Neque videtur necessarium hoc explicitius in schemate declarare, cum sit omnino doctrina communissima et certissima.

d) Haec doctrina neque obstat obedientiae Ordinariis locorum debitae in rebus quae ordinem externum Institutorum tangunt. Hoc in proprio loco statuitur et satis diffuse exponitur in schemate concordato de rationibus inter Episcopos et Religiosos; idcirco, non est necessarium hic repetere quod deinde est abundanter referendum.

III. *Observatio* - BROWNE: «Pag. 14, lin. 17: suggererem ut dicatur: " Quoniam ... fastigium expeditius velocisque *religioso* perfecte oboediente currit " ».

— 80 —

Respondetur: Melius retineatur textus schematis qui *latius* patet et propterea omnibus sodalibus statuum perfectionis convenit.

AD ARTICULUM 18

Observatio - DÖPFNER: « Pag. 16, lin. 12: Forsitan verbum " collectivitate " alio substitui poterit, e. gr. " Communitate " vel clarius " in toto instituto et in omnibus communitatibus eius " ».

Respondetur: Est vox hoc sensu iuridice recepta: quatenus distinguitur paupertas individualis et collectiva: sic uno verbo apto dicitur id quod aliter longa circumlocutione esset exprimendum.

AD ARTICULUM 20-B

Observatio - FRINGS: N. B. Inter observationes generales ad schema subsequens: « De Constitutionibus ... aptandis » Eminentissimus Card. Frings habet unam, circa clausuram papalem monialium, quae logice in praesenti schemate locum habere deberet, post, art. 20, de Segregatione a mundo. Quapropter hic refertur eique providetur.

« Addendum videtur aliquid de difficultatibus, quae oriuntur ex praeceptis clausurae pro iis monialibus, quae simul exercent opera caritatis vel doctrinae et quae revera vivere non possunt nisi ab exceptionibus a regula.

Quapropter, forsitan ipsae regulae de clausura, etiam quae traduntur in Constitutione Apostolica *Sponsa Christi*, commutandae sunt ».

Respondetur: Placet novum articulum hic inserere (art. 20-B) secundum votum ab Em.mo Dño expressum, sequentibus verbis:

20-B (*De clausura papali in domibus Religiosarum*).

In Institutis votorum sollemnium quae vitam contemplativam stricte monasticam ducunt, religiosae ad clausuram papalem passivam et activam adstringuntur quae esse debet maior vel minor, secundum dispositiones S. Sedis. In aliis autem institutis operibus externis deditis, religiosae votorum sollemnium, si ea susceperint, tenentur ad clausuram papalem passivam tantum, secundum formam a Constitutionibus, probante S. Sede, definitam.

Ordinarius loci potest, pro suo prudenti arbitrio et conscientia clausuram papalem religiosarum cum comite ingredi, extra

— 81 —

visitationem canonicam quoque, et Monialibus vitae contemplativae egressum, ob iustam causam a se aestimandam, permittere ».

Ratio huius novi articuli fundatur in iis quae infra dicuntur circa quaestionem de accessione ad vota sollemnia in Responsis ad schema subsequens « De Constitutionibus ... aptandis ». Ibi enim exponitur mens Commissionis hac in re; et specialiter dicitur quod si vota sollemnia eventualiter concessa fuerint Congregationibus quae nunc vota simplicia tantum habent, in iisdem tunc servanda erit clausura papalis: sed aliter et aliter prout agatur de Congregatione vitae contemplativae dumtaxat: tunc clausura erit activa et passiva; vel de Congregatione operibus externis dedita: tunc clausura erit tantum passiva, ut in praesens habetur apud Regulares viros.

Pro maiore explicatione, remittitur ad schema sequens.

N. B.: Hic poni posset novus articulus confectus postquam praesens schema typis mandatum fuerit:

22-G (*Facultates Moderatorum Supremorum*)

In Institutorum perfectionis utilitatem conferantur Moderatoribus Supremis facultates quaedam negotia hucusque Sanctae Sedi reservata expediendi per seipsos, cum voto deliberativo vel consultivo sui Consilii ne frequentiores ad Sanctam Sedem recursus habeantur.

AD ARTICULUM 23

Observatio - DÖPFNER: « Pag. 19, lin. 5: Quoad expressionem " regnum Dei roborandum " forsitan advertere licet, quod in ultimis annis plures exegetae catholici in scriptis suis monuerunt, talem expressionem minus correspondere modo loquendi Sacrae Scripturae, ubi " regnum Dei " praeprimis significat dominationem amoris Dei humiliter ab hominibus accipiendam. Ergo loco " regnum Dei latius propagandum et roborandum " forsan dicatur " vitam Ecclesiae roborandam et dilatandam " ».

Respondetur: a) Absque dubio, locutio « regnum Dei » est litteraliter scripturistica et speciatim passim occurrit in Evangelio secundum S. Lucam.

Hoc regnum certo certius in amore seu caritate fundatur: sed in se et formaliter consideratum, est quaedam societas et constat compagine membrorum quae eidem per Baptismum aggregantur. Sub hoc aspectu, merito, ut videtur dici potest quod,

— 82 —

roboratur et propagatur: utique ipsa intensificatione et dilatatione caritatis.

b) Locutio proposita loco « regnum Dei » non apparet aptissima; si vita Ecclesiae recte dici possit quod roboratur, non ita autem quod dilatatur: Vita dilatatur secundum mensuram dilatationis corporis quod ipsa vivificat.

Igitur, magis placet retinere locutionem textus schematis.

— 83 —

IV

DE CONSTITUTIONIBUS, DE INSTITUTIS DE HABITU RELIGIOSO

Ad observationes generales

I. *Observatio* - RICHAUD: « Generatim optarem, si res non pertineat ad aliud schema, quod Constitutiones alicuius Instituti supponerent tempus novitiatus melius adaptatum ad temperamenta hodierna: scilicet ut professio religiosa perpetua non possit evenire nisi post decem annos, et etiam ut, ante istam professionem definitivam et post temporariam, amotio religiosorum ac religiosarum sit facilior pro quibusdam morbis tantummodo detectis post novitiatum, nempe tuberculosa, neurasthenia, debilitas mentalis, etc. ... quae sunt evolutivae et non possunt inveniri ac recognosci in brevi tempore novitiatus ».

Respondetur: a) De institutione et probatione alumnorum protrahenda, sive in novitiatu sive post, ex professo tractatur in schema speciali « de alumnorum institutione », speciatim in art. 68 et 71, 72.

Unde responsum huic observationi ad illud schema remitti posset.

b) Interim autem liceat dicere, quod si alumnorum institutio debeat protrahi, speciatim post Novitiatum, ut in art. 71 indicatur, probationis tempus vero non debet ultra modum extendi: ideoque Commissio consulte, post longam discussionem, censuit prudens stare normae in art. 72 statutae.

Potius Commissio voluit insistere in qualitate institutionis impertiendae, in competentia educatorum et in mediis suppeditandis ad hanc institutionem rite impertiendam. Et in hoc, concordat cum iis quae S. C. de Seminariis, propria experientia, scribebat ad Commissionem Antepraeparatoriam Concilii:

« His praemissis necesse est quaesitum ponere: Utrum iuvenibus viginti quattuor annos natis sit moralis capacitas sumendi sibi, una cum Sacerdotio, onera ei inhaerentia et speciatim coelibatus legem; haec enim est lex, quae, propter difficultates quas secumfert, totum problema — uti diximus — determinat.

« Sacrae Ordinationis dilatio tamquam medium ad experien-

— 84 —

tiam necnon ad maturiorem deliberationem videtur inutilis et fallas. Etenim: (sequuntur variae rationes ad hoc asserendum).

« Aliter et alibi solutio problematis quaerenda est, scilicet in debita et solida formatione candidatorum. ... Proh dolor, Sacra Congregatio affirmare potest, uti ex pluribus Visitationibus Apostolicis eruitur, haud semper Seminarii Rectores ac Professores esse accurate selectos et suo muneri pares, spiritus Moderatores non raro paulo vel minime paratos, eorumque activitatem frequenter distractam aliis dioecesanis ministeriis: ex quo non est mirandum si amari colliguntur fructus » (cf. Acta et Documenta [Concilii], vol. III, p. 397-398).

Congrua congruis referendo, idem dici debet de probatione alumnorum religiosorum: probatio non est nimis protrahenda; sed maiori cum competentia et efficaciori methodo peragenda.

c) Ad casus psychopatheticos in Institutis securius detegendos, art. 48 praevidet ut « in singulis institutis ... quidam habeantur sodales in scientia et arte psychologica versati ... ut tempestive eos (casus) detegere queant et si expedierit, peritis committere ... ».

d) Quoad ceteros morbos, retinendum est praescriptum iuris (cf. can. 637 et 647, § 2, 2°) quod alumni nequeunt a professione renovanda vel perpetua emittenda excludi aut durantibus votis dimitti causa infirmae valetudinis, « nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam ». Porro etiam morbi de quibus in observatione tempestive detegi ordinarie poterint, si omnes candidati serio examini medici subiiciuntur ante primam professionem, novitiatu tum ineunte, tum exeunte. Pro hoc Constitutio Apostolica *Sedes Sapientiae* iam providit (cf. Statuta generalia, art. 33).

II. *Observatio* - LÉGER: « Loquendo de renovatione, propono quod aliquid dicetur de nominibus quae dantur membris Institutorum religiosorum. Opinor quod servanda sunt nomina in familiis recepta et cognomina quae, occasione sanctissimi baptismi, ut filii et filiae Dei acceperunt et quae numquam amiserunt. Non raro fit quod dantur nomina, e pluribus verbis composita, de quibus pauci possunt recordare. Sunt Instituta ubi tot membra sunt quod vix sufficit calendarium sanctorum et dantur nomina insolita. Sunt alia in quo, per provinciam, dantur nomina incipientia ab eadem littera alphabetica. Hoc mihi videtur proprie ridiculum et inutiliter damnosum est Ecclesiae ».

Respondetur: a) Non placeret prohibere omnibus religiosis novum nomen assumere Religionem ingrediendo, quo significa-

— 85 —

tur maior a mundo segregatio et maior Regno Dei adhaesio in iis qui propriae familiae naturali valedicunt quique omnia relinquunt propter Regnum Dei.

Verum est quod magni faciendum est nomen cum Baptismo receptum; sed hoc non impedit quominus in Confirmatione recepta, novum addatur nomen; et Professio religiosa non immerito comparatur secundo Baptismo. De cetero, non desunt in Ecclesia Praesules qui, Officium assumendo, novum nomen sibi imponunt: quod etiam observatur pro Summo Pontifice, quo intimior et plenior dedicatio proprio officio significatur.

b) Placet e contra ut selectio nominum aptiori criterio fiat et ut nomina ipsa ad simpliciorem formam reducantur.

Quare, forte in art. 71, in fine addi posset aliqua norma hac de re, modo sequenti:

« In institutis ubi candidatis novum nomen imponitur, curandum est ut illud sit simplex, decens nihilque insolitum praeseferens ».

III. *Observatio* - FRINGS: « Cum Summi Pontifices inde ab anno 1950 multum institerint pro accommodatione vitae religiosae, sed inquantum videri potest, pauca adhuc consecuti sint, videntur necessariae quaedam sanctiones, ut formae religiositatis archaisticae reformentur, societates nimis parvae et sine vocationibus uniantur cum aliis magis florentibus et ita numerus quasi infinitus societatum religiosarum minuatur, habitus religiosi indigentiis hygienes et vitae modernae accommodentur ».

Respondetur: De facto plura hac in re de renovatione facta sunt, etsi adhuc plura remaneant facienda.

i) Non videtur opportunum ut Concilium imponat sanctiones ad renovationem urgendam; sed ut S. Sedes, in ordine executivo super hac re vigilet atque provideat prout diversi casus id requirunt.

ii) De forma religiositatis archaisticae reformanda, in schemate ponuntur principia et criteria: iterum pertinebit ad S. Sedem in ordine exsecutivo efficaciter providere.

iii) De parvis institutis uniendis: sermo est expresse in praesenti schemate, art. 30.

IV. *Observatio* - CICOGNANI: « Bonum videretur ut qui in Missionibus longisque a loco nativo adlaborant, identidem, e. g. decimo quoque anno, redeant ad domum generalitiam aut provincialem aut aliam sui Ordinis in patria ».

— 86 —

Respondetur: a) Si agatur de reditu temporario ad relaxandum animum vel recuperandam sanitatem iam similis praxis satis invaluit ut non sit necessarium decretum Conciliare ad illam inducendam vel firmandam!

b) Si agatur de reditu diuturno vel definitivo: hoc non videtur opportunum; esset damnum pro missionibus, et etiam contra animum missionariorum qui generatim Missionibus perpetuo se dedicant.

Et reapse, opera missionarii vere efficax esse potest tantum si animo ipsi perpetuo se dederit, ita ut pro missionibus omnes vires suas impendat, sine reservatione vel consilio aliquo alieno pro futuro.

Ad observationes particulares in singulos articulos

AD ARTICULUM 25

Observatio - RUFFINI: « Pag. 6, lin. 1-3) Dicerem potius: " ... ne Constitutiones quibus nulla Regula adnectitur " ».

Respondetur: Praemittitur quod hic non agitur de « Regulis » (in plurali) quae Constitutionibus modernis aliquando adiiciuntur; sed de « Regula » (in singulari) quae sit una ex antiquis v. g. S. Benedicti, S. Augustini, S. Francisci. Quapropter formula proposita non videtur acceptanda, quia: *a*) subordinat Regulam Constitutionibus; dum debet esse contrarium, quatenus Constitutiones iuxta Regulam sint oportet. *b*) Restringit applicationem normae huius articuli Constitutionibus quae de facto nulli Regulae adnectuntur; dum etiam pro aliis utiliter applicari potest in certis casibus: inde in textu consulto dicitur: « Praesertim ».

AD ARTICULUM 26

I. *Observatio* - MICARA: « Divisio religiosorum vel potius religiosarum in classes peropportune inter potiora capita recensentur, quae reformatione indigeant. Aliter sentiendum esse videtur de distinctione apud religiones clericales in sacerdotio fundata, iis semper reprobatis quae charitatis et sodalium inter se unioni officere possunt ».

Respondetur: Textus schematis (n. 2) nihil praeiudicat circa classes in Institutis clericalibus. Consulte Commissio voluit normam dare tantum generalem, quae potest applicari sive suppressioni classium, sive tantum temperamento in classibus subsistentibus afferendo.

— 87 —

Non videretur prudens ut Concilium det normam strictiorem hac in re: quia conditiones nimis variantur non tantum secundum diversa instituta, sed etiam regiones; haud raro ratio habenda est etiam mentis circumstantis populi, sive pro suppressione classium, sive etiam pro illis retinendis.

AD ARTICULUM 27

I. *Observatio* - LÉGER: « a) Quoad paragraphum 27 (vigesimam septimam) ubi agitur de officio adaptandi Constitutiones et Directoria, propono quod omnes religiosi alicuius Instituti, et etiam iuvenes audiantur, et, talibus in conditionibus, ut libere sese exprimant.

Hoc non esset abdicatio potestatis; e contrario munus habent superiores cognoscere mentem suorum subditorum. Aliter periculum est quod quaedam adaptationes a multis annis tardent.

b) Credo etiam quod ad pleniorem adaptationem faciendam, instituta religiosa invitanda sunt ad consulendos, extra proprium Institutum, alios, etiam quosdam laicos, qui bonum Instituti volunt. Saepe enim, fit ut Instituta non bene cognoscunt dioecesim, structuras apostolicas et mundum in quo esse debent sicut " sal terrae ". Et habitualiter fructuosum est audire considerationes diversas a suis propriis ».

Respondetur: Ad a) Commissio consulte omisit praescribere huiusmodi amplissimam inquisitionem apud omnes sodales Instituti, in qua etsi quaedam adesse potest utilitas, nimia incommoda sunt timenda. Non omnes enim idonei sunt ad rectum iudicium ferendum de Constitutionibus aptandis et experientia, v. g. Capitulorum generalium satis docet. Insuper, iuvenes hodie nimis proclives sunt ad innovationes promovendas plerumque nimis inconsiderate, deficiente in eis experientia necessaria ad recte iudicandum de his rebus. Propterea, quomodo Superiores hac in re sese gerant ipsi debent decernere, habita ratione eorum quae hic praescribuntur:

« ... attento examini et serio studio, maxime quidem suorum consiliorum et capituli generalis, convenienti et efficaci modo subiiciantur ».

Ad b) Absque dubio consultatio personarum externarum pretiosissima esse potest, et aliquando, necessaria, speciatim si agatur de consilio ab Ordinario loci petendo, ut supra dictum est

(cf. Responsa ad Schema: *De vita religiosa renovanda,* p. 22, iii). Non autem opportunum videtur particularem normam hac de re a Concilio dari; pertinet potius ad ordinem executivum pro quo providebit modo congruenti Sancta Sedes.

II. *Observatio* - Sépinski: « Pag. 7, in fine n. 27, proponerem hanc adiunctionem: " evitando accommodationes saecularia sapientes " ».

Respondetur: Suggestio Rev.mi Patris in seipsa bona est; sed timendum est ne inserviat ad fovendum exaggeratum « conservatismum » in nonnullis Congregationibus, et impediat veram accommodationem. Difficile enim est determinare quid sit « saeculare » nunc. Ex alia parte, limitatio ad vitandos abusus iam habetur, tum in aliis locis ubi quaestio de saecularitate expresse tractatur, tum in additione ad art. 25 supra proposita, quae sic sonat: « In Constitutionibus aliisque codicibus aptandis, recta ratio postulat ut imprimis perfecta inducatur conformitas eorum cum decretis aliisque S. Sedis normis ».

Ad Articulum 31

Observatio - Siri: «a) Practice videtur difficilis solutionis. Nescio quomodo talis unio fiat: vel dicatur melius, vel textus omittatur.

b) Praeterea opera facile respiciunt fideles, qui sunt subiecti Episcoporum, et tamen de his nulla fit mentio».

Respondetur: Ad a) De facto huiusmodi uniones existunt, speciatim in America et cum emolumento.

Sed non est possibile in Concilio dare normam magis determinatam, cum istae uniones professionalistae pendeant saepe saepius ab ipsis legibus civilibus circa huiusmodi genera operum.

Ad b) Forte quod, iuxta observationem factam, in linea 24 sequens incisum inseratur:

« ... aut similibus operibus externis dedita opportune, servatis servandis et consultis locorum Ordinariis, consociari possunt ... ».

Ad Articulum 33

I. *Observatio* - Cicognani: « Quoad collationes seu conferentias generales inter Moderatores Institutorum et Ordinum religiosorum totius regionis, quae a nonnullis annis in usum venerunt in quibusdam locis, commendandae videntur si tamen non

crebro celebrentur et semper audito Ordinarii loci et cum eius consensu, caute ut unusquisque spiritum sui Ordinis reverenter et firmiter tueatur. Res tractandae antea parentur ».

Respondetur: Hae conferentiae non tantum in quibusdam locis sed fere in omnibus regionibus nunc inveniuntur a S. Sede erectae et valde activae.

Cetera quae in observatione habentur pertinent ad earum Constitutiones quae inter alia praevident frequentiam sessionum et relationes cum Ordinariis locorum.

II. *Observatio* - Quiroga y Palacios: « Pag. 9, lin. 24-27 verba " ad efficaciorem ... territorio " deleantur ».

Respondetur: Non apparet ratio delendi haec verba, cum agatur de scopis expectandis a conferentiis et de facto obtentis, ut plura testimonia ab aliis Patribus Commissionis Centralis demonstrant.

III. *Observatio* - Léger: « a) Quoad Conferentias Superiorum Maiorum (33 ss.) recordandum est quod Episcopi iure divino sunt constituti ut iurisdictionem habentes in Ecclesia et quod ipsi soli, sub Romano Pontifice, habent fideles regere ad salutem. Recordare debent religiosi quod non tenentur ad solam reverentiam erga Sacros Praesules, sed quod, quoad apostolatum exercendum, subiiciuntur iurisdictioni Episcoporum et instituti sunt ad eos iuvandos.

b) Periculum adesse potest in parallelismo structurarum, speciatim in regionibus ubi novae Ecclesiae locales fundantur. Ibi enim Conferentiae Superiorum Maiorum possent potestate frui quae superaret illam Episcoporum ».

Respondetur: Ad a) De rationibus inter Episcopos et Religiosos, iam actum est satis ample in Responsis ad schema *De vita religiosa renovanda* cum sermo fuit de exemptione; et iterum, « ex professo » agendum est in schemate concordato, speciatim quoad apostolatum religiosorum sub moderamine Episcoporum, et etiam habita ratione Conferentiarum Religiosarum.

Notandum est scopum essentialem et proprium vitae religiosae, qua talis, non esse exercitium apostolatus, sed prosecutionem perfectionis evangelicae, ex qua inde fluet exercitium apostolatus tamquam ex superabundantia caritatis. Quare, quamvis religiosorum ministerium apostolicum sub moderamine Episcoporum et in eorum auxilium semper sit exercendum, haud recte diceretur illos, ut tales, institutos esse ad Episcopos iuvandos.

— 90 —

Propterea, non videtur hic ulterius esse insistendum in hoc argumento, quod fusius tractatur in schemate concordato.

Ad b) Parallelismus specietenus apparere potest, ex facto utriusque organismi distincti ab invicem; sed cum Conferentiae nullam exerceant potestatem (cf. art. 35) neque in ipsis institutis aggregatis, non videtur esse verum periculum pro recta gubernatione dioecesium quasi ex hoc parallelismo derivaturum. In schemate concordato explicite dicitur quod istae conferentiae tractando de operibus apostolatus, rationem habere debent eorum quae ab Episcopis decreta sunt, et nihil hac de re valent propria auctoritate inducere.

IV. *Observatio* - RICHAUD: « Gratias multas reverenter ago ad Eminentissimum Relatorem pro verbis benigne prolatis de Conferentiis Superiorum Maiorum sane feliciter in Gallia habitis. Attamen puto quod forsan periculosum est quod istae Conferentiae dicantur " personae morales " et habeant delegatos qui venirent agere in Congregationibus supra auctoritatem Episcoporum. Pro directione hierarchica sufficiunt sacra Congregatio de Religiosis et Episcopi ».

Respondetur: a) Non apparet cur hoc factum quod conferentiae sint « personae morales » esset periculosum!

Personalitas moralis simpliciter confert eis existentiam iuridicam seu canonicam in Ecclesia, sicut omnibus institutis religiosis, ut reapse stabiliter constituantur. Sed nullam confert eis specialem potestatem ex qua derivari posset aliquod periculum abusus, ut iam dictum est et declaratur in art. 35.

b) Neque Conferentiae habent potestatem mandandi delegatos in varia instituta: ea quae in Conferentia decreta sunt committuntur Superioribus pro suo cuique Instituto exsequenda, et quidem non obligatorie, neque in damnum singularum Constitutionum. Neque possunt agere contra auctoritatem Episcoporum a iure definitam.

c) De sufficientia S. C. de Religiosis et Episcoporum pro directione hierarchica Congregationum, stricte loquendo, ea dici potest sufficere; sed ad melius, conferentiae possunt multa bona conferre, ut de cetero iam ampla experientia probat. Conferentiae enim, quin constituant aliquam hierarchiam regiminis, sunt instrumenta mutuae cooperationis quae bonum omnium studio promovent.

— 91 —

AD ARTICULUM 34

I. *Observatio* - DÖPFNER: «Pag. 10, lin. 2 mutetur phrasis: " ... a qua directe dependent ": quia sapit characterem iuridicum, quem non habent.

Et in lin. 4 mentio fiat conferentiarum Episcoporum exsistentium ».

Respondetur: Ad lin. 2: Agitur de re iuridica, et Conferentiae istae debent esse iuridice constitutae et sunt: ideoque hic modus earum dependentiam erga S. Sedem exprimendi est legitimus.

Ad lin. 4: De hoc expresse agitur in schemate concordato, ideoque non est necessarium idem hic repetere.

II. *Observatio* - ALFRINK: « Positio iuridica harum conferentiarum videtur non sufficienter clare descripta: quomodo possunt esse " A S. Sede dependentes " i. e. sine ulla interferentia Ordinariorum, si agitur de Congregationibus non exemptis vel de Congregationibus dioecesanis, et si agunt de apostolatu exercendo inter fideles Ordinario concreditos? ».

Respondetur: a) Ratio formalis earum dependentiae directae a S. Sede, non petitur ex qualitate membrorum, exemptorum vel minus; sed ex earum Constitutione extensa, quae praetergreditur fines singularum dioecesium.

Conferentiis istis applicari possunt verba Leonis XIII quibus inculcavit necessitatem Ordines religiosos ab auctoritate singulorum Ordinariorum locorum subducendi: « ... quo melius in religionibus (Conferentiis) omnia sint inter se apta et connexa, ac deinde incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur. ... (cf. in Schemate *De vita religiosa renovanda,* pag. 2).

Cum vero, ex altera parte, Conferentiae istae nullam habeant potestatem in institutis componentibus (art. 35), non possunt potestati quam singuli Episcopi in singulis institutis ad normam iuris exercent damnum afferre.

b) Quoad apostolatum, subsunt Ordinariis locorum, ut explicite statuitur in schemate concordato.

AD ARTICULUM 37

I. *Observatio* - MICARA: « Opportunum fortasse erit addere in fine, monitis etiam et praeceptis consideratis, quae in n. 31, p. 8, statuuntur: " Bene praesertim attendendum est num in illa

— 92 —

dioecesi vel natione iam institutum exsistat eiusdem fere generis ita ut illius operam requirere potius quam novum idemque simile institutum condere expediat " ».

Respondetur: Hoc monitum implicite, sed satis evidenter continetur in textu schematis, ubi dicitur: ... instituti condendi necessitas vel saltem magna utilitas ... serio ponderandae sunt: et est criterium in usu pro licentia concedenda novum institutum condendi.

Sed notare oportet quod factum exsistentiae similis instituti in alio loco, non aufert necessitatem novum condendi in determinato loco, ubi neque aliud institutum exsistat, neque possibile est aliquod ex alio loco huc adducere: et haec est experientia habitualis S. C. de Religiosis quae ita cogitur petitionibus Ordinariorum morem gerere, ne isti remaneant destituti auxilio sibi necessario.

AD ARTICULUM 38

I. *Observatio* - LIÉNART: «Uti notavit Em.mus Richaud non placet art. 38 de evectione Institutorum ad gradum iuris pontificii. Haec evectio systematizata non debet esse, ne centralizata, varietati Ecclesiae in omnibus partibus mundi diffusae, detrimentum afferat ».

Respondetur: a) Ut legenti schema patet, agitur de Institutis ad gradum iuris pontificii evehendis quae « ... sufficientem maturitatem et propagationem semel » adepta sunt.

Non vero de aliis quae adhuc intra fines unius dioecesis restricta sunt et parum evoluta.

b) Quoad autem Instituta sic matura: est moralis necessitas ut sub ductu S. Sedis ponantur et ab auctoritate singulorum Ordinariorum, partim saltem prout habetur in Iure Pontificio, subducantur: eorum structura, vita et efficacitas operae ab hoc magna ex parte pendet, ut pluries iam dictum est in variis responsis.

II. *Observatio* - RUFFINI: « Nulla apparet necessitas sollicitandi pontificiam approbationem, eo vel magis quod interdum utiliorem praestare possunt operam saltem nonnullae Congregationes si maneant iuris dioecesani ».

Respondetur: a) Necessitas ut iam dictum est, fundatur in eo quod quando aliquod institutum est diffusum in pluribus dioecesibus, nequit plane remanere, sine gravi detrimento, sub auctoritate singulorum Ordinariorum locorum a quibus, variis directionibus, trahi posset, sine possibilitate servandi unitatem disciplinae, spiritus et operae.

— 93 —

b) Si instituta manerent iuris dioecesani, tot parva instituta constiterent, contra quae hodie plures insurgunt; neque possent obtinere illam vim in operibus quam solum confert ampla organizatio sub uno regimine.

III. *Observatio* - SIRI: « a) Sollicitantur instituta ut festinent petere pontificiam adprobationem. Haec festinatio videtur inconveniens. Etenim: cum instituta sunt parva, subiectorum selectionem pro superioratu sufficientem nondum fecerunt; melius ideo est ut habeant superiorem proximum, qui est Episcopus.

b) Cum approbatione pontificia nimis festinanter data, parva instituta amittunt superiorem qui prope est, qui directe videt, sustinet et corrigit et acquirunt Superiorem qui saepe longe abest et eadem difficilius facit.

c) Totum hoc caput XIV non videtur in Concilio praesentandum, quia quaedam uniones, certe utiles, tamen inconvenientia secumferunt praesertim in Institutis foeminarum, uti faciles egressus itinera frequentia et quandam ad comitia habitudinem ».

Respondetur: Ad a) Non agitur, in schemate, de approbatione pontificia festinanda: cum expresse dicatur eam tantum petendam esse quando institutum ad « sufficientem maturitatem et propagationem » semel pervenerit.

Ideoque, quoadusque institutum remanet parvum, intra dioecesim clausum, non est generaliter quaestio de approbatione pontificia.

Ratio allata: « melius ideo est ut habeant superiorem proximum » non est convincens: Etenim:

vel agatur de instituto intra unam dioecesim clauso: tunc non est quaestio, ut supra dictum est de approbatione pontificia, quia tale institutum generaliter nondum pervenit ad sufficientem maturitatem et propagationem requisitam;

vel agatur de instituto in pluribus dioecesibus diffuso, cum magno numero sodalium: sed tunc quis est Episcopus superior? Episcopus domus principis: de iure ipse non habet maiorem auctoritatem in institutum quam ceteri Episcopi in quorum dioecesibus institutum habet domus;

vel singuli Episcopi? tunc quaenam unitas directionis?

De cetero notandum est Episcopum seu Ordinarium loci non esse cuiusvis communitatis religiosae Superiorem internum, neque eodem sensu ac Superiores internos, cum potestate domina-

— 94 —

tiva in sodales careat. Ex alia parte, instituta iuris pontificii habent suos internos Superiores tum Maiores qui, licet a communitatibus remoti, unitati gubernationis efficaciter consulunt; tum locales qui sub directione Superiorum Maiorum singulis communitatibus, secundum easdem leges et cum eodem spiritu ubique immediate praesunt.

Ad b) Obiectio non est ad rem: quia, ut supra dictum est, non agitur de parvis institutis; sed de illis qui ad maturitatem et propagationem sufficientem pervenerunt.

Ad c) Hoc argumentum, quod pertinet potius ad art. 30 « De unione Institutorum », unum est ex illis a Summo Pontifice nostrae Commissioni tractandis commissis. Et de facto momentum practicum habet, licet, magna cum cautela, in unionibus perficiendis, procedendum sit, ut in schemate inculcatur.

IV. *Observatio* - Richaud: « a) Quoad n. 38, in pag. 11, bonum et utile est, mihi videtur, permanere aliquot Instituta dioecesana, tam pro dioecesibus quam pro religiosis ipsis. Sunt enim parva Instituta quae praebent auxilium maxime adaptatum et plene obsequens in manu episcopi pro sua pastorali cura.

b) Aliunde evenit ut quaedam temperamenta modesta et quaedam animae humiles sed satis capaces, non possent sustinere regimini et adiunctionem in magnis numerosis Institutis. Nam de Institutis est eadem ratio quam pro negotiis de quibus in Encyclica *Mater et Magistra* Summus Pontifex exoptat ut quoque minora negotia operariorum vel familiarum serventur.

In hoc casu, centralizatio quaedam exaggerata etiam vitanda est ».

Respondetur: a) Si Instituta quibus hic alluditur adhuc sunt parva: tunc signum est quod nondum pervenerunt ad sufficientem maturitatem et propagationem. Sed quod ista parva instituta ita systematice debeant servari, quia sunt specialiter utiles dioecesi, esset contra eorum bonum et bonum Ecclesiae quae maiorem operam trahit a magnis Institutis quam a parvis.

Si ex una parte instituta religiosa adlaborare debent habita ratione necessitatum singularum dioecesium ubi inveniuntur, ut inculcatur in schemate concordato, ex altera parte, singulae dioeceses non possunt praescindere a bono universae Ecclesiae quod speciatim procurant instituta magna et progressiva.

Ad b) Hodie est generalis impulsus ad maiora et progressivam accomomdationem institutorum: cur tunc retinere ista « temperamenta modesta » in suo complexu inferioritatis?

— 95 —

De cetero, sunt exempla recentiora parvorum Institutorum quae in unionem quaesierunt maiorem vim et invenerunt.

Insuper, cum Institutorum progressu, crescit etiam possibilitas augendi Superiorum potestatem et competentiam, quorum qualitates plerumque in actione revelantur, probantur et evolvuntur.

V. *Observatio* - Alfrink: « Num. 38 videtur valde aptatus ad dandam Congregationibus dioecesanis id quod Em.mus Gracias vocavit "inferiority complex" ».

Respondetur: Hoc concordat cum responso praecedenti, circa parva instituta in suo statu dioecesano retinenda (cf. sup. ad b).

Hoc « inferiority complex » enim, multum facilius habebitur et radicabitur in institutis dioecesanis, si debeant sese resignare ad permanendum in hoc statu iuridico inferioris gradus. E contra, ipsis erit stimulus ad progrediendum, si ad statum Iuris Pontificii obtinendum contendere possint.

Ad Articulum 42

I. *Observatio* - Cicognani: « Circa habitum religiosum, res practica vult esse et favens uniformitati praesertim pro clericis extra domum; tamen consulantur Episcopi locorum ».

Respondetur: Circa uniformitatem servandam in habitu ecclesiastico inter clerum saecularem et regularem, quaedam sunt sedulo notanda, ne leviter statuantur normae vitae religiosae damnosae.

i) Pro religiosis: obligatio deferendi habitum religiosum, sive intra sive extra domum, est ipsis propria, independens, de se, ab obligatione clericorum saecularium.

Pro clero saeculari habetur can. 136.

Pro religiosis habetur can. 596.

Ideoque, praescripta Ordinarii loci, hac de re, non habent vim dispensandi religiosos ab obligatione sibi imposita a canone 596, neque proinde possunt, de se, religiosos obligare.

ii) Haec regula observatur sine contestatione, ubi clerus saecularis defert vestem talarem: nullibi tunc imponitur religiosis uniformitas habitus; ideo omnes proprium habitum religiosum deferunt, nonobstante veste diversa cleri saecularis.

iii) Si autem vestis talaris a clero saeculari deponatur ad adhibendum habitum vesti laicali magis similem, v. g. « clergyman », id fieri potest propter duo motiva diversa:

— 96 —

a) Vel propter intolerantiam populi aut gubernii civilis: et tunc sine difficultate, religiosi deberent uniformitati sese conformare, ne gravia incommoda in dioecesi obveniant ex eorum praxi diversa.

b) Si e contra clerus saecularis deponit vestem talarem ob diuturnum usum regionis vel ob maiorem commoditatem vel simplicem condescendentiam (citra exsistentiam intolerantiae ab extra), irrationabile esset reducere religiosos ad hanc praxim, illosque impedire dare testimonium illud renuntiationi saeculi quam habitus religiosus significat, ut dicitur in art. 39, iuxta veram doctrinam.

iv) In schemate a Commissione de Disciplina Cleri populique christiani praesentato, inter alia sequens habetur articulus:

« III. Clerici veste talari utantur, quantum fieri potest, etiam in coerimoniis civilibus quos vocant, quando Ecclesiam publice repraesentant.

IV. In ordinariis autem vitae civilis adiunctis, omnibus ubique clericis, licitus sit habitus v. g. " clergyman ", formae quidem modestioris, nigri vel cinerei coloris (quantum id ferant climatis conditiones) collari ecclesiastico semper ornatus ».

Ut patet ex textu, usus « clergyman » non imponitur ob aliquam intolerantiam; sed mere ob maiorem commoditatem singulorum vel condescensum: « omnibus clericis licitus ».

Quonam iure haec disciplina posset imponi religiosis? difficile est dictu.

II. *Observatio* - WYSZYŃSKI: « Habitus, praesertim mulierum, ad moderatiorem formam reducere quam primum oportet. Hoc suadent humiles conditiones vitae quotidianae, exigentiae apostolatus inter laicos et alia ».

Respondetur: Huic voto respondet art. 40 et etiam 41.

In ordine exsecutivo, pertinebit ad S. Sedem decretum Concilii ad effectum deducere, datis instructionibus si opus sit et monitionibus. Sed hac in re, non pauca iam facta sunt, nonobstantibus difficultatibus quae maiores sunt, in multis casibus, quam prima fronte apparent. De cetero, ne severius aequo erga religiosos et religiosas agendum sit, considerandum est quod non ipsis solis superfluitas et archaismus in habitu hodie improbantur.

III. *Observatio* - LÉGER: « In paragrapho 42 (quadragesima secunda) datur Superioribus Religionum potestas decidendi si, extra domum, religiosi possunt vestimentum induere ad instar

— 97 —

vestimenti cleri saecularis regionis. Credo quod hoc est ius quod pertinet ad Ordinarium loci. Haec est enim materia in qua consulitur ordo publicus in dioecesi. Quando enim episcopus iudicat quod, propter ordinem publicum, cleri saeculares debent, extra domum, vestem particularem induere, difficile accipi potest quod, sine miratione populi, religiosi possent aliter vestiri ».

Respondetur: Provisum est in responso praecedenti I. Si reapse depositio vestis talaris imponitur ab Ordinario loci clero saeculari ob ordinem publicum: propter intolerantiam populi vel gubernii: admittitur quod religiosi huic dispositioni debeant sese conformare; si e contra conceditur ob meram complacentiam, propter maiorem commoditatem ut speciatim habetur in itineribus, tunc irrationabile esset, ut dictum est, cogere religiosos ad proprium habitum deponendum: et forte tunc esset miratio in bono populo christiano si id fecissent, nulla vera necessitate apparente.

V. *Observatio* - SÉPINSKI: « Pag. 12, lin. 21-22 restringerem facultatem permittendi religiosis extra domum vestimentum ad instar vestimenti cleri saecularis regionis induere, his verbis: " Si Supremo Moderatori, et in casibus particularibus aliis quoque Superioribus, opportunum visum fuerit " ».

Respondetur: In Codice, can. 596, res sic habetur: ... habitum deferant ... nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis.

Commissio noluit quid ulterius determinare in decreto Conciliari, adhibendo vocem generalem « Superioribus »; et relinquendo futurae codificationi munus ulterius rem definiendi.

Si agatur de modo habituali agendi mutando: tunc omnino convenit ut talis dispositio vel mutatio reservetur Supremo Moderatori; sed in casibus non tantum particularibus, sed urgentibus, tunc providere debet sive Superior Provincialis, sive etiam localis.

Si placuerit, haec determinatio posset addi; sed forte prudentius esset textum schematis immutatum servare.

His omnibus perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres huius Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, edicere an textus horum Schematum decretorum sint sufficienter emendati, et, quatenus negative, quid in eis sit supprimendum, corrigendum vel addendum.

B) *PROCESSUS VERBALIS*

Il giorno 15 giugno 1962 — ore 17,30 — si radunano nell'appartamento del Card. Micara in piazza della Cancelleria, Palazzo omonimo, tutti i Cardinali della Sottocommissione: Micara, Copello, Siri, Léger, Confalonieri, Frings e Browne: questi due ultimi sono nuovi Membri.

La Presidenza è assunta dal Card. Confalonieri, Presidente della Sottocommissione. Segretario è Mons. Vincenzo Fagiolo.

All'ordine del giorno è l'emendamento di alcuni schemi del decreto *De Religiosis*. Allo scopo i Membri dispongono di una posizione stampata: *De emendatione schematis decreti de Religiosis. Pars II.*[1]

Dopo l'orazione di rito, il Card. Presidente saluta i nuovi Membri, Cardd. Frings e Browne. Quindi comunica che cinque degli schemi già emendati sono in corso di stampa e precisamente: 1) *De fontibus Revelationis*; 2) *De deposito Fidei*; 3) *De ordine morali;* 4) *De sacra Liturgia*; 5) *De instrumentis communicationis socialis*, e che saranno inviati, se il Papa ne darà il permesso, ai Vescovi entro il mese di luglio, come prima materia di discussione conciliare.

Tutti i Cardinali esprimono la loro compiacenza per lo stato avanzato dei lavori e per la serietà con la quale il lavoro viene svolto.

Il Card. Presidente passa quindi all'esame del primo schema: *De aliquibus institutis status perfectionis in particulari.*

Nota che la Commissione dei Religiosi ha dato risposte assai lunghe alle osservazioni fatte dalla Commissione Centrale allo schema.

All'osservazione del Card. Liénart di affermare che gli istituti dipendono dal Vescovo della Diocesi dove esercitano l'apostolato, la Commissione di origine ha risposto che dell'argomento si tratterà nello schema concordato dalla Commissione dei Vescovi e dalla Commissione dei Religiosi.

Tutti sono contenti della risposta.

Quindi *il Card. Presidente* dice che il Card. Ruffini ha proposto in sede di Commissione Centrale che gli istituti laicali abbiano i propri sacerdoti; e che la Commissione ha risposto che la questione è stata trattata specialmente in riferimento agli istituti laicali dei fratelli insegnanti, con pronunciamento piuttosto negativo e precisamente: «Cum nondum sufficienter res matura appareat, prudentiae S. Sedis relinquatur... Commissio non favet decreto conciliari hac de re».

---

[1] Cf. pp. 15-62.

Il Card. Léger: «mi pare che non sia vero — come sembra affermare la Commissione dei Religiosi — che i fratelli insegnanti non vogliono diventare sacerdoti: sono i superiori che non vogliono».

Il Card. Micara: «I superiori sono contrari a che entrino in Seminario anche nel caso in cui siano già usciti dall'Istituto».

Il Card. Léger: «Alcuni superiori sono tanto severi che non permettono a questi fratelli neppure di assistere alle ordinazioni sacerdotali per paura che nasca in loro il desiderio della vocazione sacerdotale».

Il Card. Copello: «Io sono del parere che si stia al senso e allo spirito della Costituzione».

Il Card. Siri: «La Commissione dei Religiosi per giustificare la sua posizione adduce come motivo che i fratelli insegnanti non vogliono — salva qualche eccezione — diventare sacerdoti. Ma è proprio sul dato di fatto che la motivazione non regge, perché — come ha ricordato il Card. Léger — nei soggetti c'è la vocazione sacerdotale. Sono del parere che la questione non venga in alcun modo pregiudicata per il momento: resti aperta e si cerchi di farla maturare».

Il Card. Frings: «Sono del parere del Card. Siri».

Il Card. Léger: «Mi pare che si debba fare qualche cosa di più, perché molta parte dei fratelli insegnanti spera che il Concilio dica una parola in loro favore: si potrebbe costituire una Commissione che studi e maturi la questione durante il Concilio».

Il Card. Browne: «Credo che si debbano considerare molte cose: la volontà dei soggetti, ma anche lo spirito della Congregazione; se prevale la prima nel senso di far ascendere al Sacerdozio buona parte dei fratelli, si avrebbero nella Congregazione 2 gruppi. Inoltre non credo che una Congregazione di sacerdoti dia lo stesso rendimento per l'insegnamento di quella dei fratelli non sacerdoti; ci vorrebbe un periodo più lungo di preparazione e una volta sacerdoti non potrebbero dedicarsi all'insegnamento come i fratelli non sacerdoti: verrebbe trascurato il loro ufficio specifico.

Sono contrario anche all'istituzione di una Commissione: si metterebbe in movimento tutto il gruppo dei fratelli insegnanti e ritengo che ciò non sarebbe un bene per il Concilio».

Il Card. Micara: «Io lascierei la porta aperta, anche perché mi pare che nella vocazione religiosa di questi fratelli, c'è in germe quella sacerdotale; si maturi quindi la questione, lasciandola per il momento impregiudicata».

Il Card. Browne: «Anche l'insegnamento nella Chiesa è un grande mezzo di apostolato e quindi è bene che abbia un corpo specializzato e dedito interamente ad hoc».

Il Card. Siri: «Per me non è una questione da trattare in Concilio; va prima maturata».

Il Card. Presidente riassume dicendo: «La maggioranza è quindi per una posizione di attesa: la questione va maturata ancora e la S. Sede segua quindi lo svolgimento di essa, senza che per il momento si pronunci nell'uno o nell'altro senso o la presenti al Concilio».

Il Card. Presidente accenna quindi all'osservazione del Card. Jullien e alla risposta data dalla Commissione dei Religiosi. Nessuno ha proposte da fare (cf. posizione stampata, pp. 9-11).[2]

Così per quanto riguarda l'osservazione del Card. Bea (pp. 11-13)[3] e quelle di Suhr e Sépinski (pp. 13-15).[4]

Il Card. Presidente passa quindi all'esame dei singoli articoli, notando che il secondo ha subíto un piccolo emendamento.

Il Card. Siri si dice contento della risposta data dalla Commissione alla sua osservazione al terzo numero: «de speciali fratrum docentium vocationis indole».

Così *il Card. Léger*, che riafferma di stare a quanto è stato deciso sopra dalla maggioranza di tenere la porta aperta in attesa che la questione maturi.

I nn. 4 e 5 non presentano emendamenti.

I nn. 6 e 7 presentano un'aggiunta, suggerita dalla Commissione Centrale ed accettata dalla Commissione dei Religiosi.

All'art. n. 8 (dietro suggerimento del Card. Ruffini) non viene introdotto alcun emendamento, ma si propone di aggiungere all'art. 37 «Ut haec norma prudentiae efficacius servetur, nemo aliquod institutum status perfectionis, etiam saeculare, constituere praesumat, inconsulto *loci* Ordinario».

Il Card. Siri dice di non preoccuparsi della osservazione di Hurley (p. 17),[5] perché nel caso appartiene alle Costituzioni particolari provvedere.

Così all'osservazione dell'Ec.mo Dell'Acqua (pp. 17-21)[6] non vengono fatti rilievi; come pure a quella di Gracias (pp. 21-22):[7] si accettano le risposte della Commissione dei Religiosi.

Si giunge così all'art. 14: «De subiectione sacerdotum incardinatorum Ordinariis locorum». Il Card. Presidente riassume brevemente lo stato della questione come è stato esposto nella posizione (pp. 22-48)[8] e dice quindi che la parte essenziale della questione sta nello stabilire la natura e l'indole dell'Istituto secolare dei sacerdoti diocesani. La Commissione dei Religiosi ha mantenuto il suo punto di vista, limitandosi ad aggiungere al n. 14: «Ideoque Superior non valet sacerdotes incardinati sui Instituti in aliam dioecesim trasferre, neque auctoritative intervenire ut illi alicui officio in dioecesi assignentur vel ab eodem amoveantur».

Per i *Cardd. Micara e Copello* basta questa aggiunta.

Il Card. Frings: «La questione è delicata: per un Vescovo è molto difficile

---

[2] Cf. pp. 18-19.
[3] Cf. pp. 19-20.
[4] Cf. pp. 20-21.
[5] Cf. p. 22.
[6] Cf. pp. 22-24.
[7] Cf. pp. 24-25.
[8] Cf. pp. 25-38.

moderare un istituto secolare che abbia diramazioni fuori della diocesi; spesso questi istituti sono influenti; i loro membri hanno in mano molte leve di potere e sono anche forniti di molti mezzi, per cui spesso i Vescovi si trovano in stato d'inferiorità nei loro riguardi».

Il Card. Siri: «Sono del parere del Card. Frings nel valutare lo stato di fatto di questi istituti. I Superiori generali di questi istituti spesso costituiscono gruppi di potere in intere regioni e anche nazioni».

Il Card. Browne: «Io comprendo le difficoltà. Ma non possiamo ammettere che questi istituti restino solo diocesani, perché altrimenti verrebbe mortificata la loro evoluzione naturale e il loro sviluppo. Ad evitare i conflitti lamentati si dovrebbe inculcare da parte della S. Sede lo spirito di dipendenza dal Vescovo».

Il Card. Presidente conclude dicendo: «Mi pare che la questione vada ancora maturata e che per il momento — in attesa di un maggiore approfondimento — non si deve permettere che sorgano altri istituti del genere».

Viene accettata questa conclusione.

Sullo stesso numero viene accettato l'emendamento dal Rev.mo Padre Sépinski: quod dependentiae ab Ordinario *loci* adversatur, che non è stato però condiviso dalla Commissione dei Religiosi, perché non c'è pericolo di equivocazione.

Il n. 15 non presenta emendamenti, ad eccezione dell'aggiunta «*loci*» dopo «Ordinario» alla riga 18.

Il n. 16 viene lasciato, contro il suggerimento di Yago.

Viene così chiuso l'esame dello schema e si passa al secondo: *De vocatione religiosa*.

Il Card. Presidente espone le varie osservazioni fatte allo schema e le risposte ad esse date dalla Commissione dei Religiosi, iniziando dalla parte generale e quindi passando ai nn. 20, 21, 23, 25, 26, 27, che erano rimasti controversi.

Tutti gli Eminentissimi approvano le risposte della Commissione dei Religiosi e gli emendamenti proposti su indicazione della Commissione Centrale.

Lo schema viene quindi dichiarato sufficientemente emendato.

De ipsa vita religiosa renovanda in genere et in particulari è il terzo schema che viene preso in esame.

Il Card. Presidente inizia l'esposizione dalla prima osservazione generale, fatta dal Card. Wyszyński. Interviene *il Card. Siri* per osservare che l'argomento è di più vasta portata e non è bene trattare dell'esenzione in questa sede; del resto esso viene affrontato più direttamente dallo schema *De relatione inter Episcopos et Religiosos*.

Vengono quindi accettate per il momento le risposte della Commissione dei Religiosi alla prima osservazione. Così pure per la seconda, fatta dal Card. Léger, il quale si dice soddisfatto, e per le altre tre.

Sulle osservazioni particolari, di cui ai nn. 1, 2, 7, 8, 9 e 10, non viene mossa alcuna difficoltà alle risposte date dalla Commissione e agli emendamenti proposti.

Al n. 13 *il Card. Micara* ripete l'osservazione già fatta in sede di Commissione, di temperare l'espressione polemica sulla mortificazione. Tutti i Cardinali sono concordi nell'accettare la proposta.

Niente viene osservato nei riguardi dei nn. 14 e 18; si accettano gli emendamenti proposti.

Al n. 20 *il Card. Frings* si dice pienamente soddisfatto dell'emendamento sulla clausura papale.

Al n. 22 viene accettata l'aggiunta del n. 22/B, mentre per il 22/C «Facultates Moderatorum Supremorum», viene deciso di rimandare la norma alla codificazione.

Niente altro viene osservato per questo numero e per tutto lo schema, che viene perciò dichiarato sufficientemente emendato.

Si passa così al quarto schema in oggetto: *De constitutionibus, de institutis, de habitu religioso.*

Il Card. Presidente riferisce le varie osservazioni generali fatte dai Padri della Commissione Centrale e le risposte ad esse date dalla Commissione dei Religiosi.

Nessuna difficoltà viene mossa dai Membri.

Nei riguardi delle osservazioni particolari il Card. Browne osserva al n. 27: «Aptatio obligatoria: munus Superiorum» che non è opportuno, perché prematuro, sentire anche i giovani sul problema dell'aggiornamento delle Costituzioni e delle regole: essi possono essere sentiti dopo qualche anno dalla professione.

Il Card. Micara osserva che le suore dovrebbero essere più ascoltate: è bene che esse parlino sui problemi della loro Congregazione, sulle difficoltà della vita religiosa, e ciò anche a sollievo del loro spirito.

Su tale proposta del Card. Micara sono tutti d'accordo e formulano il voto di trovare una formula ed il posto dove inserirla, con la quale si dia la possibilità di far parlare le suore al superiore competente o ad un suo delegato.

Al n. 34: «De superiorum maiorum conferentiis», il Card. Léger propone di non parlare di «persone morali», e la proposta viene accettata contro il parere della Commissione dei Religiosi.

Allo stesso numero viene deciso di lasciare le parole: «...a qua directe dependent», della pag. 10, lin. 2.

Al n. 38: «De Institutis iuris dioecesani ad gradum iuris pontificii evehendis», il Card. Siri propone di cancellare la disposizione, perché già di per sé i vari istituti fanno insistenza in tal senso e non c'è bisogno di spingerli. Viene accettata la proposta.

Al n. 42: «Obligatio deferendi habitum eiusque substitutio», *il Card. Browne* osserva che l'art. è un po' largo nella disposizione.

Il Card. Siri chiede se con ciò la vita religiosa potrà scapitarne, nel qual caso la norma andrebbe corretta. Per il Card. Browne questo pericolo non esiste, ma però trova la disposizione troppo vaga, perché non si stabilisce quali superiori dovrebbero permettere un abito diverso dal consueto.

Il Card. Frings propone di dire « Superiores maiores ».

Il Card. Confalonieri accetta la proposta e dice di usare la formula del can. 596.

Viene accettata la proposta.

Nessun'altra osservazione o proposta viene fatta su questo schema, che perciò viene dichiarato sufficientemente emendato.

Il Presidente dichiara tolta la seduta. Dopo la preghiera di rito la seduta viene tolta.

SESSIO IX

(18 Iunii 1962)

A) *DOCUMENTA*

1

Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 209/SE

E Civitate Vaticana, die 17 maggio 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere qui unite all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nella seduta del 7 maggio corrente[1] in vista degli emendamenti da apportare allo schema del decreto *De castitate, virginitate, matrimonio, familia.*[2]

Secondo le auguste disposizioni già comunicate all'Eminenza Vostra in data 4 dicembre dello scorso anno,[3] questa Sottocommissione desidera sapere quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine entro il corrente mese.

---

[1] Patrum observationes typis editae sunt in *Acta et Documenta..., Series II*, vol. II, pars III, pp. 939-985; 1324 ss.

[2] *Quaestiones theologicae. Schema constitutionis de castitate, virginitate, matrimonio, familia,* Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 49: in *Acta et Documenta..., Series II*, vol. II, pars III, pp. 893-937; vol. III, pars I, pp. 90-134.

[3] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III-1, p. 29.

Già ringraziando, bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo
servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Alfredo OTTAVIANI
Presidente della Pont. Commissione Teologica
Preparatoria del Concilio Vaticano II

2

EM.MUS ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Praeses commissionis theologicae pro Concilio Oecumenico Vaticano II

PONTIFICIA COMMISSIO THEOLOGICA
PRO CONCILIO OECUMENICO VATICANO II

E Civitate Vaticana, die 1 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

In relazione alla pregiata lettera dell'Eminenza Vostra Reverendissima, N. 209/SE del 17 u.s., ho l'onore di inviare le risposte alle osservazioni della Commissione Centrale circa lo schema *De castitate, virginitate, matrimonio, familia*, qui trasmesse da codesta Sottocommissione per gli emendamenti.

Confidando che il lavoro di questa commissione sia di qualche utilità a codesta Sottocommissione, ben volentieri mi valgo dell'occasione per baciarLe umilissamente le Mani e con profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo
servitor vero

ALFREDO Card. OTTAVIANI, *pres.*
SEB. TROMP, S.J., *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
il Signor Cardinale Carlo CONFALONIERI
Presidente della Pont. Sottocommissione
per l'emendamento degli schemi

ADNEXUM

CONSTITUTIO DE CASTITATE, VIRGINITATE, MATRIMONIO, FAMILIA

RESPONSIO

ad observationes a Patribus factas in sessione commissionis centralis die 7 maii 1962

Subcommissio de schematibus emendandis textum typis edidit in fasciculo *De emendatione schematis constitutionis de castitate, virginitate, matrimonio, familia*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962: cf. pp. 73-85.

3

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

Prot. N. 225-230/SE

E Civitate Vaticana, die 7 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi onoro rimettere all'Eminenza Vostra Reverendissima la relazione preparata per gli emendamenti da apportare allo schema della Costituzione *De castitate, virginitate, matrimonio, familia.*[1]

Alla relazione sono allegati gli schemi che dovranno essere emendati.

Sono quindi a pregarLa di voler intervenire alla riunione che avrà luogo lunedì 18, alle ore 17,30.

Profitto volentieri di questa nuova occasione per baciarLe umilissimamente le sacre Mani e confermarmi con sensi di profonda stima

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo, umil.mo, obbl.mo
servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

Agli Eminentissimi Signori Cardinali
Cardd. Clemente MICARA, Giacomo L. COPELLO,
Paolo Emilio LÉGER, Giuseppe FRINGS, Michele BROWNE

---

[1] *De emendatione schematis constitutionis de castitate, virginitate, matrimonio, familia*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962.

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS CONSTITUTIONIS

DE CASTITATE VIRGINITATE, MATRIMONIO FAMILIA

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

— 5 —

De emendatione schematis constitutionis

DE CASTITATE, VIRGINITATE, MATRIMONIO, FAMILIA

I

Ad observationes generales

1. Observatio plurium E.morum et Exc.morum haec est, quod modus loquendi sit nimis technicus, non sat intellegibilis pro laicis nostris, non sat attractivus. Ex sequentibus apparebit huius observationis rationem esse habitam, ex parte Commissionis Theologicae revisoriae, maxime ubi res est de finibus matrimonii, de amore, de virginitate.

2. Variis modis dictum est constitutionem saepius esse nimis biologicam, iuridicam, nec satis esse rationem habitam amoris et caritatis. Etiam huius observationis suis locis ratio est habita: et data opera actum est de amore, eo tamen modo ut clare appareat S. Synodum non sic intelligere amorem, sicut haud raro a fidelibus intelligitur, secundum ea quae in sessione Commissionis Centralis dixit E.mus Cardinalis Browne.

3. Observatum est ab E.mo Cardinali Bea locutionem Constitutionis non esse satis scripturisticam. Hac in re prudentia necessaria videtur Commissioni Theologicae. Permulta enim ex S. Scriptura afferri possent, quae in Vetere Testamento licebant, in Novo autem sunt scandalosa, et etiam Novum Testamentum creat suas difficultates. Certe *Mt.* 19, 19: « nisi ob fornicationem » manet semper crux interpretum; nec opportunum videbatur citare *1 Cor.* 7, 1-9, etsi ad explicandum remedium concupiscentiae sunt perutilia. Nam certe non iuvabunt, ut constitutio fiat

— 6 —

laicis nostris magis attractiva. Eodem modo *Mt.* 19, 12 de eunuchis, qui se castrant propter regnum coelorum, est quidem textus classicus, sed omissus propter rationes obvias. Si autem ob rationes solidas potius non citantur textus principaliores, melius est S. Scripturam non nimium adhibere, ne videatur selectio textuum arbitraria.

4. Proposuit cum pluribus aliis E.mus Cardinalis Alfrink ut in fine separatim de Sacra Virginitate diceretur. Huic desiderio omnino satisfactum est.

5. Plura opportuna notavit Exc.mus Cooray. Notandum autem est praeparari Constitutionem socialem in qua agendum erit de rebus ab Exc.mo Domino suggestis. Idem dicatur de optime observatis ab Exc.mo Dell'Acqua.

6. Exc.mus Lefebvre desiderat ut hoc Schema cum aliis eiusdem generis componatur. Quod si Exc.mus D. desiderat, ut coniungatur cum Constitutionibus disciplinaribus, Commissio Theologica revisoria tale consilium omni ex parte reprobare debet. Schemata dogmatica debent esse immutabilia, dum disciplinaria mutantur secundum necessitates temporum. Exemplum optimum dedit S. Synodus Tridentina: absolute separavit constitutiones dogmaticas et disciplinares de reformatione. Dum Sacra Congregatio ad interpretandum S. Concilium Tridentinum instituta, fere numquam interpretationem dare debuit de Constitutionibus dogmaticis, plura millia interpretationum communicare cogebatur de disciplinaribus.

7. Commissio Theologica non putat eos E.mos vel Exc.mos qui dixerunt se consentire cum tali vel tali Cardinali, hoc modo loquendi etiam probare omnia et singula quae talis vel talis Cardinalis ad varias paragraphos notavit. Quando v. g. E.mus Card. Suenens dicit ad n. 12, pag. 31, proprietates unitatis et indissolubilitatis matrimonii, ut realizari possint,

— 7 —

supponere sufficientem evolutionem societatis humanae, iure rogatur num reapse omnes 25 Commissarii, enumerati sub eius nomine, hac de re consentiant.

8. Ex corde gratias agendum est Rev.mo Patri Sépinski, O. F. M., de erroribus typographicis in utroque fasciculo corrigendis, benevole indicatis.

II

Ad observationes particulares

Ad Prooemium.

In prooemio datur ratio, cur Concilium *per modum unius* agat de castitate, matrimonio, familia, virginitate. Sunt enim in ipsa Ecclesia inseparabiliter connexa.

Ut tollatur difficultas E.mi Card. Ruffini de imaginibus Ecclesiae minus recte adhibitis, Commissio Theologica revisoria proponit legendum ad mentem plurium SS. Patrum: « Cum *populus Christifidelium* magna sit familia ex virginali simul et sponsali *Ecclesiae* cum Iesu Christi unione orta... ».

Movet E.mus Card. Döpfner difficultatem contra vocem « continentia ». In latinitate ecclesiastica vox est absolute clara, maxime si additur « casta ». Semper fuerunt in Ecclesia *continentes,* et S. Thomas notat continentiam imprimis ad sexualia respicere; secundario ad cibum et potum. Sed loco « castae continentiae » potest dici « *castitatis in solutis* ».

Ad partem primam: *De Castitate* (demitur: *et Virginitate*).

Ad num. 2.

Non factae sunt observationes.

Ad num. 3.

Ut satisfiat desiderio E.mi Card. Léger aliorumque Commissariorum de adhibendis textibus e Genesi desumptis, et de magis in luce ponenda Ecclesiae doctrina, legatur lin. 1-6:

— 8 —

«Ipse Deus "fecit hominem ab initio masculum et feminam" (*Mat.* 19, 4; cf. *Gen.* 1, 27), illisque benedixit dicens: "Crescite et multiplicamini" (*Gen.* 1, 28). Data autem benedictione vidit, quod omnia quae fecerat "erant valde bona" (*Gen.* 1, 31).[2] Unde etiam ea quae hac ex parte in homine naturaliter inveniuntur, per se bona et honesta sunt,[3] ut saepe affirmavit Ecclesia ad proclamandam dignitatem et sanctitatem nuptiarum. Attamen post Adae... ».

Ad lin. 18-19 notetur Commissionem Theologicam in quaestione de imagine Dei diligentissime ponderasse et limitasse verba: « *proprie* constituisset », « *praecipue* sexualibus ». Si hac in re nil dicitur, permittimus ut matrimonium extollatur supra virginitatem. Quod insuper spectat ad hominem, ut est imago SS. Trinitatis, notandum est, quod Filius a Patre sine matre generatur; et quod Spiritus Sanctus procedit quidem a duobus, sed non per generationem.

Dixit E.mus Card. Döpfner naturam sexus valde imperfecte definiri, omissis iis quibus sexualitas hominum distinguatur a sexualitate brutorum. Quod non est omnino rectum respondet Commissio Theologica: nam dicitur sexualitatem primarie ad *matrimonium* ordinari. Bruta autem non ineunt matrimonia. Sed ut res clarius appareat legatur lin. 22: « etiam aliis qualitatibus *humanis,* primarie tamen ad matrimonium *eiusdemque bona temporalia et spiritualia* ordinatur... ».

Ad num. 4.

Quod attinet ad verba lin. 2-6, pag. 5, quibus agitur de liceitate mutilationis, restrictio quaedam absolute necessaria erat. Non licet Concilio rem ut absolutam proponere, ubi certo certius sunt exceptiones saltem serio probabiles. Et primum quidem, ut observat quoque E.mus Card. Montini, quaestio est de liceitate sterilizationis a Statu inflictae in poenam. Et si licitum est, ut quidam non sine gravibus argumentis contendunt, unum ex meis renibus dare renibus laboranti secus morituro, cur non licet unum ex testiculis dare homini secus perpetuo sterili?

— 9 —

Ut autem evitentur omnes disputatae quaestiones Commissio Theologica proponit ut legatur lin. 2-6: « nec licet ad sanitatem totius hominis salvandam, eius organa genitalia mutilare [10] vel infoecunda reddere, si aliter eius saluti provideri potest. Nec ullo in casu ius datur... ».

Pag. 5 lin. 10-11 ad mentem E.morum Gracias et Antezana scribi potest: « germina humana utriusque sexus in laboratorio adhibere, ut inter se uniantur ».

Pag. 5 in nota 2 legatur: « Cf. etiam *Eccli.* 39, 21: "Opera Domini universa bona valde" ».

Ad num. 5 (in titulo Capitis dematur *et virginitate*).

Lin. 5, ut desiderat E.mus Card. Léger, scribatur: « quo, *iuvante Dei gratia,* caro... ».

Lin. 15-16 ad mentem E.mi eiusdem claritatis causa facta est transpositio verborum et legitur: « omittendi actiones, quae, sive solitarie sive cum alio, natura sua... ».

Observatio E.mi Card. Döpfner non omnino aequa est, censet Commissio Theologica. Plus diximus quam illud solum quod castitate caro rationi subiciatur. Sed sequendo utilissimas suggestiones E.mi eadem Commissio revisoria proponit ut post lineam sextam addatur: « Sic castitate relatio sexuum eorumque commercium ita nobilitantur, ut digna sint homine ad imaginem Dei creato et christiano ».

Insuper, ut lin. 9 post « continentiam » fiat additio et sic textus compleatur: « continentiam; et dum in solutis de more ordinario praeparat ad matrimonium vel sacram virginitatem, in matrimonio iunctis est splendor ipsius connubii ».

Quia E.mus Card. Ruffini optat ut lin. 27 etiam exprimatur necessitas orationis, legatur: « *humiliter implorata* et iuvante Dei gratia ».

— 10 —

Ad num. 6.

Quia plures cum E.mo Card. Alfrink existimant *de sacra Virginitate* agendum esse in proprio Capitulo post Cap. *de Matrimonio,* ideo num. 6 et 11 locum suum invenient postea, aucti et emendati secundum placita plurium.

Ad num. 7 (nunc 6).

Clarum est in numeris 7 et 8 mutandos esse numeros notarum.

Lin. 4, ut melius appareat necessitas mediorum supernaturalium, legatur ad mentem E.mi Card. Léger: « media naturalia et *imprimis* supernaturalia ».

Ad lin. 10 observaverunt E.mi Gracias et Antezana vocem « impudicam » licet generaliter acceptam, tamen non exprimere quod sit exprimendum. Quare Commissio Theologica revisoria proponit ut fiat additio explicativa et legatur: « qua actus impudici, *id est natura sua libidini faventes,* indifferentes censeantur ».

Lin. 14 ubi de delectatione, legatur *libidinosam,* non vero « sensualem ».

E.mi Léger, Valeri, Exc.mi Bernier et Jelmini exoptant, ut in pericope lin. 21-29 de initiatione sexuali etiam dicatur de obligatione parentum. Iure merito. Quare Commissio Theologica lin. 26 post « commendat » proponit hanc additionem: « commendat, imo parentes vituperat, qui ob insanam timiditatem falsamque pudicitiam hoc grave officium vel negligunt vel leviter adimplent, vel ubi semetipsos incapaces sentiunt, id personis aptis non committunt; ex altera parte reprobare tamen... ».

Ad num. 8 (nunc 7).

Ut iam dictum est, mutandi sunt notarum numeri.

Lin. 34 legatur, ut exoptat E.mus Card. Léger, non « stigmatizat », sed *declarat.*

Quia lin. 5-10 error de quo agitur pertinet ad

— 11 —

virginitatem, res ad novum caput de virginitate remittitur, et haec lineae hic demuntur.

Ad notas: Quia excidit num. 6 *de Virginitate,* pag. 15-16 expunguntur notae 7 ad 11 (necnon pag. 23-24 nota 29) et paginis 16-23 numeratio notarum mutatur.

Notandum est in redactione ultima omnes notas omissum iri, quod etiam de notis 15 et 18 (nunc 10 et 13), de quibus dixerunt E.mi Gracias et Antezana.

Ad partem secundam: *De Matrimonio et Familia.*

Ad num. 9 (nunc 8).

Putat E.mus Döpfner, data opera omissam citationem *Gen.* 2, 18-24. Minime; quod ut clarius appareat, proponit Commissio Theologica ut lin. 17 legatur: « et feminam, et in dando ei adiutorium simile sibi (cf. *Gen.* 1, 27; 2, 18-24 et 5, 2; *Mt.* 19, 4) reapse voluit... ».

Ad num. 10 (nunc 9).

Linea 24 legatur: « cf. *Gen.* 1, 28:; 2, 18-25; *Mt.* 19, 4 ». Linea 26, ut proponit Exc.mus Jelmini, mutata interpunctione scribatur « bonum et sacrum. Immo pro... ».

Etsi modus loquendi « Dei et Christi » habeatur in Conc. Tridentini Constitutione de Iustificatione (DENZ. 799), tamen solemnius ad mentem eiusdem Exc.mi lin. 5 (pag. 4) scribi potest: « *Dei Patris et Iesu Christi* ».

Desiderat E.mus Card.lis Döpfner ut linea 16, ubi agitur de sponsis ut ministris Sacramenti, post « sed iidem », addatur: « tanquam ministri Christi et Ecclesiae ». Obstat, quod lin. 19 dicatur « *administri* ». Quare, quod ad idem redit, proponit Commissio Theologica: « sed iidem in persona Christi et Ecclesiae efficiantur ».

Ut occurratur desiderio plurium legatur lin. 19: «*ministri*», loco «administri».

— 12 —

Ad num. 11.

Numerus hoc loco excidit, sed postea resumetur: quia plures desiderant ut de Sacra Virginitate solemnius in fine Constitutionis dicatur.

Ad num. 12 (nunc 10).

Quia omittitur hoc loco n. 11, expedit ut n. 12 incipiat: « Licet matrimonium » (omissa voce « igitur »).

E.mus Léger desiderat ut lin. 10 de matrimonio dicatur: « suo tamen modo vitam evangelicae perfectionis exigit et fovet », et etiam E.mus Montini rogat ut dicatur etiam coniuges tendere debere in perfectionem christianam. Notat Commissio Theologica quaestionem hanc ad satisfactionem Cardinalium Revisorum solutam fuisse in Constitutione *de Ordine Morali,* num. 5. Quare proponit ut hoc loco dicatur: « tamen suam perfectionem iuxta leges Christi exigit ».

Non solum enim solliciti esse debemus de matrimonio iunctis, sed etiam de deminutis vocationibus ad statum sacerdotalem vel religiosum, etiam ob falsum titulum matrimonium non cedere virginitati sacrae.

Lin. 17 desiderat E.mus Coussa ut in verbis «nulla auctoritate mere humana » tollatur illud *mere.* Quod fieri nequit, censet Commissio Theologica, nam auctoritas Ecclesiae licet non sit mere humana, tamen auctoritas humana est.

Lin. 19 legatur, ut volunt E.mus Léger atque alii: « *proprietates* intrinsecae ».

Desiderant E.mi Suenens et Liénart, vel saltem utile putant, notare « quod proprietates matrimonii, *ut realizari possint,* supponunt sufficientem evolutionem societatis humanae ». Commissio Theologica revisoria putat talem notam esse sat periculosam, quia sic in dubium vocatur unitas et indissolubilitas matrimonii apud populos primitivos subnutritos et etiam apud multos qui hodie vivunt in urbibus magnis.

— 13 —

Accedit quoque quod v. g. in Indonesia, ubi polygamia est licita secundum leges, ut nimis expensiva est privilegium divitum. Multo magis urget problema sociale, ubi agitur de procreatione prolis!

Ad num. 13 (nunc 11).

Plures moleste ferunt, quod in hoc numero, ubi agitur *de finibus* matrimonii, amor silentio transmittatur. Notandum tamen est — dicit Commissio Theologica —:

a) E.mum Card. Alfrink cum suis concedere ad mentem S. Scripturae amorem nec esse finem primarium nec secundarium;

b) E.mum Döpfner cum suis consentire quando dicunt: « sine amore fines matrimonii difficulter attingi posse »;

c) verba *Catechismi Romani*: « ut causam et primam rationem », in se non nimis dilucida, spectare potius causam formalem quam finalem. De amore autem ut causa formali dicetur postea n. 20;

d) omnino esse distinguendum inter amorem coniugalem et adiutorium mutuum.

Desideratur etiam ut melius explicentur fines secundarii qui generatim mutuum adiutorium (cf. *Gen.* 2, 18) et remedium concupiscentiae vocantur (cf. *1 Cor.* 7, 5-9) et sunt in S. Scriptura fundati.

Ut desideriis iustis satisfiat et magis appareat aspectus anthropologicus, secundum nonnullos nimis in umbra latens, Commissio Theologica sequentes proponit additiones et emendationes:

Pag. 6, lin. 3, post notam 22, addatur:

« Hunc finem persequendo homo cum Deo, creatore et sanctificatore animarum, per paternitatis et maternitatis dignitatem, collaborant ad humani generis propagationem et sanctificationem. Hac de causa... ».

Lin. 15-21, ubi quaestio est de duobus finibus secundariis, Commissio Theologica relinquit iudicio E.morum, an debeat citari *1 Cor.* 7, 5-9, et proponit hanc longiorem redactionem:

— 14 —

« Alii autem matrimonii fines obiectivi, ex indole ipsius matrimonii oriundi, sed secundarii, sunt mutuum adiutorium coniugum solatiumque in vitae domesticae communione, et remedium, quod dicitur, concupiscentiae. In matrimonio enim concupiscentia per fidem coniugalem ad unam determinatam personam dirigitur, ideoque, rationi subiecta, castitati inservit et nobilitatur.[25] Qui fines, debite intenti iura quamvis subordinata in matrimonio constituunt,[26] et ideo isti, etsi secundarii, in se non sunt spernendi... ».

N. B.: Doctrinam de remedio concupiscentiae desumptam esse ex Commentario Angelici ad *1 Cor.* 7, 5-9.

In fine num. 13 (11) addatur:

« Meminerint autem fideles omnes matrimonii fines, cum obiectivos tum subiectivos, etiam primarium illum, quo homines Deo adsociantur in opera eius creatrice et teste Apostolo mulier salvabitur (cf. *1 Tim.* 2, 15), bene intendi non posse nisi connubium informetur recto veroque amore sponsali, caritate supernaturali et gratia Christi elevato et perfecto ».

Qua additione satisfit — censet Commissio Theologica — desideriis E.morum Döpfner et Ruffini, sat oppositis.

Ob obiectiones factas ab E.mis Frings et Döpfner necnon Exc.mo Jelmini, Commissio Theologica proponit ut deleatur, lin. 6-8: « ut nulla... ita etiam essentialis ».

Ad num. 14 (nunc 12).

E.mi Gracias et Antezana putant Romae esse theologos, qui dicunt Romanum Pontificem solvere posse matrimonium ratum simul et consummatum, val saltem definitive probari non posse contrarium. Quibus ostenditur clare huius numeri necessitas.

Ad num. 15 (nunc 13).

Non sunt factae observationes.

— 15 —

Ad num. 16 (nunc 14).

Lin. 29 Exc.mo Jelmini non placuit vox « sanitas », quae tamen est recta et patristica, maxime augustiniana. Proponit: « incrementum ». Commissio Theologica suggerit cum Catechismo Romano: « *salus* ».

Lin. 33 post « esset » addatur ad mentem E.mi Léger: « absque ullo valore naturali vel supernaturali ».

Lin. 36 ob difficultatem motam ab Exc.mo Jelmini post voculam « neque » addatur « in nova salutis oeconomia ».

E.mus Döpfner suggerit, ut pag. 8, lin, 2-6 omittantur ea, quae dicuntur de matrimonii *usu,* ut imagine SS. Trinitatis. Commissio Theologica ob pudicitiam scripsit « matrimonium », putans intellegentibus sufficere nonnumquam verbi dimidium. Proponit nunc Commissio Theologica revisoria magis anthropologice dicatur: « matrimonii *usum* ».

Omittenda est pericope lin. 6-13, postea resumenda in parte de Sacra Virginitate. Quod idem valet de notis 11-13, pag. 11. Omittenda quoque nota 23, pag. 15, expuncto textu correspondente. Tollenda quoque pag. 18, ob eandem rationem, nota 48, et pag. 19, in fine ultimae notae legatur, ut omnis disputatio tollatur: « finem primarium obiectivum ipsius matrimonii », addito *obiectivum.*

Ad num. 17 (nunc 15).

Ut solvatur difficultas iusta mota ab E.mo Card. Döpfner, legatur lin. 4: « obstare, absolute vel relative, perpetuo vel ad tempus, aliquod legitimum impedimentum ».

Ad lin. 13 E.mus Léger et Exc.mus Hurley desiderant ut specificentur verba: « indebitis limitibus et conditionibus praematrimonialibus ». Videtur difficilis ulterior specificatio. Reapse agitur de inspectione medicinali vel de certificato medicinali antematrimonialibus, ut conditione sine qua non ineundi matrimonium.

— 16 —

Lin. 24-25, ad mentem E.mi Card. Léger legatur: « educatio et diligens cum aptis instructionibus praeparatio ».

Quod desiderant ad lin. 20-21 E.mi Ruffini, Godfrey, Silva Santiago, et Exc.mus Jelmini respectu renovationis consensus, creat difficultates. Potest etiam rogari solutio vinculi, ut nonnumquam reapse fit. Videtur deinde res disciplinaris.

Ad num. 18 (nunc 16).

Commissio Theologica non potest consentire, ut lin. 28, ubi agitur de prohibitione impeditionis prolis in usu ipso matrimonii, ad mentem E.mi Card. Döpfner, omittatur verbum « graviter ». Esset contra doctrinam Pii XII. E contra putat lin. 30 non satis severe prohiberi onanismum. Quare cum distinctione E.mi Döpfner de peccato egoistico et peccato debilitatis, proponit legendum lin. 30-31: « ... cooperatio semper graviter prohibentur, maximeque vituperanda, si non ex debilitate, sed ex sordido egoismo proveniunt ».

Quod attinet ad amplexum reservatum; ex una parte taceri nequit; ex altera manet discordia theologorum, an semper sit peccatum grave. Quare nil restat ut lin. 31-33 maneant ut sunt, nisi ipsum Concilium velit dirimere quaestionem disputatam.

Ad interrogationem E.mi Döpfner, quomodo differant lin. 33-37 a lin. 37-40, respondetur quod foetus nondum natus non est necessario anima informatus, saltem ex probabili sententia, quidquid dicat Exc.mus Jelmini ad notam 19.

Ad num. 19 (nunc 17).

Quia ut recte observavit E.mus Döpfner, verba lin. 15 paululum logicam offendunt, proponit Commissio Theologica ut sic legatur: « nec praetextum, quod infidelitas solis actibus internis commissa sit ».

Ut aliquomodo occurratur desiderio E.mi Döpfner, eadem Commissio proponit ut lin. 20 ad verbum «debent» addatur: «si numquam desperantes, sed firmiter fundati in fide, spe et caritate, bonum volunt ».

— 17 —

Ad num. 20 (nunc 18).

Ut ratio habeatur eorum quae dicta sunt de amore in Schemate non sufficienter considerato, sic incipiat numerus 20:

« (*De amore coniugali, caritate formato*). Amor coniugali, quo parentibus relictis, sponsi sibi invicem adhaerent (cf. *Gen.* 2, 24), non in sola mutua benevolentia consistit, sed etiam in mutua complacentia et coniunctione affectiva. Sciant autem connubio iuncti huiusmodi amorem non multum valere, nisi subordinetur caritati, qua Deum amamus super omnia. Solummodo caritate formatus, amor matrimonio perfectionem dabit a Deo Patre et Iesu Christo volitam, virtutemque ad officia gravia status religione implenda, fidem matrimonialem semper et ubique servandam, prolem generose accipiendam et educandam. Non paucae enim miseriae familiares inde originem ducunt, quod sive pater, sive mater, sive ambo coniuges amore Dei carent. Quare super omnia... ».

Pag. 23 Commissio Theologica libenter ad votum Cardinalis Döpfner accedit, ut scribatur lin. 3-4: « Ne tamen consensus nuptialis dicatur invalidus, si de facto amor coniugalis deficit... ».

Non autem Commissio Theologica probat rationes allatas. Etenim, etiam si aliquis sine ullo amore vivit in matrimonio, quia Xantippam duxit unice ducatorum causa, tamen eius relatio ad uxorem potest manere humana et personalis, nec fit res bestialis vel mere physiologica.

Quia vero de natura amoris iam sufficienter dictum est in praecedentibus, sufficit ut lin. 4-5, loco « neque idem potius », accuratius legatur: «nec amoris perfectio ».

Ad num. 21 (nunc 19).

Nulla facta est observatio.

— 18 —

Ad num. 22 (nunc 20).

Pag. 24, lin. 4-5, E.mus Card. D'Alton praefert, ut loco verborum « non contradicente auctoritate ecclesiastica », dicatur: « cum licentia auctoritatis ecclesiasticae ». Difficulter autem probatur licentiam semper et ubique requiri, nec dari exceptiones.

Ad num. 23 (nunc 21).

Lin. 11 scribatur ad mentem E.mi Card. Döpfner: « bonum religionis *plerumque* exigit ».

E.mus autem Card. Jullien desiderat, ut de matrimoniis mixtis agatur in Constitutione propria. Nil obstat. Sed hic consideratur res theologice. Et expedit, ut ea a disciplinaribus omnino separetur.

Ad num. 24 (nunc 22).

Lin. 30 scribatur: « Errores *reprobantur* ».

Gaudet Commissio Theologica E.mos Cardinales Godfrey et Antezana, necnon Exc.mum Rakotomalala contentos esse de sententia pag. 25, lin. 4-9 censurata. Reapse hodie etiam in Statibus Foederatis Americae proponitur doctrina, matrimoniis mixtis esse favendum ad promovendum spiritum tolerantiae religiosae et motum oecumenicum.

Nullam videt Commissio Theologica revisoria rationem, cur pag. 33 supprimatur nota 34 de matrimoniis mixtis. Ex textu pontificio clare apparet mens Ecclesiae. Quod si vero E.mus Döpfner provocat ad can. 10 et 31 Concilii Laodiceni, ad contextum attendat. Concilium enim non solum interdicit schismaticis et haereticis introitum ecclesiae, sed prohibet, ne catholici cum schismaticis et haereticis orent! Etiam in *C.I.C.*, can. 1060, matrimonii mixti *severissima* notatur prohibitio.

Ad num. 25-26 (nunc 23-24).

Nulla facta est observatio.

— 19 —

Ad num. 27 (nunc 25).

E.mi Frings et Montini desiderant expressiones mitiores: etiam, ut dicatur relationes viri et mulieris variare secundum tempora et loca. Gladius videtur valde anceps, dicit Commissio Theologica. Tali additione enim etiam vehementer noceri potest sorti mulieris. Dici enim potest: « uxor debet oboediri viro sicut Christo: haec autem intellegantur oportet secundum traditiones nostras », utique mulieribus sat duras. Etiam in Italia, est dependentia uxoris, quae a feminis septentrionalibus fere non toleratur.

E.mus Card. Léger cum E.mo Browne et aliis recte observat aliud esse primatum viri in uxorem, aliud in infantes. Quare Commissio Theologica libenter acceptat lectionem a Cardinali Browne propositam, nisi quod magis biblice loco « sociae » proponit « adiutricis ». Commissio Theologica secuta erat Encycl. *Casti Connubii,* ubi etiam per modum unius legitur « virum primatum habere in uxorem et liberos ».

E.mi Léger, Döpfner, Exc.mus Perrin et alii observant addendum esse virum mulieremque coram Deo esse aequales et aequalibus gaudere iuribus quoad essentialia contractus matrimonialis. Cuius observationis debita habebitur ratio.

Quodsi vero Exc.mus Perrin observat primatum viri habere limites, Commissio Theologica putat in textu sufficienter provisum esse.

Quibus omnibus consideratis, Commissio Theologica proponit, ut pag. 35, lin. 2-4, legatur:

« ... erit minister vester ». Etsi vir et mulier tamquam personae humanae eiusdem dignitatis sunt coram Deo et plena iurium aequalitate gaudent in iis quae constituunt contractus matrimonialis essentiam: tamen vir naturaliter praeest toti familiae, uxori nempe ut adiutrici peculiariter honorandae et venerandae, liberis autem ut enutriendis et educandis ».

— 20 —

Ad num. 28 (nunc 26).

Desiderat Exc.mus Jelmini ut sermo quoque fiat de labore. De hac re autem suo loco dicetur in Constitutione *de Ordine sociali.*

Ad num. 29 (nunc 27).

Ut proposuit E.mus Léger, legatur lin. 5 « *numerum filiorum* » loco « numerosam prolem », licet in Encyclica citata legatur « familia numerosa ».

E.mus Card. Siri desiderat ut lin. 25 ubi de methodo Ogino-Knaus non tantum dicatur « ex iusta causa », sed severius « ex iusta et gravi causa ». Res longe et late disputata fuit in Commissione Theologica, sed videbatur melius et rectius omittere *gravi*.

Quod si vero E.mi Godfrey et Antezana necnon Exc.mus Rakotomalala notant fideles saepius confundere methodum Ogino-Knaus cum usu rerum artificialium, hoc dolendum est. Provideant Episcopi eorumque adiutores.

Quod attinet ad lin. 26-31, E.mus Léger proposuit transpositionem utilem, nec placuit E.mo Döpfner lin. 29 vox « continentia ». Quare Commissio Theologica sic legendum consulit post notam 4:

« Ipsa autem usus matrimonii renuntiatio illicita coniugibus evadit, si per illam, ut animadvertit ipse Apostolus (cf. *1 Cor.* 7, 5), coniuges in proximum peccandi periculum versentur. Suprema vero regula esto Apostoli universale monitum: " Omnia vestra in caritate fiant " (*1 Cor.* 16, 14) ».

Pag. 41, lin. 3-4, legitur: « praeponi vel coaequari ». E.mus Léger desiderat ut scribatur *seiungi*. Comm. Theol. consulit: *opponi,* praeponi, vel coaequari.

Ad num. 30 (nunc 28).

Ut erat adspectandum, sententiae Commissariorum erant divisae. Alii voluerunt ut quaestio de superpopulatione absoluta ponderaretur, alii ut fusius evolveretur, alii ut omitteretur utpote non necessa-

— 21 —

ria, alii ut deleretur. E.mi Godfrey et Antezana necnon Exc.mus Rakotomalala dicta de superpopulatione laudaverunt.

In Commissione Theologica sociologi existimabant argumentis sociologicis superpopulationis possibilitatem nec stricte probari nec stricte refutari posse.

Maximum argumentum est ex Dei providentia, qui ex una parte homini indidit tendentiam vehementem procreandi, et ex altera parte absolutam fiduciam in divinam providentiam altissime extollit: *Mt.* 6, 25-34 et *Lc.* 12, 22-31.

Argumentum ex *Gen.* 1, 28: « Crescite et multiplicamini » est forte. Finiretur enim per absolutam superpopulationem finis primarius matrimonii. Observatur tamen etiam in stadio superpopulationis homines mori et eorum locos occupari posse; et ideo remanere locum non quidem multiplicationi, attamen augmento generis humani. Quare Commissio Theologica proponit ut textus maneat sicuti est; et decisio relinquatur Concilio a Spiritu Sancto conducto.

Ad num. 31 (nunc 29).

Tres Commissarii, E.mus Godfrey, Exc.mi Rakotomalala, Antezana, rogant, ut dicatur de necessitate instructionis sexualis. Iam provisum in Capite *de Castitate*.

Ad num. 32 (nunc 30).

E.mus Léger proponit ut lin. 29-30 dicatur non « sacra vocatione » sed « sua vocatione ». Proponit Commissio Theologica: « sua, maxime ad divinum servitium, vocatione ».

Ad num. 33 (nunc 31).

Nulla facta observatio.

Ad num. 34 (nunc 32).

Exc.mus Jelmini desiderat ut sententia intermedia lin. 19-22: « Immo... debet », ponatur in

— 22 —

fine. Obstat autem quod in sententia sequenti datur ratio praecedentis.

Ad num. 35 (nunc 33).

Non exstant observationes.

Ad num. 36 (nunc 34).

Ut evitetur oppositio, de qua loquitur E.mus Card. Léger, et simul satisfiat observationi factae ab E.mo Card. Döpfner, Subcommissio revisoria proponit ut pag. 45, lin. 2 legatur:

« patebit recordanti, quomodo Ecclesia in sua de educatione christiana doctrina, semper prae oculis habuerit exemplum divini Magistri, qui dum ex una parte concredidit Ecclesiae novum et magnum mandatum caritatis, ex altera tamen ursit Decalogi etiam praecepta negativa... ».

Lin. 4 legatur, novae redactionis causa, non « proposuerit », sed « *proposuit* ».

Ad num. 37 (nunc 39: post Tertiam Partem de Virginitate ponendum):

Non sunt factae observationes, sed quia in nova redactione *Epilogo* praecedit Pars Tertia *de Sacra Virginitate,* lin. 22, post « continuo tendant », addendum erit:

« monet eos qui sacra virginitate Deo inserviunt, ut amore Iesu Christi abnegantes saecularia desideria, amorem carnalem omnem in spiritualem convertant ».

Ad numeros novos 35-38 (*de Sacra Virginitate*).

In conficiendo capite de Virginitate combinati sunt numeri 6 (de virginitate) et 11 (de matrimonio et virginitate), cum suis notis respectivis. Quod autem ad errores attinet, coniuncta sunt ea, quae n. 8 (pag. 13, lin. 5-10) dicuntur de incapacitate candidatorum ad vitam religiosam vel sacerdotalem, assumendi onus virginitatis vel coelibatus, et quae n. 16 (pag. 8, lin. 6-13) habentur de matrimonio

— 23 —

praelato coelibatui, et de coelibatu hodie iam antiquato.

Quod attinet ad partem desumptam ex num. 6, quaedam modo solemniori prolata sunt, ut exoptant E.mus Card. Döpfner et Exc.mus Jelmini; et quae in fine eiusdem numeri dicuntur de coelibatu in Ecclesia Latina et in Ecclesiis Orientalibus, ita redacta sunt, ut minus appareat indoles legalis, et Orientales honorentur.

Quia E.mus Coussa putat non satis citatos esse Patres Graecos, de matrimonio non praeferendo virginitati « attulimus textum multo aequilibratum S. Ioannis Damasceni », respondet Commissio Theologica.

Ea quae desumpta sunt ex n. 8, secundum observationem factam ab E.mo Döpfner ita nunc emendata sunt, ut clarius appareat de quibus personis agatur: de novitiis videlicet et similibus.

In iis quae desumpta sunt ex n. 11, placuit ad verba quod Ecclesia magis honorat virginitatem quam matrimonium, etiamsi virginitas non iungitur voto vel aliis consiliis evangelicis, in fine addere, sicut proponit E.mus Léger: « dummodo reapse sit volita propter Deum ».

In ultima parte expedire visum est quaedam addere de deminutione vocationum in multis regionibus etiam ob errores sparsos.

Non potuit consentire Commissio Theologica Revisoria cum iis quae E.mus Döpfner ad n. 6 proposuit, « de amore indiviso » quo virgo se tradat Deo. Excluditur enim amor coniugalis, et hoc sensu amor virginis est indivisus. Difficulter autem probatur excludi omnem amorem amicitiae, amorem erga parentes, etc.

Ad n. 37 hac de causa admonitio ad virgines et coelibes propter regnum Dei « convertendi omnem amorem carnalem in spiritualem ».

— 24 —

Pars Tertia

DE SACRA VIRGINITATE

35. [*De sacrae virginitatis excellentia*]. Quodsi sancta Mater Ecclesia castitatem, ut fructum eximium Spiritus Sancti (cf. *Gal.* 5, 23) peculiari honore tenuit, utique inter thesauros suos maxime pretiosos omni tempore reputavit perfectam illam castitatem, qua quis se sacra virginitate consecrat Dei famulatui, et amore singulari erga Deum, propter regnum coelorum (cf. *Mt.* 19, 12), spirituali liberae voluntatis proposito, a nuptiis earumque corporalibus delectationibus abstinet. Qui honor a Sponsa Christi datus adhuc crescit, si illa castitas suscepta ex vinculo perpetuo, maiore circumdatur robore ac firmitate.[1] Tali enim consecratione homo quodammodo puritatem Angelorum aemulatur,[2] statum coelestium aliquatenus iam hisce in terris anticipat,[3] perfectius Christo Virgini, ex Virgine immaculata nato, adsimulatur, atque arctius cum Deo, Spiritu purissimo, coniungitur. Eadem quoque consecratione, iuvante Dei gratia, obtinetur, ut homo sese totaliter tradere possit servitio divinae Maiestatis, facilius vacet rerum divinarum contemplationi, atque liber a curis saecularibus et carnalibus promptius aggrediatur opera apostolica, ob Regni Dei dilatationem suscepta.[4]

36. [*Virginitas et matrimonium*]. Mirum igitur moveri nequit, Sanctam Ecclesiam ab ipso divino Magistro et gentium Apostolo edoctam (cf. *Mt.* 19, 11-12; *1 Cor.* 7, 25-27, 32-36, 38-40), virginitatem prae matrimonio extollere numquam desiisse,

[1] Pars I, pag. 15, n. 7.
[2] Pars I, pag. 15, n. 8.
[3] Pars I, pag. 16, n. 9.
[4] Pars I, pag. 16, n. 10.

— 25 —

etsi semper erant et erunt, qui teste ipso Domino, eius verbum non capiant (cf. *Mt.* 19, 12). Sobrie, sed clare, alios ut solet deiloquos Patres[5] secutus, dicit S. Ioannes Damascenus: « Virginitas angelicum est vitae genus, incorporeae omnis naturae peculiaris nota. Neque id dicimus, ut matrimonium detrahamus, absit: scimus enim Dominum praesentia sua nuptiis benedixisse, illumque novimus, qui dixit: honorabile connubium... et thorus immaculatus (*Hebr.* 13, 14); sed quia nuptiis, quamvis alioquin bonis, praestare virginitatem agnovimus ».[6] Nec minus sobrie et clare S. Synodus Tridentina docuit, melius esse et beatius manere in virginitate aut coelibatu (utique propter Deum susceptis), quam iungi matrimonio.[7] Nec per sacram virginitatem, quippe quo modo prorsus singulari Christo virgini conformamur, propriae personalitatis evolutio impeditur vel diminuitur, sed potius augetur et ad perfectiorem gradum adduci potest (cf. *1 Cor.* 7, 33-40).[8]

37. [*Praxis Ecclesiae*]. Non obstante igitur matrimonii eximia dignitate et familiae christianae non satis laudanda excellentia, Ecclesia ordinem obiectivum a Deo per Iesum Christum institutum considerans, voluit ut castum quoque connubium, quod est magnum mysterium in Christo et Ecclesia (cf. *Eph.* 5, 32), honore cederet statui sacrae virginitatis, etiam ubi virginitas non iungitur voto vel professioni aliorum consiliorum evangelicorum, dummodo reapse sit volita non propter rationes humanas, sed ob Dei et Iesu Christi amorem; et a sacrorum ministris latini ritus postulat, ut volenter libenterque sacram virginitatem ut sponsam eligant

[5] Cf. imprimis Didym. Alex., *Contra Manich.* 8: *PG* 39, 1096, et S. Ioannes Chrysost., *De Virginitate* 10: *PG* 48, 540.
[6] Pars II, pag. 11, n. 11.
[8] Pars II, pag. 11, n. 13.

— 26 —

eidemque ad mortem usque fideles maneant, dum eandem castitatem virginalem ministris rituum orientalium ut dulce decus sacerdotale commendat.[9]

38. [*Errores censurantur*]. Pia Mater Ecclesia, sicut prae gaudio exsultat ob magnum numerum eorum, qui in variis regionibus, nominatim in ecclesiis recenter fundatis, Spiritu Sancto inspirante et iuvante, sacrum amplectuntur virginitatis statum: ita quoque non sine anxia sollicitudine observat in haud paucis regionibus, in quibus olim virginitas sacra decus erat multarum familiarum, nunc diminui et nonnumquam notabiliter reduci numerum eorum, qui divina gratia ad statum a Deo tam praedilectum aspirent; idque non solum ob spiritum mundanum, facilius quam olim in familias quoque catholicas penetrantem, sed etiam ob errores de indole matrimonii et sacrae virginitatis sparsos ac propagatos. Quare dura necessitate coacta renovat condemnationem severam olim a Sacro Concilio Tridentino prolatam contra eos, qui asserere audent, statum coniugalem esse anteponendum statui virginitatis vel coelibatus,[10] et illorum graviter quoque reprobat sententiam, qui proferunt hodie vinculum coelibatus esse obsoleti valoris, immo hodie impossibile, excedens Ecclesiae competentiam atque relaxandum secundum voluntatem subiecti.[11] Severe quoque reicere debet periculosam et vitae Ecclesiae nocivam valde sententiam, qua docetur obligationes circa castitatem virginalem a iuvenibus sese Deo dicare volentibus assumptas, esse practice non exsistentes, cum adolescentes a priori et universali ratione praesumantur carere maturitate psychologica atque praerequisita circa alterius sexus personas experientia.[12]

Hortatur tandem S. Synodus parentes christianos ut oratione, vitae puritate et veneratione erga statum sacerdotalem et religiosum, sacras vocationes promoveant, scientes castum connubium tunc maxime honorari, quando ex eo procedunt flores sacrae virginitatis

[9] Pars I, pag. 16, n. 11.
[10] Cf. *Conc. Trid., l. c.*
[11] Pars II, pag. 18, n. 48.
[12] Pars I, pag. 23, n. 29.

— 27 —

* * *

Hae sunt responsiones datae a Pont. Commissione Theologica observationibus et suggestis a Patribus Pont. Commissionis Centralis prolatis in sessione generali diei 7 maii 1962. His omnibus perpensis, ne dedignentur E.mi Patres huius Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, edicere an textus Schematis huius Constitutionis sit sufficienter emendatus vel aliae adhuc desiderentur emendationes.

B) *PROCESSUS VERBALIS*

Il giorno 18 giugno alle ore 17,30 nell'appartamento del Card. Micara al Palazzo della Cancelleria si è riunita la Sottocommissione degli Emendamenti con la partecipazione di tutti i Membri: Cardinali Micara, Copello, Siri, Frings, Léger, Browne, Confalonieri, Presidente, con il segretario, Mons. Vincenzo Fagiolo.

È all'ordine del giorno l'emendazione dello schema *De castitate, matrimonio, virginitate, familia*.

Dopo la preghiera di rito *il Card. Presidente* saluta i presenti e comunica che per lo schema della Costituzione *De castitate, virginitate, matrimonio, familia* la Sottocommissione ha a disposizione la posizione dallo stesso titolo preparata dalla Segreteria.[1] Quindi riferisce le singole osservazioni generali fatte sullo schema dai Padri della Commissione Centrale e le risposte date ad esse dalla Commissione Teologica.

Tutti approvano le risposte e si passa alle osservazioni particolari.

Al n. 1 in ossequio alle osservazioni dei Cardd. Ruffini e Döpfner sono state fatte due aggiunte, che vengono approvate.

Al n. 3 vengono ugualmente accettate le correzioni ed aggiunte, proposte dalla Commissione Teologica dietro suggerimento del Card. Léger e altri.

Al n. 4 «Homo non dominus absolutus corporis» *il Card. Browne* osserva che l'espressione «... nec licet ad sanitatem totius hominis salvandam, eius organa genitalia mutilare vel infecunda reddere, si aliter eius saluti provideri potest», non è stata sufficientemente ponderata, almeno teologicamente; c'è una affermazione che, come suona, non vale per la seconda parte — «vel infecunda reddere» — come per la prima.

Viene invitato il segretario a chiedere spiegazioni alla Commissione Teologica. Sentito il segretario, il testo viene lasciato, perché gli emendamenti apposti, lo rendono sufficientemente esatto.

Non vengono fatte altre osservazioni circa questo primo capitolo, che termina con il n. 4.

Il secondo capitolo, nn. 5-8, «De castitate solutorum et virginitate», viene mutilato della seconda parte relativa alla verginità, secondo il suggerimento di molti della Commissione Centrale, che hanno chiesto di chiudere la Costituzione con un capitolo sulla verginità.

Il capitolo 2° quindi contiene i nn. 5, 7 (ora 6), 8 (ora 7).

---

[1] Cf. pp. 73-85.

Il Card. Presidente presenta le osservazioni e le risposte ad esse date dalla Commissione Teologica. Al n. 5 vengono accettati gli emendamenti.

Al n. 7 (ora 6) *il Card. Browne* fa osservare che, nell'emendamento introdotto dalla Commissione Teologica al rigo 26 del n. 7, la parola «insanam timiditatem» non è esatta: si dice troppo e senza proprietà di termini; per cui suggerisce di dire: «nimiam verecundiam», oppure, «falsam pudicitiam». Viene accettato.

Nessun cambiamento viene proposto al n. 8 (ora 7) con il quale termina la prima parte della Costituzione.

Si passa alla seconda parte: «De matrimonio et familia» che inizia con il n. 9 (ora 8). Il *Card. Léger* osserva che l'aggiunta proposta dalla Teologica al rigo 17, n. 8, p. 3, «... et dando *ei* adiutorium simile sibi», dovrebbe essere più chiara in modo che l'*ei* si riferisca soltanto al maschio.

Al n. 10 (ora 9) non viene cambiato nulla.

Il n. 11 viene spostato e messo nel capitolo ultimo «De sacra virginitate».

Al n. 12 (ora 10) non viene osservato nulla.

Al n. 13 (ora 11) *il Card. Presidente* chiede se alle linn. 15-21, dove si parla dei fini secondari del matrimonio, si deve o può essere citato il passo della *1 Cor.* 7, 5-9. *Il Card. Frings* propone di no, perché non lo ritiene perfettamente adatto.

Viene accettato il suggerimento.

Il Card. Browne propone di togliere dall'emendamento formulato dalla Commissione Teologica alla lin. 7 le parole «ad unam determinatam personam», aggiungendo «recte».

Tutti approvano.

Allo stesso numero *il Card. Browne* dice che non sembra appropriato il verbo «intendi» dell'emendamento della lin. 34. Anche *il Card. Siri* ritiene non esatto il termine.

Il Card. Confalonieri propone di leggere «attingi», che viene accettato.

Il Card. Léger propone di togliere l'inciso «et teste Apostolo mulier salvabitur» (cf. *1 Tim.* 2, 15), perché non direttamente pertinente al discorso. La proposta viene accettata.

Il Card. Frings propone di dire «amore coniugali» al posto di «sponsali» nell'emendamento in discussione: viene accettato.

Il Card. Browne suggerisce di dire «*perfecte* attingi non posse» al posto di «bene» e di far finire la frase con «... gratia Christi elevato». Viene accettata la prima proposta, del «perfecte»; mentre sulla seconda *il Card. Siri* fa una riserva, proponendo che sia tolta tutta la frase «caritate supernaturali et gratia Christi elevato et perfecto», in modo che per lo meno non venga interpretato che si voglia escludere il matrimonio non sacramento.

Viene accettata la proposta del Card. Siri, contro il parere del *Card. Browne*, sopra espresso. Dietro insistenze di questi viene aggiunto un periodo in riferimento al matrimonio dei battezzati: «Qui (amor) in christianis connubiis caritate supernaturali et gratia Christi ditatus magis magisque confert ad finium assecutionem».

Di questa aggiunta il Segretario dovrà darne notizia alla Commissione Teologica e sentire il di lei parere.

Al n. 14 (ora 12) non viene osservato nulla.

Il n. 15 (ora 13) non ha avuto osservazioni dalla Commissione Centrale.

Al n. 16 (ora 14) nessuna osservazione.

Così al n. 17 (ora 15).

Al n. 18 (ora 16) *i Cardinali Siri e Browne* propongono di leggere alla lin. 30; « Onanismus coniugalis formalisque ad eundem cooperatio semper graviter prohibetur », senza la seconda parte: « maximumque vituperanda si non ex debilitate, sed ex sordido egoismo proveniunt », per non ingerire il concetto che, nel caso di « debilitate », l'onanismo sia permesso, tollerato e non peccaminoso. Tutti d'accordo.

Allo stesso numero gli Em.mi, pur non approvando il testo sull'amplesso riservato, di cui alle linn. 31-32, non hanno deciso la questione né proposto un altro testo, rimettendo al S. Padre il giudizio di presentarlo o meno al Concilio.

Al n. 19 (ora 17) *il Card. Browne* osserva che l'emendamento proposto dalla Commissione Teologica, dietro il suggerimento del Card. Döpfner, alla lin. 20: « si numquam desperantes, sed firmiter fundati in fide, spe et caritate, bonum volunt », non è opportuno e suggerisce di far finire il periodo a *possunt*.

Viene accettata la proposta, come una soluzione che non implica ostacoli.

Al n. 20 (ora 18) *i Cardinali Siri, Léger, Browne e Frings* non sono contenti del testo aggiunto « de amore coniugali... » e preferiscono il numero come era prima.

Il Card. Frings propone che nel caso si volesse mettere senz'altro un preambolo sull'amore, al posto di quello proposto dalla Commissione Teologica, si usi il passo del Catechismo Romano, II, 8, 24, come riferito da Pio XI nell'Enciclica *Casti Connubii*, così dicendo: « Faciliorem vero atque iucundiorem hanc fidem reddit ille coniugalis amor, qui omnia officia vitae coniugalis pervadit et quemdam tenet in christiano coniugio principatum nobilitatis (cf. Pii XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii*, Denz. 2232) postulat etc. (Catechism. Rom. II, 8, 24).

Il Card. Presidente avverte che in questo modo ci sarebbero ripetizioni.

Si conclude per il testo primitivo del n. 20 (ora 18) senza la premessa che è stata aggiunta dalla Commissione Teologica.

Al n. 21 (ora 19) nessuna osservazione.

Ai nn. 22 (20), 23 (21), 24 (22), 25 (23), 26 (24), niente di speciale: *il Card. Presidente* riferisce le varie osservazioni e le risposte ad esse date e nulla viene aggiunto.

Al n. 27 (ora 25) *il Card. Browne* dice di preferire la parola « sociae » alle linn. 2-4 di pag. 35 e non quella di « adiutrice », e con il Card. Siri propone di dire « diligendae » al posto di « venerandae ».

Viene accettato il suggerimento. Niente al n. 28 (ora 26).

Al n. 29 (ora 27) *il Card. Siri* dice che al rigo 25 si parla solo di *giusta* causa per l'onanismo, senza la parola *gravi*, il che potrà facilitare anziché frenare il fenomeno odierno delle famiglie con uno o due figli.

Il Card. Frings: «Sono del parere di non aggiungere 'gravi', perché mi pare che Pio XII, parlando del problema, parlò solo della giusta causa».

Il Card. Confalonieri: «Il 'gravi' potrebbe mettere in angustia molti coniugi».

Si conclude per il testo come è, senza alcuna aggiunta.

Ai nn. 30 (ora 28), 31 (ora 29), 32 (ora 30), 33 (ora 31), 34 (ora 32), 35 (ora 33), 36 (ora 34), *il Card. Confalonieri* riferisce le varie osservazioni fatte dai Membri della Commissione Centrale e le risposte ad esse date dalla Commissione Teologica. Non viene mossa alcuna difficoltà e sono accettati i cambiamenti fatti.

Con il n. 35 inizia la terza parte «De sacra virginitate» fino al n. 38: *il Card. Presidente* chiede il parere degli Em.mi su questa terza parte.

Il Card. Frings dice che nel testo c'è qualche ripetizione, come p.e. che la virginità è superiore al matrimonio: si dice tre volte; se possibile — come si ritiene — sarebbe bene evitarle.

Viene accettato il consiglio.

Nessun'altra osservazione viene fatta.

Con il n. 39, *Epilogus*, si chiude la Costituzione.

Non chiedendo nessuno la parola per fare osservazioni, il Card. Presidente dichiara tolta la seduta, che di fatto si scioglie con la preghiera di rito.

SESSIO X

(19 Iunii 1962)

A) *DOCUMENTA*

1

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 126/SE

E Civitate Vaticana, die 27 marzo 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 24, 26 e 27 febbraio scorso,[1] in vista degli emendamenti da apportare agli schemi *De vocationibus ecclesiasticis fovendis,*[2] *De studiorum ratione in seminariis,*[3] *De universitatibus catholicis*[4] et *De studiorum ecclesiasticorum universitatibus.*[5]

---

[1] Patrum observationes typis editae sunt in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 747-756; 768-799; 806-816; 833-862; 883 ss.

[2] *Quaestiones de studiis et seminariis. Schema decreti de vocationibus ecclesiasticis fovendis*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 15; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 738-745; vol. III, pars II, pp. 71-78

[3] *Schema constitutionis de sacrorum alumnis formandis.* Cap. IV: *De studiorum ratione in seminariis*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 16; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 756-765; vol. III, pars II, pp. 103-112.

[4] *Schema decreti de studiis academicis ab universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis.* Cap. I: *De universitatibus catholicis,* Typis Polyglottis Vaticanis 1962,

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre, l'Eminenza Vostra è pregata di far esaminare le proposte stesse dal Segretario della Commissione, cui Ella presiede, dal Redattore dello schema, cui gli emendamenti si riferiscono, e da un esperto di Sua fiducia, con il compito di riferire quali emendamenti, tra i proposti, siano da accogliere ed indicare i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine, non oltre il mese di aprile p.v.

Già ringraziando, bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di distinto ossequio mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Giuseppe PIZZARDO
Presidente della Commissione degli studi e seminari

---

pp. 7; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 800-803; vol. III, pars II, pp. 123-126.

[5] *Schema decreti de studiis academicis...* Cap. II: *De studiorum ecclesiasticorum universitatibus*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 22; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 816-829; vol. III, pars II, pp. 126-139.

2

EM.MUS IOSEPH CARD. PIZZARDO

Praeses Commissionis de studiis et seminariis
praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE STUDIIS ET SEMINARIIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 308/62

E Civitate Vaticana, die 7 aprile 1962

Eminenza Reverendissima,

Ho ricevuto le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 24, 26 e 27 febbraio 1962 nei confronti degli schemi presentati da questa Commissione.

Mentre vivamente ringrazio l'Eminenza Vostra Reverendissima, Le assicuro che esse verranno considerate secondo le disposizioni indicate nel venerato foglio (Prot. N. 126/SE) e mi darò premura di rimetterLe le risposte entro i termini fissati.

Mi è gradita l'occasione per porgere a Vostra Eminenza i sensi della mia profonda venerazione, e, baciandoLe umilissimamente le Mani, mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

GIUSEPPE Card. PIZZARDO, *pres.*
AGOSTINO MAYER, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Carlo CONFALONIERI
Presidente della Sottocommissione degli emendamenti

3

EM.MUS IOSEPH Card. PIZZARDO

Praeses commissionis de studiis et seminariis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE STUDIIS ET SEMINARIIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 342/62

E Civitate Vaticana, die 27 aprile 1962

Eminenza Reverendissima,

Le trasmetto le risposte alle osservazioni proposte dai Membri della Commissione Centrale nei confronti dei decreti «De Universitatibus Catholicis» e «De Studiorum ecclesiasticorum Universitatibus», preparati da questa Commissione degli Studi e dei Seminari.[1] Le modifiche accettate sono state apportate sugli stessi schemi stampati allegati, e le più lunghe in fogli separati.

Sarà mia premura di inviare a Vostra Eminenza Reverendissima il più pre-

---

[1] Commissionis responsiones typis editae sunt in libello, qui inscribitur: *De emendatione schematum constitutionum de sacrorum alumnis formandis et de studiis ecclesiasticis atque scholis catholicis. Pars I*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962: cf. pp. 107-124.

sto possibile le risposte concernenti gli altri due decreti « De Vocationibus fovendis » e « De Ratione Studiorum in Seminariis ».

BaciandoLe umilissimamente le Mani, mi confermo con sensi di profonda stima

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
servitor vero
GIUSEPPE Card. PIZZARDO, *pres.*
AGOSTINO MAYER, *segr.*

Sua Eminenza Reverendissima
Il Sig. Cardinale Carlo CONFALONIERI
Presidente della Sottocommissione
Centrale degli emendamenti degli schemi

ADNEXUM

Schema emendatum decreti
DE STUDIIS ACADEMICIS AB UNIVERSITATIBUS TUM CATHOLICIS TUM ECCLESIASTICIS PROVEHENDIS

PROOEMIUM

Ecclesia Catholica Magistra Veritatis suum esse munus semper duxit divinarum humanarumque rerum disciplinas totis viribus provehere atque iuvare, quippe quae veritatis sollemne argumentum sint, humanam vitam et operositatem foveant, christianae societatis decus exstent. Ideo haec Sancta et Oecumenica Synodus, plane sibi persuasum habens altiorum studiorum sedes esse hodie promovendas quam maxime, quaedam decernenda esse statuit quibus tum Universitates Catholicae tum Studiorum Ecclesiasticorum Athenaea aptius pleniusque nobile suum consequantur propositum.

Caput 1
DE UNIVERSITATIBUS CATHOLICIS

1. Sanctae Ecclesiae quae, a studiorum Universitatum exordio, liberalissima earum fuit fautrix atque patrona, summopere cordi sunt Catholicae Universitates quae, ab Ipsa erectae vel rite approbatae, velut publicam, stabilem atque universalem praesentiam efficiunt mentis christianae in omnibus scientiae partibus atque tum superiore alumnorum institutione spiritu christiano informata tum penitiore doctrinarum pervestigatione, scientiarum ac litterarum diffusionem et progressum in fidei catholicae lumine sub omni coelo promovent.

2. Quare moderatores Catholicorum Universitatum, hac Sancta Synodo enixe exhortante, curent ut eaedem imprimis professoribus polleant scientia ac christiano iudicio eximiis et quam validissime adiuventur necessariis et opportunis subsidiis, unde bibliothecis, investigationis institutis ceterisque scientificis instrumentis apte sint instructae; ipsae vero, proprii officii memores atque inter se consociata opera, tum singularum disciplinarum studio sedulo incumbant, tum constanti ac generoso nisu contendant ad uberem scientiarum cooperationem atque ad illam rerum universarum rectam interpretationem quae Catholicae Universitatis maxime propria est, cum christianae revelationis tantum lumine plene haberi possit.

3. Ideo in omni Catholica Universitate adsit Facultas Theologica, vel saltem Theologicum Institutum, quae ipsius Universitatis veluti anima sint tum ad integram alumnorum institutionem religiosam, una cum morali, sociali et internationali, seu vere catholica, comparandam, tum ad illorum problematum investigationem promovendam quibus profanae scientiae cum sacris continenter coniungantur ita ut fidei cum ratione admirabilis consensio clarius eluceat et ipsae profanae scientiae veritatis revelatae luce perfundantur.

4. Tantae rei pondus persentiens, Sancta Synodus vehementer exoptat ut in omnibus orbis partibus quaedam Catholicae Universitates habeantur, quae grave sibi commissum munus exsequantur atque Ecclesiasticae Auctoritati in hodierno apostolatu doctrinale auxilium praestent. Ad quem finem facilius obtinendum catholicarum virium consociatio omni ope foveatur ab Episcoporum coetibus sub illius Sacri Dicasterii moderamine cui Catholicarum Universitatum cura commissa est et quod virorum vere peritorum consilio adiuvabitur, qui ex variis nationibus diversisque disciplinis eligi debent.

5. Sedulo pariter curandum est ut catholici studentes, eorum etiam parentibus monitis, officium sentiant, ubi exstant, frequentandi Catholicas Universitates, ideoque earum aditus alumnis congruis dotibus praeditis facile pateat, iis imprimis qui maioris sunt spei etsi tenuioris fortunae. Spiritu vere catholico ac fraterno adiutorio recipiantur qui alienis ex nationibus adveniunt, ex iis potissimum quae maiore auxilio indigent, ita ut litteris scientiisque alte instituti ac simul religione moribusque integre formati, in patriam reversi propriis rite fungantur muneribus ad maius tum Ecclesiae tum Societatis civilis bonum.

6. Cum vero Catholicae Universitates ob maiores in dies ipsarum necessitates non ubique erigi possint, Sancta Synodus animarum Pastores monet ut congruum procurent auxilium iis qui civiles Universitates frequentant, ac valde suadet ut in magnis saltem universitariis urbibus centra universitaria instituantur, quae Catholicarum Universitatum defectum quodammodo supplentia, non tantum spirituale auxilium praestent ac hospitiis pro studentibus institutis morale praesidium offerant, sed etiam disciplinarum studium promoveant in harmonica scientiae et fidei conspiratione, theologica quoque facultate vel cathedra in ipsa Universitate civili erecta, ubi opportune fieri possit.

7. Summopere quoque Sancta Synodus commendat ut scientiae viri catholici etiam extra Catholicas Universitates veritatem omni sub aspectu perscrutandam in bonum commune sedulo promoveant, tum pervestigatione scientifica et docendi munere in civilibus Universitatibus, tum constanti scientifico commercio cum omnibus scientiae viris, tum denique iuvenes praeclarioris ingenii sive catholicarum sive civilium Universi-

tatum, qui ad docendum et investigandum aptiores sunt, peculiari cura excolendo ac promovendo, ita ut quam plurimis hominibus veritatis fructus praebere valeant eosque ad lucem quoque Evangelii intuendam perducere conentur.

Notae

[...] *Ad 7.* Commendatur propositum auxilium praestandi etiam aliis Universitatibus, tum theologicas praelectiones vel cursus in iis instituendo, ubi fieri potest prout in n. 6 dictum est, tum aptos Professores comparando qui vere docti et catholici sint; pariter peculiaris cura commendatur iuvenum qui, ingenio et virtute praestantes, certam spem dant fore ut optimi Professores evadant Universitatum Catholicarum vel Statalium. Coetus episcoporum in aliquibus regionibus huiusmodi incepta iam efficaci cura promovent; sed apta cum Universitatibus Catholicis et Apostolatu Laicorum inita operae consortione vel uberiores fructus obtineri poterunt. De diversis modis promovendi collaborationem Universitatum utiliter conferantur quae proponuntur a S. Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus in votis Concilio parando exaratis (cf. *Acta et Documenta...*, III, pp. 369-370).

Caput II

De studiorum ecclesiasticorum universitatibus

1. [*Introductio*]. Cum nostris praecipue temporibus altiora studia ad singulorum hominum et societatis vitam vera fide imbuendam aut ab ipsa alienandam quam maxime valeant, haec Sancta Oecumenica Synodus sequentia disponit ut in Studiorum Ecclesiasticorum Facultatibus disciplinae sacrae vel cum sacris connexae impensius excolantur ac provehantur atque auditores in iis, secundum doctrinam catholicam, altius instituantur atque in fontium cognitionem, in usum investigationis scientificae, in magisterium rite exercendum introducantur;[1] simulque vehementer exoptat, ut ecclesiastici Antistites quos ex clericis scientiarum investigationi aptiores cognoverint, Studiorum Ecclesiasticorum Facultatibus formandos committant, eo temporis spatio quod hodiernis scientificae et apostolicae institutionis necessitatibus exigitur.[2] Curent insuper ecclesiastici Antistites, ut etiam laici idonei invitentur, admittantur et adiuventur ad studia ecclesiastica peragenda, qui altiores professiones, imprimis magisteria quaelibet, formatione religiosa superiore imbuti exerceant.

I – *De studiis specialisationis in Facultate Theologica et Philosophica promovendis*

2. [*Distinctio curriculi fundamentalis et studiorum specialisationis*]. Ut hinc momentum formationis fundamentalis philosophico-theologicae plene servetur, illinc vero necessariae in disciplinis sacris «specialisationi» efficacius provideatur, in Facultatibus ecclesiasticis cursus fundamentales apte distinguantur a curriculo specialisationis in quo, synthesi generali philosophico-theologica praemissa, singulae disciplinarum regiones altius cognoscantur atque recta adhibita methodo diligentius pervestigentur, ita ut viri ecclesiastici sive ad docendum in superiorum studiorum domiciliis si-

ve ad has disciplinas propria opera promovendas sive ad difficiliora apostolatus intellectualis suscipienda munera praeparentur. Ut hi fines vere attingantur, huic specialisationis curriculo congruum tribuendum est tempus.

3. [... *In Facultate theologica*]. Quae curriculorum distinctio in Facultate *theologica* requiritur imprimis hunc in finem ut futuris Theologiae dogmaticae, moralis et spiritualis magistris et cultoribus ea praebeatur formatio particularis, qua iam ex decenniis instituuntur professores Iuris Canonici, Sacrae Scripturae, Historiae ecclesiasticae aliarumque disciplinarum.

Quadriennio igitur Theologiae fundamentalis absoluto, alumni in specialisationis curriculo ad Licentiam contendentes ita studio particularis Theologiae sectionis se dedant, ut non solum doctrinam traditam animo perspectam habeant et in hac scientiae parte vere periti reddantur, verum etiam ope exercitationum ad praecipuos eius fontes cognoscendos compositi, scientificam investigandi methodum ipsi propriam plene addiscant, atque ad magisteria in Seminariis maioribus et quaedam ministeria praecipua rite obeunda solide praeparentur.[3]

Studia vero ad Lauream per congruum tempus protrahenda ita ordinentur ut candidati ad propriam disciplinam efficaciter provehendam vere apti fiant et ad docendum in Universitatibus rite excolantur.[4]

4. [... *in Facultate philosophica*]. Sollertissimam de studiis academicis curam quam praeprimis in divinae doctrinae incrementum Ecclesia impendit, Philosophiae quoque exhibitam vult; quippe cuius gravissimum munus sit veritates humanae rationi pervias per supremas causas patefacere, fundamenta fidei in tuto collocare, altiori scientificae fidei penetrationi eiusque defensioni ut instrumentum inservire, nova systemata diiudicare atque, cum opus sit, refellere; ea demum quae in eis sana agnita sunt philosophiae christianae compaginare.

Postquam igitur alumni in curriculo fundamentali per sufficiens temporis spatium protrahendum solidam in Philosophia perenni receperunt institutionem, altius in speciali quodam disciplinarum philosophicarum campo instituantur, ratione praeprimis habita philosophiae et scientiae recentioris aetatis.

5. [*Rationes studiorum diversis conditionibus accommodandae*]. Rationes studiorum in curriculo specialisationis ad Licentiam et ad Lauream observandae a singulis Universitatibus et Facultatibus, Sancta Sede ducente et approbante, conficiantur ad peculiares locorum conditiones accommodatae, imprimis autem respectu habito ad Missionum et Ecclesiarum Orientalium territoria.

II – *De ceteris Specialisationis Studiis*

6. Praeter studia philosophica et studia theologica de re dogmatica, morali, spirituali, alia habeantur specialisationis studia quae sive in particularibus Facultatis Philosophicae et Theologicae sectionibus sive in propriis Facultatibus vel Institutis promoveantur.[5]

In ipsis singularem locum obtinent Divinorum librorum studia quae secundum iterata Sanctae Sedis monita et huius Sanctae Synodi decreta Patres particulari cura prosequenda esse iubent.[6]

Praeterea hae praecipue disciplinae excolantur: patrologia, scientiae historiae re-

ligiosae, scientiae de re liturgica, de re pastorali; ius canonicum et civile, scientiae de rebus orientalibus christianis, scientiae missiologicae, scientiae confessionum acatholicarum et religionum achristianarum; archaeologia christiana, musica sacra, ars sacra; scientiae sociales, paedagogicae, scientiae ethnologicae et anthropologicae, litterae humaniores christianae, scientiae de mediis communicationis socialis et aliae id genus.[7]

III – *De Studiorum unitate organica promovenda*

7. Cum ex natura hominum et rerum nulla disciplina aliis neglectis vel posthabitis omni ex parte perfecte excoli possit, in quavis Facultate studiorum ecclesiasticorum unitas omnium scientiarum sacrarum ita efficiatur oportet, ut singulae disciplinae minime aliae ab aliis disiunctae, sed potius in corpus organice compaginatae alumnorum mentibus elucescant.[8]

8. Pariter in unaquaque Universitate ecclesiastica singulae Facultates et Instituta interne inter se cohaerere debent, mutua opera sibi vicissim omnia assidue praestantes, quae ad organicum divinae et humanae scientiae corpus in dies perfectius exstruendum necessaria et utilia esse videntur.[9]

9. Denique ut Universitates et Facultates ecclesiasticae omnes aptiore quo possint modo mutua inter se conspirent operae coniunctione, Sancta Synodus vehementer commendat. Viribus enim opportune consociatis ad gravissima quaeque perficienda scientiae munera reddentur promptiores et veritati Christi ab Ecclesia hodie summopere inter omnes gentes dilatandae atque tutandae validissimum praebebunt auxilium.[10]

IV – *De Methodo*

10. Cum scientiarum progressus necnon unitas in Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis efficacius excolenda congruentem potissimum requirant methodum, eadem Sacrosancta Synodus enixe hortatur ut omnes magistri cum in tradendis tum in pervestigandis et tractandis disciplinis propriae methodi rationem quam accuratissime habeant.[11] Apprime igitur servata, praesertim in disciplinis philosophicis et theologicis, methodo scholastica hucusque tam salubriter adhibita, iusta quoque ratio habeatur methodorum quas verus scientiae progressus invexit quibusque disciplinae ecclesiasticae iuxta propriam naturam apte et tuto promoveri possunt et debent, qua magni magistri scholastici saeculorum decursu tam salubriter usi sunt.[12]

11. Auditores in laborem scientificum proprium sub ductu professorum gradatim introducantur.[13] In priore curriculo principia methodologica propriae disciplinae addiscant, eaque aptis exercitationibus applicare incipiant.[14]

In curriculo specialisationis autem in quo disciplinae magis monographice proponuntur ad aliorum commentationes recte expendendas et praeprimis ad selecta scientiae argumenta indaganda et in arte proprias investigationes ac conclusiones scriptis proponendi solide instituantur.[15] Qui singulorum labor scientificus in curriculo ad lauream priorem locum obtinere debet.

V – *De Professoribus*

12. Professorum in Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis varii habeantur ordines. Ut quis in professorum collegium legitime cooptetur, requiritur non solum ut vera peritia certis documentis comprobata praefulgeat, verum etiam ut unicuique ordini congruam exhibuerit maturitatem scientificam.[16] Numerus autem professorum talis sit oportet ut singularum scientiarum disciplinis atque auditorum numero sive pro lectionibus sive pro exercitationibus fructuose instituendis plane respondeat.[17]

13. Professores veri alumnorum magistri sint, vitae integritate et Ecclesiae amore ipsis praeluceant, competenti auctoritate scientifica ad scientiae amorem eos attrahant, assidua ac vigilante cura ipsorum prima in labore scientifico incepta prosequantur; ad sacrificia quae verus scientiae cultus expostulat, forti et hilari animo perferenda suo inflamment exemplo eosque alta scientia imbutos viros vere doctos et humiles efficere satagant.[18]

VI – *De novis Universitatibus condendis et de Affiliatione*

14. Ut scientia ecclesiastica universim evehatur placuit Patribus decernere, ut sub ductu Sanctae Sedis novae Universitates et Facultates ecclesiasticae condantur, ubi locorum, temporum ac rerum rationes hoc expostulant, dummodo professores, bibliothecae, aedificia, subsidia praesto sint ea perfectione et mensura, quae in tam gravi negotio nostris potissimum temporibus requiruntur.[19]

15. Seminaria maiora dioecesana et religiosorum particulari institutionis perfectione praecellentia, Universitatibus et Facultatibus affiliari possunt ita, ut sub earum vigilantia et ductu melioris ingenii iuvenes eam consequantur institutionem scientificam, quae priori Facultatis philosophicae et theologicae curriculo respondeat et in fine curriculi, debitis examinibus superatis, Baccalaureatus gradu ornari queant.[20]

VII – *De Institutis Investigationis Scientificae*

16. Patres Concilii insuper enixe exoptant, ut in Universitatibus et Facultatibus Instituta erigantur quae primarie investigationi scientificae promovendae inserviant.[21] Hisce Institutis praesto sint viri iam vere periti in unum congregati, opportuna subsidia, aptae cooperationis rationes ita ut non solum altior veritatis cognitio obtineri, sed etiam fructus pretiosissimi in utilitatem ipsius operae scientificae atque apostolatus practici percipi possint.[22] Huiusmodi autem Instituta laudabili aliorum coetuum studio iam erecta apte Facultatibus consocientur.[23]

NOTAE

[...]

4

Em.mus IOSEPH Card. PIZZARDO

Praeses commissionis de studiis et seminariis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE STUDIIS ET SEMINARIIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 351/62

E Civitate Vaticana, die 3 maggio 1962

Eminenza Reverendissima,

Facendo seguito alla mia del giorno 27 aprile (Prot. 342/62), mi do premura di trasmetterLe le risposte alle Osservazioni della Commissione Centrale concernenti gli schemi di Decreti *De vocationibus ecclesiasticis fovendis* e *De ratione studiorum in seminariis,* preparati dalla nostra Commissione.[1]

Mi valgo volentieri dell'incontro per baciarLe umilissimamente le Mani e confermarmi con sensi di particolare stima ed ossequio

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
servitor vero

Giuseppe Card. Pizzardo, *pres.*
Agostino Mayer, *segr.*

Sua Eminenza Reverendissima
Il Sig. Cardinale Carlo Confalonieri
Presidente della Sottocommissione degli emendamenti

[1] Commissionis responsiones typis editae sunt in libello, qui inscribitur: *De emendatione schematum constitutionum de sacrorum alumnis formandis et de studiis ecclesiasticis atque scholis catholicis, Pars I,* Typis Polyglottis Vaticanis 1962: cf. pp. 107-124.

ADNEXA

I

Schema emendatum decreti
DE VOCATIONIBUS ECCLESIASTICIS FOVENDIS

1. [*Urgens vocationum necessitas*].[1] Sancta Mater Ecclesia gravissimum agnoscit sibi commissum munus, Christi Regnum in universo terrarum orbe propagandi ac solidandi. Quae Mystici Corporis aedificatio cum ex ipsius Christi voluntate, a sacerdotum ministerio praecipue pendeat,[2] eorum autem numerus in plurimis regionibus magis in dies tanto muneri impar evadat, omni studio sacerdotales vocationes fovere vehementer exoptat Ecclesia, illud Domini Nostri Iesu Christi discipulis dictum memorans: «Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam» (*Mt.* 9,37-38).

2. [*Invitatio ad ipsos vocatos directa*]. Quare haec Sancta Synodus, sicut gravissime monet ne quis sine vocatione ad sacerdotium accedere audeat secundum illud «nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo» (*Hebr.* 5,4), ita materna sollicitudine quotquot supernum illud donum acceperunt, ardenter hortatur ut vocem Dei libere ac magno animo sequantur, sibi persuasum habentes, se hoc modo, gloriae Dei dilatandae eminenter inservire et ad totius Ecclesiae bonum magnopere conferre.[3]

3. [*Totius Ecclesiae impensa cooperatio*]. Universi autem Ecclesiae Pastores ac fideles, sicut omne datum optimum desursum esse (cf. *Iac.* 1,17) religiose agnoscunt, ita ab ipsorum quoque adiutrice opera pendere plane meminerint ut Pater luminum plurimas gregi suo suscitet sacerdotales vocationes easque perseverantiae cumulet corona.[4]

Primum igitur *Episcopis*[5] summopere cordi sit, sacerdotalis vocationis excellentiam fidelibus ante oculos ponere, omnes ut in vocationibus excitandis, tuendis, provehendis sociam navent operam commonere ac quos ipsi ad sortem Domini vocari iudicaverint, Patrum more, nullis parcentes sacrificiis, adiuvare.

Omnes pariter *Sacerdotes*, cuicumque ministerio addicti, praesertim vero parochi et confessarii, zelum apostolicum in vocationibus fovendis comprobare praediligant, imprimis dantes operam ut bonae spei pueros peculiaribus curis ad pietatem et castitatem informent atque, quos indoles ac voluntas ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros praesagiant, a saeculi contagiis arceant et studio serviendi Deo inflamment.[6] Potissimum autem vita humili, modesta, laeto animo peracta, necnon mutua sacerdotali caritate ac fraterna operae consortione adolescentium animos ad pastoris animarum munus amplectendum suaviter attrahentes, praecipui sint vocationum fautores.[7] Omnibus denique cuiusvis dignitatis ministris Christi enixe commendatur, ut etiam generoso animo pauperiores iuvenes Seminaria ingressuros adiuvando, pro sua ipsorum vocatione sacerdotali grates referant Deo.

Familiae christianae vero cuiuscumque conditionis intime sentiant quantum in ipsas quoque recidat utrum vocationes in Ecclesia suscitentur an impediantur; immo vocationem sacerdotalem gratiam eximiam ipsi familiae concessam aestimantes, atque hilari animo nobiliorem partem Deo ex Ipsius donis ac datis offerre satagentes, eam as-

siduis orationibus et virili filiorum educatione fovere studeant, eorum autem libertate religiose servata.[8]

Magistri et omnes ad quos spectant quocumque modo institutio et educatio puerorum ac iuvenum, eos sic erudiant ut vocationem divinam percipere necnon sequi possint. Imprimis autem iis qui scholis catholicis praesunt, plane persuasum sit, fructum educationis in propria schola impertitae non ultima ratione ex vocationibus sacerdotalibus quas ipsi maturescere adiuverint, iudicandum esse.[9]

4. [*Praecipua huius cooperationis subsidia*]. Gravissimum igitur quod omnia Ecclesiae membra in fovendis vocationibus urget officium, his potissimum rationibus et subsidiis explendum esse Sancta Synodus commendat.[10]

Oratio instans[11] fiat ad vocationes sacerdotales a Deo obtinendas; quare in paroeciis, religiosis domibus aliisque christianorum coetibus precationes ab Episcopo statis diebus instituantur, praesertim in Quatuor Temporibus et in Novendiali supplicatione ante Festum Pentecostes ut omnes fideles, potissimum vero ipsi pueri necnon infirmi, in hoc precandi studio unanimes sint. Item commendetur «Dies pro Vocationibus» in omnibus paroeciis, scholis aliisque Eclesiae institutis celebranda, in qua tam orationes speciales quam sermones et coetus particulares habeantur.

In *praedicationibus*, in *catechesi*, in *periodicis* commentariis religiosis aperte declarentur necessitas, natura et criteria authenticae vocationis. Celebretur actio Divinae Providentiae quae homines ad Christi sacerdotium participandum eligit, eisque congruas tribuit dotes, simulque Ecclesiae committit ut de vocationis signis iudicet, candidatos qui tantum munus recta intentione ac libere petierint, admittat eosque Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret.[12] Aperiatur vocationis sacerdotalis singularis praestantia, ita ut adolescentes Christo vocanti ardentius respondeant atque errores vitentur eorum qui laicorum apostolatum sacerdotum ministerio aequare contendunt vel matrimonii christiani dignitatem supra caelibatum sacerdotalem efferre audent.[13]

Actio Catholica, tertii Ordines saeculares, *confraternitates, piae uniones* pueros et iuvenes ad eucharisticam devotionem et apostolatum incitent, atque, Spiritus Sancti actioni suam praebentes sociam ac veluti adiutricem operam, adolescentes ita forment ut in iis Vocationis germen crescere possit. Potissimum curandum est ut pueri et iuvenes, qui sponte libenterque sacerdotibus in sacrificio Missae inserviunt, necnon pueri cantores ad proprium munus obeundum accurate seligantur et rite excolantur. Item valde commendanda sunt exercitia spiritualia, quibus tum pueri tum adolescentes cum de statu vitae eligendo deliberant, Iesu Christi cognitione et amore imbuuntur atque ad generosum sui ipsius donum efficaciter moventur.[14]

Ut ex veneranda Ecclesiae traditione pueri positiva vocationis divinae signa praebentes iam ab adolescenti aetate ad sacerdotalis vitae virtutes comparandas institui possint, *Seminaria etiam minora*, universis dioecesis paroeciis ac coetibus cooperantibus, omni ope iuvanda sunt.[15] Iis autem qui tardiore aetate Boni Pastoris vocem audiunt eamque sequi cupiunt, Episcopi peculiari cura provideant.[16]

5. [*Monitum finale*]. Quae vero subsidia aliaque huiusmodi eo pleniorem assequentur efficaciam, quo perfectior inter parochos, parentes, magistros, Associationes, Episcopo patre et duce, instituetur *operae consortio*.[17]

Quem in finem in singulis dioecesibus ac regionibus instituatur vel augeatur Opus Vocationum Sacerdotalium cuius promotores in particulares sacerdotum penuriae causas accurate inquirere non praetermittant quo aptius inopiae mederi et efficaciora ad vocationes fovendas media necnon necessaria subsidia parare queant; quae opera dioe-

cesana ut opportunum accipiat auxilium et incitamentum, Pontificio Operi Vocationum Sacerdotalium adgregentur.[18]

Denique Sancta Synodus ardenter exoptat ut haec actuosa in fovendis vocationibus omnium membrorum conspiratio, propriae dioecesis, patriae, communitatis religiosae fines dilatato corde transgrediens, ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat, illis regionibus generose subveniens, ubi Domini vinea instantius advocat operarios.[19]

Notae

[...]

II

Schema emendatum constitutionis DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

Caput IV

De studiorum ratione in seminariis

I – *Normae generales* [1]

1. Cum scientia, (praesertim) sacra, Sacerdotes excellere debeant, prout per Malachiam Prophetam Spiritus Sanctus praemonet «Labia Sacerdotis custodient scientiam» (*Mal.* 2,7), sacrorum alumnorum in studiis institutio omni ope curanda est secundum venerabiles Ecclesiae traditiones atque iteratas Romanorum Pontificum adhortationes; eaque temporum necessitatibus est accommodanda ut futuri Sacerdotes ad divinum sibi commissum munus sancte ac fructuose exercendum rite praeparentur.

2. Quae in studiis institutio, saltem quoad curriculum philosophicum et theologicum, in scholis fieri debet ab Auctoritate Ecclesiastica erectis vel approbatis; ideoque aptae ad id constituantur sedes, bibliothecis ceterisque subsidiis bene instructae quae pro studiorum natura et gradu requiruntur.

3. Magistri adsint, numero sufficientes, optimo vitae exemplo praestantes, paedagogicis dotibus ornati atque debita scientia praediti, congruentibus titulis academicis etiam comprobata; gravissimum docendi munus religiose adimpleant atque aequa fruentes remuneratione alienis officiis sint liberi quae magisterio obstant. In disciplinis praesertim sacris tradendis meminerint se non tantum proprio, sed praecipue Ecclesiae nomine docere, cuius normas tum quoad doctrinam tum quoad methodum fidelissime sequi debent.

4. Adsit quoque congruus alumnorum numerus; quo deficiente, alumni in sedes communes cum aliis sacrorum alumnis coniungantur ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficacius consuli possit.[2]

5. Cum in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales de studiis leges ab hac Sancta Synodo tradi possint, in singulis nationibus Ratio Studiorum habeatur, ab Episcoporum coetu redacta et a Sancta Sede approbata, qua hae leges generales evolvuntur et particularibus locorum temporumque adiunctis accommodantur. Pariter in Religionibus, Societatibus Institutisque Saecularibus Ratio Studiorum pro propriis sodalibus habeatur a Superioribus Maioribus redacta et a Sancta Sede approbata.[3]

II – *De studiorum humaniorum curriculo*[4]

6. Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, studiorum mediorum curriculum rite absolvant, cuius finis est non solum hominem efformare, completa atque harmonica omnium facultatum educatione, ita ut iudicii maturitatem, sanum gustum atque dicendi scribendique artem acquirant, sed ipsum christianum ac sacrorum alumnum excolere quare tota educatio Divinae Revelationis lumine penitus perfundatur oportet, cuius etiam studium in religionis schola assidue promoveatur.

7. Simul vero cum educatione, instructio impartienda est eorum quae hominem cultum scire decet; quare, cum magis in dies oporteat ut sacrorum alumni iis nihil saltem cedant qui e laicis iuvenibus paris sint disciplinae auditores, studiorum mediorum curriculum ita ordinetur ut alumni congruam sermonis patrii, litterarum scientiarumque cognitionem sibi comparent, regulariter eo titulo sancitam qui ad Universitatem in propria natione ingrediendam requiritur.[5]

8. Peculiari autem diligentia addiscant quae futuris Sacerdotibus necessaria sunt, imprimis linguae latinae cognitionem qua traditionis et Magisterii documenta, ceterosque libros quorum cotidianus usus erit in philosophico et theologico curriculo et in tota vita sacerdotali, facile intelligere atque usurpare possint.[6]

III – *De curriculo philosophico*[7]

9. Studiis mediis rite absolutis biennium philosophicum peragendum est, cuius finis est iuvenum formationem complere, ad veritates de rerum natura hominisque vita rationis lumine perscrutandas instituere atque ad superiora studia theologica immediate praeparare. Quae praeparatio religionis studio ac potissimum ea Sacrae Scripturae lectione, qua alumni vivam Christi Sacerdotis imaginem sibi infigant totiusque operis salvifici historiam intueantur, complenda est.

10. Philosophia scholastica, quoad omnes suas partes, apto libro textus exposita secundum S. Thomae Aquinatis rationem, doctrinam et principia non omissis tamen aliis magistris ab Ecclesia probatis, ita tradatur ut eius completam cohaerentemque synthesim acquirant, omnium praecipuorum argumentorum solido atque accurato studio, omissis quaestionibus tum obsoletis, quae vix ullum momentum retinent, tum subtilioribus, quae ad altiora Facultatis Philosophicae studia remittenda sunt.

11. Introducantur alumni ad cognoscenda et crisi subicienda systemata philosophica praesertim moderna, quae in propria natione maiorem influxum

exercent, ita ut quae ibi bona probantur, teneant, recentioris aetatis autem errores, qui homines ab Ecclesia avertunt et a philosophica ratione repetuntur, apte refellere valeant.

12. Solide etiam instituantur in disciplinis cum philosophia connexis quae Sacerdoti conveniunt, quales sunt scientiae paedagogicae, psychologicae; imprimis vero scientiae sociales quarum studium in curriculo philosophico inchoandum et deinceps prosequendum est ita ut de iis quaestionibus, quae modernam societatem exagitant, doctrinam socialem Ecclesiae bene cognoscant, eam rite proponere valeant, simul vero ab iis quae ad Sacerdotem non pertinent, abstinere sciant.[8]

IV – *De curriculo theologico*[9]

13. Post biennium philosophicum quadriennium theologicum integre peragendum est, cuius finis est intima Divinae Revelationis cognitione alumnos ita praeparare ut et scientia et vita fidei alte imbuantur et ad munus sacerdotale fidem praedicandi, sacramenta administrandi ac fideles regendi sancte obeundum rite disponantur.

14. Quare theologia sacra apto libro textus adhibito, secundum probatos Ecclesiae Doctores, atque imprimis iuxta S. Thomae rationem, doctrinam et principia solide tradatur in omnibus suis partibus, apta pro diversa materia methodo adhibita, omissis obsoletis ac subtilioribus quaestionibus, ita ut alumni doctrinam catholicam, ex divinae revelationis fontibus accurate haustam, profunde penetrent, propriae spiritualis vitae reddant alimentum[10] eamque in catechesibus et sacris concionibus, in confessionibus et in animarum directione, in scriptis, in scholis et in aliis ministeriis, apud nostrae aetatis homines, tum rudiores, tum cultiores, apte exponere, demonstrare atque tueri valeant.

15. Sacrae Scripturae studio secundum normas ab hac Sancta Synodo traditas peculiari diligentia instituantur. Proinde momentum Sacri Textus theologicum, spirituale, liturgicum ac pastorale futuris Sacerdotibus praeprimis aperiatur. Alumnis insuper opportunitas detur sacras linguas hebraicam et graeco-biblicam addiscendi quibus textus primigenios biblicos intelligere et explicare possint.[11]

16. Praeterquam in theologia fundamentali, dogmatica et morali, in iure canonico, in historia ecclesiastica et in patrologia, sedulo instituantur alumni in theologia spirituali qua in propria sanctificatione et in animarum directione efficaciter iuventur; atque in sacra liturgia sub aspectu theologico, spirituali, iuridico et pastorali investigata, nec non in cantu ecclesiastico: ut Opus Dei digne peragere, de sacris cultus mysteriis ipsi profunde vivere et actuosam populi participationem promovere valeant.[12]

17. Manuducantur alumni ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, ita ut fidei firmitate et integritate sancte servata, secundum Ecclesiae monita fratres separatos iuvare possint ad assequendam unitatem a Domino Nostro expostulatam.[13] Introducantur etiam ad cognoscendos modernos errores ad religionem spectantes atque alias religiones in singulis regionibus divulgatas, ut facilius veritatis lumen errantibus demonstrare sciant.[14]

18. Diligentissime praeterea instruantur in theologia pastorali atque affinibus disciplinis, ut apostolatus artem, temporibus et locis accommodatam, addiscant, nec tantum theoretice, sed etiam practice. Quare, prudenti Episcoporum iudicio, iam durante studiorum curriculo, moderate quidem ne vitae spirituali vel disciplinae vel studiis noceat, simul vero methodice, sub magistrorum peritorum ductu, in praxim pastoralem initientur. Cuius institutionis pastoralis singulare momentum persentiens, Sancta Synodus particularibus normis ei providit.[15]

19. Ne theologicae disciplinae separatae appareant, sed harmonice in finem conspirent, in tradenda imprimis theologia dogmatica et morali, severa proprii obiecti investigatione speculativa accurate servata, themata theologiae biblicae, necnon momentum spirituale, liturgicum, pastorale proprii argumenti maxima cura in lucem ponantur ita ut ex patefacta intima connexione quae viget inter Scripturam, traditionem patristicam, dogmaticam, moralem, ius, vitam liturgicam, spiritualem ac pastoralem Ecclesiae, ipsi alumnorum institutioni optatissimum imprimatur unitatis sigillum.[16]

20. [*Monitum finale*]. Alumni durante studiorum ecclesiasticorum curriculo in iis quoque solide instituendi sunt quae rebus pervestigandis excolendisque progrediens parit aetas; devitanda est autem nimietas disciplinarum et praelectionum ne iuvenum mentes quasi obruantur neque eis satis temporis deficiat ad audita proprio nisu peragranda et assimilanda. Magistri potius sapienter adaptata docendi methodo, institutis quoque colloquiis aptisque exercitationibus ac praecipue proprio ipsorum exemplo alumnos ad laboris intellectualis artem atque amorem ita conforment sacerdotio quoque initiati sacrarum disciplinarum studium fovere pergant.

NOTAE

[...]

5

Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 259-263/SE

E Civitate Vaticana, die 9 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi onoro rimettere all'Eminenza Vostra Reverendissima la relazione[1] preparata per gli emendamenti da apportare a quattro schemi delle Costituzioni *De sacrorum alumnis formandis – De studiis ecclesiasticis et de scholis catholicis*.

Gli schemi da emendare sono allegati alla relazione.[2] Sono quindi a pregarLa di voler intervenire alla riunione che avrà luogo martedì 19 alle ore 17,30.

Profitto volentieri di questa nuova occasione, per baciarLe umilissimamente le sacre mani e confermarmi con sensi di profonda stima

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

Carlo Card. Confalonieri, *pres.*
Vincenzo Fagiolo, *segr.*

Agli Eminentissimi Signori Cardinali
Cardd. Clemente Micara, Giacomo L. Copello,
Giuseppe Siri, Giuseppe Frings,
Paolo Emilio Léger, Michele Browne

---

[1] *De emendatione schematum constitutionum de sacrorum alumnis formandis et studiis ecclesiasticis atque scholis catholicis. Pars I*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 39: cf. pp. 107-124.

[2] Cf. pp. 90-91, note 2-5.

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATUM CONSTITUTIONUM

DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS
ET
DE STUDIIS ECCLESIASTICIS ATQUE SCHOLIS CATHOLICIS

PARS I

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

Decretorum schemata parata a Commissione de studiis et seminariis in duas dividuntur partes, quarum prima *De Sacrorum alumnis efformandis* inscribitur, altera *De studiis ecclesiasticis et de scholis catholicis.* Prima in duas subdividitur partes, quae sunt: a) *De vocationibus ecclesiasticis fovendis;* b) *De sacrorum alumnis efformandis* (capita 6).

Altera in tres partes subdividitur: a) *De studiis academicis ab Universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis;* b) *De Scholis catholicis;* c) *De obsequio erga Ecclesiae Magisterium in tradendis disciplinis sacris.*

De his septem schematibus quattuor iam discussa sunt a Patribus Commissionis Centralis, et cetera tria eorumdem iudicio proponentur proximo mense iunio. Quattuor iam discussa, quae nunc pro emendatione iudicio Em.morum Patrum nostrae Subcommissionis submittuntur, haec sunt: 1) *De vocationibus ecclesiasticis fovendis;* 2) *De ratione studiorum in seminariis;* 3) *De universitatibus catholicis;* 4) *De studiorum ecclesiasticorum universitatibus.*

— 7 —

I

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI

DE VOCATIONIBUS ECCLESIASTICIS FOVENDIS

Quoad hoc schema Patres Commissionis Centralis observationes fecerunt generales et particulares, quibus respondit, prouti sequitur, Commissio de studiis et de seminariis.

AD OBSERVATIONES GENERALES

1. Em.mus Card. Micara suggerit « necessitatem ecclesiasticas vocationes fovendi debemus quidem instantissime urgere, semper tamen monentes ne ob sollicitudinem augendi numerum minus attendatur qualitas ».

Suggestio omnino placet Commissioni de studiis et seminariis, quae tamen animadvertit de hac tam momentosa quaestione explicite agi in schemate De sacrorum alumnis formandis, cap. I, artt. 8, 9 et sensu quidem Em.mi Card. Micara.

2. Em.mi Cardinales Ferretto, Döpfner, Jullien, Larraona, Bea et alii petunt ut una tantum conficiatur Constitutio de vocatione, ubi, congrua congruis ferendo, sapienter componantur quae in hoc schemate dicuntur cum his quae habentur in schemate de vocatione religiosa a Commissione de Religiosis parato.

Quae habentur in decreto de vocatione religiosa — respondet Commissio de studiis et seminariis — pertinent ad integrum aliquod schema « De statibus perfectionis acquirendae ». Praesens autem schema potius videtur coniungendum (tamquam prima eius pars) cum schemate Constitutionis « De Sacrorum alumnis formandis ».

Cum autem non videatur proponenda Concilio aliqua peculiaris Constitutio de vocatione, dum e contra — attentis schematibus a Commissionibus paratis — duae habebuntur Constitutiones seiunctae, quarum una de Religiosis altera vero de alumnis sacrorum efformandis, ne dedignentur Em.mi Sodales huius Subcommissionis significare quid in casu expediat facere.

— 8 —

3. Em.mus Card. D'Alton petiit ut aliqua descriptio, saltem generalis, vocationis ecclesiasticae daretur, ad instar pulcherrimae descriptionis vocationis religiosae quae continetur in schemate « De vocatione religiosa ». Respondit autem Commissio de studiis et seminariis: « Haec descriptio generalis vocationis sacerdotalis de facto datur in schemate, art. 4, p. 7, lin. 16-22 ».

4. Exc.mi O'Connor et Hurley petunt ut in schemate non tantum de vocationibus ecclesiasticis fovendis agatur sed etiam de corroborandis vocationibus, nam nonnumquam optimae vocationes ex negligentia vel debilitantur vel penitus deficiunt.

Hi adspectus respiciuntur — respondet Commissio de studiis et seminariis — in schemate Constitutionis « De sacrorum alumnis formandis », imprimis in capite I, de seminariorum ordinatione generali, in capite II, de institutione spirituali in seminariis, in capite III, de disciplina in seminario.

AD ART. N. 1

1. Ne videatur — animadvertit Em.mus Card. König — praevalere nota pessimistica in schemate, verbum addatur quod nihilominus sunt etiam regiones in Ecclesia universali ubi non paucae sunt vocationes (v. g. Irlandia, Polonia, in certis regionibus Neerlandiae, Americae Septentr. Multae sunt vocationes in India et Iaponia).

Animadversionis ratio habetur in exemplari emendato, p. 5 lin. 7.

AD ART. N. 2

1. Non intellego — quaerit Em.mus Card. Ruffini — cur nihil dicatur de natura et *criteriis* authenticae vocationis sacerdotalis, quae secundum exhortationem in n. 4 pag. 7 lin. 14-16 expressam, declaranda esset in praedicationibus, in catechesi, in periodicis commentariis.

Quaestio de natura vocationis iam, nisi fallor, dirempta est pluribus abhinc annis a S. Sede. Vocatio sacerdotalis *radicaliter* (sit venia verbo!) est a Deo, qui dat qualitates naturales et supernaturales necessarias, sed ultimo et definite ab Episcopo. Si hoc alterum elementum non requireretur, quicumque qualitates habet sufficientes ius sibi vindicare posset ascendendi ad sacerdotium, et Episcopus deberet ei manus imponere etiam si inopportunum id aestimaret.

— 9 —

Deinde quaero: cur signa vocationis, saltem praecipua et essentialia, non recensentur?

Et Em.mus Card. Godfrey circa eandem quaestionem dicit: explicatio naturae vocationis data est a Sancto Pio X quando egit de libro Canonici Lahitton. Tria requiruntur: 1) intentio recta; 2) physicae et morales qualitates; 3) vocatio ab Ecclesia. Liber Can. Lahitton est approbatus contra opinionem quae tenuit esse necessarius « instinctus » Sp. Sancti.

Tum primae tum alteri suggestioni haec respondet Commissio de studiis et seminariis: « De *criteriis* vocationis sacerdotalis sermo est in Constitutione « De sacrorum alumnis formandis », cap. I « De Seminariorum ordinatione generali », art. 8: alumnorum selectio et probatio.

De *natura* vocationis sacerdotalis non habetur ea plena concordia quae in hac animadversione supponitur. Constitutio Apostolica « Sedes Sapientiae » quidem, 31 maii 1956, AAS 48 (1956) p. 357, divinam vocationem duplici veluti essentiali elemento, divino scilicet altero, altero autem ecclesiastico constitui declaravit, sed auctores recentiores minime conveniunt in determinanda relatione vigente inter utrumque elementum. In Commissionis deliberationibus Episcopi generaliter elementum ecclesiasticum fortiter premebant, ceteri autem potius totalem primatum actionis divinae efferre satagebant. In his adiunctis res, si definitio quaedam quaerebatur, ad Commissionem Theologicam deferenda erat. Praevaluit autem criterium ipsa elementa vocationis enuntiare, in contextu autem paraenetico, sine ulla definitionis specie. Quod reapse factum est in schemate praesenti, art. 4, pag. 7, lin. 16-22.

Signa vocationis autem in praesenti schemate de facto brevissime tantùm innuuntur in art. 3 et art. 4; explicitius autem de eis tractatur in Constitutione « De sacrorum alumnis formandis », cap. I: « De Seminariorum ordinatione generali », art. 8: *b*) « ... Seminarii moderatores... sedula cura ad solidum iudicium de positiva alumnorum idoneitate sibi efformandum attendant; utrum scilicet vere spiritu Christi agantur, sufficientis ingenii dotibus polleant, congrua salute physica et psychica ac praecipue sano iudicio sint praediti atque intentione recta, voluntate libera, firma et actuosa ad Domini Sacerdotium participandum anhelent ».

AD ART. N. 3

Circa art. 3: *Totius Ecclesiae impensa cooperatio*. – Commissio de studiis et seminariis acceptavit suggestiones Em.morum Car-

— 10 —

dinalium Léger, Marella, Döpfner et Jullien, uti erui potest ex emendationibus in textum introductis. Non assentire tamen censet eadem Commissio suggestioni Exc.mi Silva Santiago petentis ut in pag. 6 lin. 20 addatur « quod patres familias christiani certi esse debent quod ad ulteriorem eorum filiorum praeparationem in sacerdotium, deficiens status rei oeconomicae familiaris minime est impedimentum, praesertim quia Divina Providentia semper adiuvat efficaciter confidentibus in eam et, alia ex parte, ipsamet Ecclesia huiusmodi defectum sanandi curat ». Quod non videtur necessarium Commissioni de studiis et seminariis, quia in schemate emendato est sermo de obligatione sacerdotum subveniendi alumnis pauperibus; insuper p. 6 linea 5 ss. dicitur Episcopos debere « nullis parcentes sacrificiis » adiuvare vocatos ad sacerdotium.

AD ART. N. 4.

1. Em.mus Card. Ruffini proponit: « Pag. 7 lin. 35-38 *de clero* (piccolo clero) pauciora dicuntur quam — ut opinor — oporteret, et nihil prorsus *de pueris cantoribus,* cum prima et altera consociationes, experientia teste, consideranda sint vera *praeseminaria,* ex quibus pleraque vocationum sacerdotalium, copiosae quidem, hodie effluunt ».

Huic suggestioni Commissio de studiis et seminariis respondet: «De parvo clero sufficienter dictum est; debet enim servari proportio in redactione schematis, quod quaestiones principaliores tangat oportet, non vero ad particularia descendere potest ».

2. Em.mus Card. König proponit ut ad pag. 8, lin. 7-10 addatur: « vocationes tardivae hodiernis temporibus semper maiore attentione dignae sunt et non pauci sunt optimi sacerdotes qui hac via tardiore aetate perveniant ad munus sacerdotale ».

Videtur sufficere — respondet Commissio de studiis et seminariis —, ea quae dicuntur in schemate, necnon in schemate Constitutionis « De sacrorum alumnis formandis » cap. I, art. 2.

3. Exc.mus Silva Santiago suggerit ut in pag. 7 lin. 29 considerari etiam deberent formae practicae collaborationis actionis catholicae in vocationibus ecclesiasticis fovendis, allatae in documento Sacrae Congregationis de seminariis et studiorum universitatibus diei 1 octobris 1960.

— 11 —

Quod tamen non placet Commissioni, quae schema paravit, quia « Decretum Conciliare potest enuntiare solummodo principia; particularia pertinent ad instructiones Sacrarum Congregationum et Episcopatus ».

Aliae non adsunt quaestiones quoad hoc schema.

Ne dedignentur igitur Em.mi Patres huius Subcommissionis significare an textus schematis sit sufficienter emendatus vel minus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

— 13 —

II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI

DE STUDIORUM RATIONE IN SEMINARIIS

Schema Constitutionis *De sacrorum alumnis formandis* praeter schema decreti *De Vocationibus ecclesiasticis fovendis*, de quo supra dictum est, sex capita continet, quorum quartum inscribitur *De ratione studiorum in Seminariis.*

Hoc schema discussum fuit in sessione generali mensis februarii 1962 Commissionis Centralis et nunc pro emendatione proponitur Em.mis Patribus huius Subcommissionis una cum observationibus sodalium Commissionis Centralis et responsis eisdem datis a Commissione de studiis et seminariis, quae ipsum paravit.

AD OBSERVATIONES GENERALES

Observationibus generalibus generalem responsionem dari ante omnia posse censet Commissio de studiis et seminariis, dicens: « Omnibus huiusmodi observationibus sufficiens responsio dari videtur ex ipso art. 5 schematis, ubi Episcoporum coetibus committitur ratio studiorum pro singulis nationibus redigenda; in ea enim normae universales accommodari et explicitari poterunt pro diversis conditionibus regionum occidentalium, orientalium, missionum, probante semper S. Sede ».

Difficile esse insuper dicit eadem Commissio rationem habere observationum inter sese oppositarum; etenim alii hoc schema brevius, pluribus omissis, exoptant, alii vero non pauca addenda proponunt quibus schema longius redderetur.

His praemissis, haec ad singula habentur:

1. Em.mus Card. Wyszyński animadvertit: « Omnia quae dicta sunt de studiorum *fundamento philosophico* in seminariis magni momenti sunt, ut securius evitetur *determinismum* quoddam doctrinale. Verbum Dei currit et clarificatur — per saecula — ad Patrem futuri saeculi. Dux omnium studiorum est magister vitae, Iesus Christus D. N. et Ipsum tenere primum locum oportet in seminariis studiorum.

— 14 —

Tempus studiorum nimis prolongatum est, nempe completis studiis mediis, ad 6 annos, cum dies mali sunt.

Studia exegetica et dogmatica liberentur ab exaggerato pondere s. d. *historicismi* et immoderati exegetismi, quae studia historica et exegetica multum prosunt in studiis specialibus sed parum in seminariis clericorum. *Doctrina de Corpore Christi mystico* debet esse fundamentum studiorum non solummodo in theologia dogmatica, sed etiam morali, in studiis pastoralibus, sociologicis et liturgicis, quam viam nobis aperuit Pius XII sectando S. Ioannem Chrisostomum et S. Augustinum.

Studia theologiae *pastoralis,* catecheticae, sociologiae christianae, psychologiae pastoralis, separatim tractanda sunt, cum magnam evolutionem iam decursu temporum acceperunt, maxime hodie commodanda sunt ».

Quibus haec respondet Commissio de studiis et seminariis: « De institutione pastorali in seminariis promovenda expresse agitur in capite V huius Constitutionis ». Et Em.mo Card. Godfrey petenti ut « tota quaestio de vocationibus tardivis accurate examini subiiciatur » eadem Commissio respondet: « De vocationibus tardivis agitur in schemate de vocationibus ecclesiasticis fovendis, art. 4, p. 8, linea 8-10 cum nota 16, ubi difficultates ab Em.mo Godfrey motae respiciuntur, et in huius Constitut. cap. I, art. 2 ».

Ad Art. n. 4

1. Rev.mus Tinello proponit ut: « *a*) in hoc art. 4 non praetermittantur sollemnissima documenta Magisterii Ecclesiastici; *b*) ut, iis spectatis, quae hac super re Conc. Trident. statuit, dilucide mentio fiat in Conc. Vaticano II de seminariis interdioecesanis, regionalibus et nationalibus auctoritate apostolica conditis; ut declaretur quam eadem seminaria, pro aliquibus nationibus et regionibus, cum necessitatibus congruant huius nostrae aetatis; ut de iisdem ita tradantur certae normae, iure communi innixae, ut quam maxime consiliis et propositis respondeant quibus exsequendis condita sunt ».

De seminariis interdioecesanis et regionalibus agitur in cap. I, de seminariorum ordinatione generali, art. 3, et Commissio non censet aliud esse adiungendum.

Ad Art. n. 5

Em.mus Ruffini dixit: « Ad pag. 4, lin. 9 ss. " ... pariter in regionibus, societatibus, Institutisque saecularibus ": puto di-

— 15 —

cendum esse: "... pariter in Ordinibus et Congregationibus Religiosis Institutisque saecularibus... " cum hic Religiosorum mentio fiat, liceat mihi fateri numquam me intellexisse, sicut nec nunc perspicio cur institutio doctrinalis Religiosorum, respectu Sacerdoti, et quidem saepissime in cura animarum exercenda, regenda sit peculiari ratione studiorum a Superioribus maioribus redacta. Sicut Sacerdotium unum est, ita una deberet esse ratio studiorum a S. C. de seminariis et studiorum Universitatibus definienda, servata — clarum est — institutione *integrativa* pro Religiosis de iis quae ipsorum sunt propria ».

Quibus haec respondet Commissio de studiis et seminariis: « Formula schematis videtur magis iuridica quam formula proposita, in qua v. g. omittuntur societates sine votis. Quaestio praeterea de competentia S. C. de seminariis et studiorum Universitatibus non tangitur in hoc decreto in quo sermo est de S. Sede. Ratio autem studiorum pro Religiosis a Superioribus Maioribus redigenda praescribitur a Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956 ».

Ad Art. n. 7

1. Em.mus Card. Siri dixit: « Dispositio quae hic statuitur est simpliciter demenda. En rationes:

a) Hoc non potest ubique fieri et non sunt sapientes dispositiones, quae in ipso limine legis iam agnoscuntur pluries non applicabiles. De hoc fieri potest exhortatio, non lex.

b) Quod statuitur potest totam institutionem ecclesiasticam servam reddere institutionis laicalis et quandoque atheae. Quod est maxime inconveniens. Casus erunt plurimi in quibus melius erit libertatem eligere. Sed, si habetur hic lex, in ipso limine legis iam scimus perplura facienda esse vel per infinita indulta, vel — quod valde accidit — in despectu ipsius legis. Commissio de studiis et seminariis tamen censet art. esse retinendum cum emendatione lin. 32 vocis *communiter* in *utiliter.*

Ad Art. n. 8

1. Em.mus Card. Jullien dixit: « ... optarem ut brevissime praemittatur linguam latinam habere vim quam maxime paedagogicam, uti experientia vetustissima constat atque nuperrime Const. *Veterum Sapientia* egregie notavit. Quare in pag. 5, lin. 3, verba ita complenda censerem: imprimis linguae latinae cognitionem *tum qua praecipue mentis animique facultates perficiantur atque summa ratione sive recte cogitandi sive congrue loquendi ars addiscatur, tum qua traditionis,* etc. ».

— 16 —

Respondet tamen Commissio de studiis et seminariis: « nullum dubium de vi paedagogica linguae latinae pro occidentalibus, at idem non videtur posse dici pro gentibus orientalibus ».

2. Em.mus Card. Bea animadvertit: « Fortasse notandum non adeo linguam latinam *classicam* addiscendam esse, sed potius linguam latinam *ecclesiasticam,* lectis etiam auctoribus christianis (S. Leo, S. Hieron., S. Augustinus, Minucius Felix et sim.). Curandum esset etiam ut *grammatica* huius ecclesiasticae latinitatis componeretur qua scholae uti possent ».

Hoc videtur Commissioni de studiis et seminariis relinquendum esse particularibus rationibus studiorum.

3. Exc.mus Jelmini putat « etiam linguam graecam adnumerandam disciplinis necessario addiscendis. Qua si careant clerici, quomodo praecipuam operam in S. Scripturam navabunt, iuxta praescripta in n. 9 et 15, cum ne Novum quidem Testamentum secundum graecam veritatem legere atque intelligere sciant? ».

Quod non videtur Commissioni, quae schema paravit, institui posse pro toto mundo.

AD ART. N. 10

Plures fuerunt observationes quoad hunc articulum; multi enim Patres petierunt « ne nimis urgeantur principia, doctrina, methodus Angelici Doctoris, quae quater et quidem exclusive in his schematibus commendantur. Certe S. Thomas est primus et praeclarissimus ac quidem maxime aequilibratus omnium doctorum. Sed non est unicus. Methodus eius non omnibus indigentiis temporis nostri sufficit. Insuper declarandum videtur, quae sunt principia S. Thomae, quia haec locutio in sensu stricto vel etiam latiore comprehendi potest.

Non videtur insuper cur theologi aliorum Ordinum, quamvis duce S. Thoma, explicare non possint sacram theologiam secundum magnos doctores suorum Ordinum.

Inveniatur igitur formula, quae tales possibilitates non excludat ».

Quibus suggestionibus Commissio de studiis et seminariis assentire videtur, cum proponat novum textum, scilicet: « ... Philosophia scholastica, quoad omnes suas partes, apto libro textus exposita, secundum S. Thomae Aquinatis rationem, doctrinam et principia, non omissis tamen aliis magistris ab Ecclesia probatis, ita tradatur... ».

— 17 —

His perpensis, cum quaestio haud parvum habeat momentum, ne dedignentur Em.mi Patres huius Subcommissionis significare an hic art. sit sufficienter emendatus.

AD ART. N. 12

1. Em.mus Card. Ruffini suggerit ut, cum agatur de studio scientiarum socialium inchoando, clarius aptiusque dicatur « esse doctrinae socialis, profecto maximi momenti, tradenda elementa philosophica, nempe quae ad philosophiam pertinent ».

Quod acceptare non putat Commissio de studiis et seminariis, quia scientiae sociales non sunt idem ac Ethica.

AD ART. N. 13

1. Exc.mus Silva Santiago magnum timorem habet utrum sit possibile integrum curriculum theologicum, uti in schemate proponitur, peragi, in *quadriennio* tantummodo. Hac de causa hodie in nonnullis nationibus curriculum theologiae *quinquennio* peragendum est.

Minime prohibetur, respondet Commissio de studiis et seminariis, quominus in quibusdam regionibus instituantur 5 anni curriculi theologici. Sed ordinare hoc pertinet ad rationes studiorum particulares.

AD ART. N. 14

1. Circa hunc artic. eadem quaestio habetur quae supra, ad art. n. 10, agitata fuit, scil. de methodo atque magistris, in tradenda S. Theologia.

Plures Patres Commissionis Centralis petierunt ut traderetur utique sacra Theologia secundum S. Thomae principia non omissis tamen aliis Magistris ab Ecclesia probatis.

Commissio de studiis et seminariis assentiens huic suggestioni, proponit nunc sequentem textum: « Quam theologia sacra, *apto libro textus adhibito,.. secundum probatos Ecclesiae Doctores, atque imprimis iuxta S. Thomae rationem,* doctrinam et principia solide tradatur ».

Haec autem formula probetur oportet ab Em.mis sodalibus huius Subcommissionis, attenta gravitate ac peculiaritate quaestionis, in casu.

2. Em.mus Card. Bea petit insuper ut in hoc art. ratio habeatur conditionum Orientalium et Missionum, ubi plane alia est mentalitas theologica: Orientales non habent traditionem

— 18 —

scholasticam quae in art. supponitur, et in Missionibus multa interim executioni mandari non possunt. Videtur igitur inde ab initio addenda esse clausola qua dicitur: « Quomodo ea, quae hic praescribuntur aut commendantur, in Ecclesia Orientali et in regionibus Missionum executioni mandari possint, re cum S. Congregatione pro Ecclesia Orientali et S. Congregatione de Propaganda Fide tractata, decidendum erit ».

Cum autem Exc.mus Lefebvre, Episcopus tunc Missionarius, dixerit « Experientia constat quod in nostris regionibus Africae intelligentiis seminaristarum plane concordant doctrina et methodus S. Thomae », Commissio di studiis et seminariis censet non esse textui schematis adiungenda clausola proposita ab Em.mo Card. Bea.

Quid in casu decidendum?

AD ART. N. 16

1. Em.mus Card. Ferretto putat latius dici posse p. 7 lin. 1-2, loco verborum « in historia ecclesiastica », « in disciplinis historicis ecclesiasticis », ut facilius aditus pateat ad *studium monumentorum antiquorum.*

Et Em.mus Cento opportunum ducit explicite statuere aliquem cursum *de arte sacra.*

Em.mus Richaud insuper suggerit ut p. 7 lin. 5 et 6 addatur post verba « in theologia spirituali » hoc complementum: « sub aspectu practico et etiam historico », ut alumni noscant veteres auctores spirituales qui sunt semper actuales et aliquando denotant psychologiam validam magisque profundam.

Cum Commissio de studiis et seminariis nihil dixerit de his observationibus, ne dedignentur Em.mi Patres dicere an oporteat suggestas emendationes in textum huius articuli introducere.

Et, cum aliae non habeantur observationes quoad hoc schema, ad conclusionis instar Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, ne dedignentur edicere quid adhuc corrigendum aut addendum vel supprimendum sit hoc in schemate.

— 19 —

III

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI

DE UNIVERSITATIBUS CATHOLICIS

Hoc schema ad constitutionem pertinet *De studiis ecclesiasticis et de scholis catholicis,* paratum a Commissione de studiis et seminariis. Schema discussum fuit a Patribus Commissionis Centralis et eorundem observationibus respondit Commissio de studiis et seminariis, prouti ex his quae sequuntur eruitur.

AD OBSERVATIONES GENERALES

1. Em.mus Card. Ruffini animadvertit: « Quando agebatur de praeparanda Constitutione Apostolica *Deus scientiarum Dominus* unum, maximi momenti, ob peculiaria adiuncta, decerni non potuit, nimirum: quid veniat nomine *Universitatis catholicae.*

Nunc opportunum est — ut mihi videtur — describere conditiones essentiales ut centrum quoddam studiorum academicorum Universitas Catholica appellari possit. Scio esse Universitatem, quae etsi plures habeat professores protestantes, catholica vocatur. Num talis abusus tolerari potest? Quid igitur requiritur ad professores, ad disciplinas, ad regimen quod attinet? ».

In schemate *De scholis catholicis,* ad quod pertinent etiam Universitates catholicae, respondet Commissio de studiis et seminariis, determinatur quid requiratur quoad professores, disciplinas, approbationes vel erectionem, regimen, ut aliqua schola vocari possit perfecte catholica.

2. Em.mus Card. Wyszyński suggerit ut « erigantur facultates philosophicae et theologicae pro laicis cum singulari programmate, adaptato exigentiis laicorum.

Admissio laureae in theologia pro laicis, etiam pro mulieribus multum desideratur.

Membra facultatum theologicarum in Universitatibus Status, dependentia a civili potestate, saepissime favent circumstantiis

— 20 —

et doctrinis politicis, ad usum delphini, et putant potius se esse officiales Status quam membra Ecclesiae docentis. Quae praxis probatur in regionibus nostris. Inde maxime difficultates oriuntur.

Ad informationem circa votum Em.mi Card. Ottaviani: In Varsavia existit Academia Theologiae Catholicae, et alia interconfessionalis, erecta a gubernio Communista et canonice non approbata per S. Congregationem studiorum. Accepi facultatem a SS.mo D.no Pio XII, tolerare istam Academiam. Omnes professores missionem canonicam, omni anno renovandam, a me recipiunt ».

Quibus haec respondet Commissio de studiis et seminariis: « Non sunt contra schema. Ex altera parte non necessarium videtur ea in decretum conciliare introduci. Studia theologica pro laicis de facto iam plura existunt; saltem in Facultatibus theologicis erectis in Universitatibus civilibus laurea in theologia datur etiam laicis, non exclusis mulieribus ».

3. Concordentur — petit Em.mus Card. Larraona — illa quae dixit Em.mus Ottaviani (ad art. 6) circa Universitates catholicas sed a Statu dependentes, et quae optime exposuit *pro aliis* Exc.mus Archiep. Silva Santiago, et alii Em.mi Patres confirmaverunt pro Anglia, Germania, Hollandia.

Ad hunc finem textus schematis aliquatenus mutatus est, cf. art. 6, p. 5, lin. 18, a Commissione de studiis et seminariis.

4. Exc.mus Jelmini animadvertit: « Quare dum Communistae tam abunde adiuvant iuvenes diversarum nationum, et praecipue Africae regionum, qui Russiae universitates petunt ad adimplendum curriculum studiorum, Catholici tam pauca generatim faciunt sacrificia ad adiuvandos pauperes iuvenes nostros tum in Seminariis tum in Universitatibus?

In nostra Helvetica natione quotannis Episcopatus, ex collectis paroeciarum factis I dominica Adventus, donat Universitati Friburgensi in Helvetia plus quam 500.000 francos (id est 750.000.000 libellarum italicarum). Nonne — veniam peto — ipsa S. Sedes ex " religionis operibus " (opere di religione) posset aliquid facere et similiter omnes dioeceses ex S. Sedis impulso? Puto etiam in hoc magni momenti negotio dici posse: Fas est ab hoste doceri ».

Huic desiderio — respondet Commissio quae schema paravit — iam satisfit in schemate praesenti, n. 5. Non videtur autem opportunum in decreto conciliari explicite loqui de «opere di religione». Decretum conciliare potius principium generale statuat, illos iuvenes ex regionibus minus evolutis esse omni nisu adiuvandos. S. Sedes postea ulteriora determinare poterit, quomodo a singulis dioecesibus et coetibus hoc principium executioni mandandum sit.

— 21 —

Ad Art. n. 1

1. Exc.mus Silva Santiago suggerit ut post ultimam numeri partem addatur: — Propterea, ratione habita de aliorum valorum, in omnibus Universitatibus debita tribuatur aestimatio studiis atque investigationibus scientifico-technicis, quae magni momenti hodiernis temporibus sunt habendae, quatenus, validum praestare possunt auxilium materiali populorum prosperitati, praesertim in regionibus parum evolutis atque opem ferunt ad maiorem societatis humanae culturam et progressum —.

Et haec secunda suggestio:

Quatenus ex hodierni temporis experientia constat, populorum vitalis explicatio, quidquid sit de eorum culturali et scientifico-technico acervo, dimensiones ostendit « supernationales et mundiales » (*Mater et Magistra*); quod, procul dubio, vitam hodiernam Universitatum afficit. Quapropter apud magistros atque alumnos Universitatum studium fovere oportet « internationalium » problematum. Atque Universitas ipsamet magno « internationali » spiritu informetur atque explicetur, praesertim, in iis Facultatibus ad quas praedictus spiritus specialiter spectat.

Ad quem laudabilem finem obtinendum mutua cooperatio foveatur inter Catholicas Universitates, per Associationes sive regionales sive « mundiales », sicut aliquae ad praesens exstantes (e. gr. Foederatio Universitatum Catholicarum et ODUCAL in America Latina).

Seminarii quoque atque Studiorum Centra instituantur pro « specializatione » et perfectione, « post-graduatis » destinata, ubi et magistri atque alumni determinatae regionis aut continentis congruens curriculum peragere queant.

At difficile videtur Commissioni de studiis et seminariis expresse loqui de investigationibus technico-scientificis et silere de aliis investigationibus, quae non minoris momenti sunt in Universitatibus Catholicis. Quoad secundam suggestionem provisum est per emendationem textus pag. 4, lin. 3 et 14, etsi breviter, quia proportio inter partes decreti servanda est et non potest aliquod argumentum ample evolvi nisi pari ratione alia argumenta eiusdem ponderis evolvatur; quod valet etiam — dicit eadem Commissio — pro art. 3.

— 22 —

AD ART. N. 2

Schema emendatum est iuxta suggestionem Rev.mi P. Sépinski.

AD ART. N. 3

1. Em.mus Card. Confalonieri putat: « Provideri debet ut, pro nostrae aetatis necessitatibus, magistri in facultate theologica vel theologico Instituto, quam maxime periti et apti seligantur ».

Hoc dicitur in schemate de Facultatibus ecclesiasticis, respondet Commissio de studiis et seminariis.

2. Em.mus Card. Bea: « Fortius insistendum videtur in *necessitate* facultatis theologicae in Univ. Catholicis ».

Quod non videtur Commissioni de studiis et seminariis quia plures iam habentur Facultates theologicae sat debiles, quae potius roborandae sunt et non multiplicandae.

3. Exc.mus Silva Santiago multa suggerit adiungenda huic numero dicens: « Optime mihi videtur et omnino necessarium quod stabiliatur hoc in numero, quod Facultas Theologica vel saltem Theologicum Institutum ipsius Universitatis velut anima sit ad illorum problematum investigationem promovendam quibus profanae scientiae cum sacris continenter coniungantur.

Sed in hodiernis Universitatibus Catholicis, meo quidem iudicio, in omnibus vel fere in omnibus non solum exstat problema in harmonica alumnorum formatione intellectuali cum christiana doctrina, ut optime notatur in pag. 6, nota 3, et in quo Facultas Theologica vel Theologicum Institutum obiectivum habet suum specificum. Est aliud quidem et gravissimum problema.

Non pauci enim alumni Universitatem ingrediuntur absque ulla religiosa institutione, quia de familiis procedunt quibus spiritus religiosus et pietatis omnino deest, aut de collegiis vel licaeis laicis ubi non raro aut non exsistit schola Religionis, aut, si exsistit, talis disciplina est omnino deficiens. Ergo Universitas Catholica curare debet ut etiam pro his alumnis institutio fiat quae scientias naturales, philosophiam et Religionem attingat.

Non solum Facultas Theologica et Theologicum Institutum, sed etiam ipsamet Universitas Catholica adamussim adimplere tenentur canonis 1373 dispositionem, scilicet: « Iuventus quae medias aut superiores scholas frequentat pleniore religionis doctrina excolatur, et locorum Ordinarii curent ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes ».

— 23 —

His dictis propono:

Numerus 3 (in pag. 4), remaneat uti est quia revera respondet ad implendum officium cuiuslibet Catholicae Universitatis.

Addatur:

— Numerus 3 A: Immo magnopere oportet ut in singulis Catholicis Universitatibus erigatur Institutum seu *Centrum* cui speciatim competat et specifice id omne quod ad *Culturam Catholicam et Moralem Professionalem* respicit, et cuius sit pro futuro definire, in ordinem redigere, vigilare, atque religiosam institutionem pro omnibus Facultatibus, Institutis et Scholis Universitariis, sacerdotibus auspicibus non solum in Religione sed etiam in humanis scientiis idoneis et peritis, et universitario spiritu praeditis. Tamquam finem proprium atque specificum praedicta Instituta solida vincula coniungere omni ope conabuntur cum Facultate Theologica atque Theologico Instituto, ad hunc finem ut agendi ratio concorditer moderetur, sicut in n. 3 huius Schematis statuitur (Resolutio Organizationis ODUCAL, Limae, Actuum Collectio, pag. 63, n. 1 et 4).

Tandem alios duos numeros proponere opportune duco: 3 B et 3 C.

— Numerus 3 B: Attentis praesentium temporum difficultatibus propter relationes quae exstant inter Humanismum et Scientiam, et quatenus necessitas urget propugnandi et latius proponendi culturae spiritualis fundamenta, erigere oportet in *Catholicis Universitatibus Modernas Facultates Philosophicas pro laicis*. Quarum specificus finis erit intellectualibus et laureatis debitam institutionem in philosophicis disciplinis operam dare (quae raro in educatione media obtinetur), atque etiam beneficum et salutarem influxum in ceteras Facultates exercere. Item, attentis hodiernae educationis adiunctis, foveantur Instituta seu Scholae Paedagogicae seu Magisterii, ut etiam laici in collegiis, licaeis et gymnasiis idoneum et christianum magisterium exercere valeant.

— Numerus 3 C: Quatenus gravia oeconomica-socialia problemata hodiernam societatem exagitant, praecipue in regionibus insufficienter evolutis quoad socialem progressum et bonum commune, et votis annuendo S.S. Ioannis XXIII feliciter regnantis in suis Litteris Encyclicis *Mater et Magistra* expressis, Universitatum alumnis vera et solida institutio socialis christiana tradatur, atque alacriter stimulentur ut exinde studio de re oeconomica-sociali intense vocare conentur.

Quantum fieri potest, ad praedictum finem rite obtinendum,

— 24 —

in singulis Universitatibus *Facultas* seu *Institutum* erigatur " *Sociologiae Applicatae* ", idest, practicae, quae, per specialia curricula, authenticos et christianos sociologos efformet, atque in omnes Universitatum Facultates, Instituta et Scholas beneficum influxum exerceat (Resolutio Organizationis ODUCAL, Limae 1959, *Actuum Collectio,* pag. 62, 2) ».

Desiderio ab Exc.mo Silva Santiago expresso, etsi forma magis succinta, satisfit emendatio textus p. 4, lin. 14, a Commissione de studiis et seminariis proposita, quae insuper notat Facultates philosophicas pro laicis iam existere non paucas.

AD ART. N. 4

Nihil immutandum cum obsevationes Em.morum Cardinalium Micara et Bea confirment praescriptum articuli.

AD ART. N. 5

Acceptata est emendatio proposita a Rev.mo P. Sépinski.

AD ART. N. 6

Quoad hunc articulum perplures fecerunt observationes Patres Commissionis Centralis.

1. Em.mus Card. Frings: « Quamvis Universitates Catholicae secundum doctrinam catholicam sint optima instrumenta ad veritatem undequaque investigandam et pro iuventute bene informanda, tamen urgenda videtur phrasis initii puncti 6 posita, secundum quam non ubique Universitates Catholicae fundari possint. Nam secundum hodiernum statum scientiarum immensas exigunt expensas tum pro erigendis et installandis aedificiis tum pro annua sustentatione; et universitas cum professoribus mediocribus vel male doctis et sine necessariis mediis videtur peius esse quam nulla Universitas Catholica. Ita caute procedendum est in fundandis Universitatibus Catholicis. Et optime ponuntur in punctis 6 et 7 consilia pro iis regionibus, ubi Universitates Catholicae nondum existunt vel nondum erigi possunt ».

2. Em.mus Card. Godfrey: « Licet aliquid dicere de n. VI in pag. 5.

Auxilium praebendum iis qui civiles Universitates frequentant est res quae saepe venit in discussionem in conferentiis Episcoporum apud nos, et non sine fructu quia pro Universitatibus nominantur ab Episcopis cappellani pro variis Universitatibus,

— 25 —

et Catholici congregantur in ecclesiis et oratoriis specialibus ubi studentes communiter divino Sacrificio assistunt, sacramenta recipiunt et conciones audiunt.

Domum specialem habent studentes immigrantes, v. gr. ab Africa et Asia, cum cappellanis specialibus. Hospitia etiam sunt ubi vita Catholica fovetur et activitates sociales promoventur.

Pro Anglis Universitatem Londinensem frequentantibus est Ecclesia specialis in dioecesi Westmonasteriensi ubi studentes habent omnia pro vita catholica necessaria.

In aliquibus Universitatibus sacerdotes admittuntur ad cursus ad praelectiones habendas de philosophia et theologia. Hi cursus frequentantur, tum a catholicis quam ab acatholicis.

Nihil fit sine Episcopo. Nulla coactio ex parte Universitatis in re doctrinali ».

3. Em.mus Card. Ruffini: « Adhaereo omnino iis quae Em.mus Card. Ottaviani dixit de facultatibus studiorum ecclesiasticorum in Universitatibus civilibus instituendis. Ad orthodoxiam talium facultatum tuendam, oportet ut eae ab auctoritate Ecclesiae directe dependeant ».

4. Em.mus Card. Döpfner: « Animadversiones Em.mi Cardinalis Ottaviani momentum suum habent. Sed experientia ultimis temporibus in Germania omnino positiva est.

Pro aestimatione Ecclesiae in Universitatibus et in campo scientiae et culturae magni habendae sunt tales facultates. Illa mentione in hac constitutione Conciliari certe impressio opportuna nascitur. Ceteroquin clausula " ubi opportune fieri possit " provisum est, ne erectio talium facultatum permittatur in casibus quibus omitti deberet ».

5. Em.mus Card. Alfrink: « Sermo est in lin. 18-20, nisi fallor, de cathedra philosophiae et theologiae catholicae, erecta per Episcopos cuius professor est nominatus ab Ecclesia. Sicut apud nos, ubi in Universitatibus statalibus Episcopi erexerunt cathedras philosophiae et theologiae catholicae, cuius professores plena cum libertate ab Episcopatu nominantur (et utique honorantur) ».

6. Em.mus Card. Ottaviani: « Pag. 5, n. 6, in fine legitur: " Theologiae quoque facultate vel cathedra in ipsa universitate civili erecta, ubi opportune fieri possit ".

Haec verba ego puto esse delenda. Ratio haec est: quando

facultates theologicae eriguntur in sinu universitatum civilium, earum professores generatim nominantur a gubernio. Iam vero licet aliquae cautiones concorditer ab utraque potestate, civili videlicet et ecclesiastica, statuantur (cf. art. 3 Concordati cum Bavaria), tamen tale de facto criterium laicorum est ut in selectione professorum eorum tendentia non conveniat cum criteriis Ecclesiae. Experientia docet ne Concordata quidem sufficientia fuisse ad tuenda hac in re iura Ecclesiae. Difficultas autem crescit si agitur de amovendo a munere professore, qui officio par non est, praesertim ob inadaequatam vel non genuinam doctrinam: id practice quasi impossibile evadit ob reactiones quae praevidentur ».

7. Em.mus Card. Roberti: « Velim addere votum ut ad erigendas et instituendas catholicas universitates cunctae Ecclesiae colligantur vires, quia maiorem influxum exercet universitas optima quam plures mediocres ».

8. Exc.mus O'Connor: « Necessarium mihi videtur ut magis ampliusque exponantur ea quae sub hoc numero perutiliter commendatur, eo quod reapse longe maior pars iuventae catholicae saeculares universitates frequentet et in dies eget accuratiore institutione religiosa et materno Ecclesiae praesidio ».

9. Exc.mus Hurley: « Quantum ad facultates theologicas in universitatibus civilibus condendas ubi libertas academica a gubernio integre servatur, nulla videtur esse difficultas tales facultates condendi per modum cooperationis inter hierarchiam et senatum universitatis, iuribus omnibus Ecclesiae in tuto positis ».

Quoad primam et alteram observationes Commissio de studiis et seminariis respondit: « confirmant schema Decreti ». Quoad ceteras autem ita: « Provisum est in exemplari adnexo emendato, pag. 5, linea 18. Etsi pro decreto conciliari eligatur forma magis tenuis (" praelectiones theologicae ", non " cathedra " neque " Facultas "), tamen in hac responsione sileri non debent magnae utilitates quae ipsis quoque Facultatibus theologicis in Universitatibus Status existentibus convenire possunt. Incommoda a pluribus Membris Commissionis Centralis commemorata non negantur. Sed prae oculis habenda sunt etiam haec:

1) Facultas theologica in Universitate Status constituit praesentiam organicam, officialem veritatis catholicae in vita

universitaria, ubi formantur futuri moderatores vitae culturalis, oeconomicae, socialis et politicae.

2) Ecclesia sic facilius exit ex ea separationis conditione, cuius consequentias funestas Ipsa saepius deplorat.

3) Possibile fit maius commercium intellectuale inter magistros Facultatis theologicae aliarumque Facultatum (in pluribus Universitatibus v. g. in Germania Docentes Facultatis theologicae inierunt mutuam consiliorum communicationem cum quibusdam Professoribus Philosophiae, Medicinae, scientiarum socialium etc.).

4) Lectiones theologicae possunt frequentari etiam ab auditoribus aliarum Facultatum; id quod in pluribus Facultatibus theologicis, erectis in ambitu Universitatis civilis, de facto evenit, optimo cum fructu.

5) Ex contactu et ex aemulatione cum aliis Facultatibus Professores Facultatis theologicae moventur ad cognoscenda maiora problemata vitae culturalis hodiernae et ad impendendas suas vires etiam in scientia theologica promovenda.

6) Suppressis Facultatibus theologicis catholicis in Universitatibus Status campus liber relinqueretur solis Facultatibus theologicis protestantium ».

Ad Art. n. 7

1. Acceptatae sunt emendationes propositae ab Em.mo Card. Alfrink et a Rev.mo P. Sépinski, uti apparet ex textu schematis.

2. Em.mus Card. Ottaviani opportunius addendam esse censet paragraphum qua hortantur Ordinarii ut, praesertim in magnis civitatibus, cathedra erigatur apud aliquod ens ecclesiasticum pro studiis theologicis in laicorum magis cultorum institutionem.

Huic suggestioni ita respondet Commissio de studiis et seminariis: sufficere videntur quae de centris universitariis in n. 6 dicuntur.

His omnibus perpensis, Em.mi Sodales huius Subcommissionis, ne dedignentur significare an hoc schema sit sufficienter emendatum, et, quatenus negative, an et quaenam desiderentur adhuc emendationes.

— 29 —

IV

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI

DE STUDIORUM ECCLESIASTICORUM UNIVERSITATIBUS

1. Hoc schema quatuordecim habuit observationes generales in sessione generali Commissionis Centralis quarum prima praeliminaris dici potest, cum proponat de non deferendo Concilio schemate, ex eo quod materia eiusdem potius videatur alicuius Constitutionis et Instructionis Apostolicae, quae ad diem perficiat et compleat praeclaram illam Constitutionem Pii XI *Deus scientiarum Dominus,* cum Concilium statuere potius debeat tantum principia. Quod admittendum etiam tenet Commissio de studiis et seminariis, dicens: « Sapientiae Em.morum, Exc.morum et Rev.morum Membrorum Commissionis Centralis obsecundantes libenti animo excipimus sententias eorum qui censent Concilium Oecumenicum generaliora tantum *principia* de renovandis et fovendis studiis academicis statuere debere; omnia autem quae res particulares atque executionem spectant demandentur Dicasterio S. Sedis studiis praeposito, ut maturo consilio, peritorum exacta sententia, experientia duce disponat quae ad finem consequendum opportuna et apta apparent. Hoc respondet desideriis expressis in nn. III, IV, V, VI, VIII, XIV observationum Patrum Commissionis Centralis.

Ne tamen labor et discussiones in cassum cadant, quae a Commissione praeparatoria facta sunt, sed eorum fructus ad Ss. Congregationes transeant, variae propositiones vel schemata ordinationis studiorum apponi possunt.

Libenter item excipiuntur observationes circa rationem quae habenda est applicationis rationis in Missionibus et terris Orientalium (n. VII); circa laicorum admissionem ad Universitates ecclesiasticas (ad Art. 1, I, pag. 13); circa primatum S. Thomae, qui alios Magistros ab Ecclesia probatos non excludat (ad Art. 3, VI, p. 15); circa meliorem formam rationis philosophicae (ad Art. 4, I, p. 15); circa dotes morales magistrorum (ad Art. 3, I, p. 22).

Principaliore animadversione de principiis generalioribus tan-

— 30 —

tum in schemate decreti enuntiandis acceptata, non paucae difficultates cadunt. Insuper observare liceat alias difficultates, quae schemati proposito moventur, sustineri non posse et ipsis Patrum contradictionibus infirmari ».

Ad ceteras autem observationes generales quod attinet, quae sequuntur responsiones habentur.

2. Em.mus Card. Liénart animadvertit: « Schema huius Decreti, cum schemate de studiorum ratione in seminariis, non satis concordare, immo in rebus maximi momenti adversari, mihi videtur.

Quoad alumnos: In utrisque agitur de iuvenibus ad sacerdotium parandis. In utrisque idem biennium philosophiae et quadriennium theologiae iis imponitur ante omnem specializationem.

Sed in praesenti decreto Episcopis commendatur ut seligant, immediate post studia classica, iuvenes ad studia superiora magis aptos et illos Facultatibus philosophiae et theologiae reservent. Grave tamen esset, si haec selectio caput amputaret seminariorum. Notatum est merito in Decreto de seminariis, quod numerus alumnorum exiguus esse non deberet et quod in casu melius esset seminaria adunari. Sed qualitas non minus importat quam numerus ad studia fovenda et ideo cavendum est ne iuvenes aptiores omnes segregantur in Universitatibus, et in seminariis non remaneant nisi minus apti.

Quoad formationem sacerdotalem:

Quidquid propositum est et optimum recognitum est, ad educationem ecclesiasticam perficiendam in seminariis, in praesenti decreto praeteritur. De studiis superioribus aggrediendis, ad manifestandam Ecclesiae praestantiam in scientiarum campo, unica tractatur. Nihil dicitur de praeparatione practica ad apostolatum verbi et Sacramentorum quem tamen sacerdotis est, neque de tempore reservato ad harmoniam diversarum disciplinarum complendam. Vereor ergo ne formatio melioris partis cleri in Universitatibus inferior sit formationi sacerdotali in seminariis. Quod Deus avertat! Ideo exopto ut etiam in Universitatibus omnia disponentur ad mentem decreti de ratione studiorum in seminariis.

Bonum est quod specializatio recte distincta sit a quadriennio. Dualitas tamen subsistit inter seminaria et Facultates canonicas, quae eundem studiorum cursum sequuntur. Ad hanc solvendam oporteret ut Facultates canonicae praeparationem ad gradus superiores Licentiatus et Doctoratus sibi reservent, sicut fit in Facultatibus non canonicis. Sed scio quod, in diversis nationibus, Facultates locum tenent seminariorum unde haec accommodatio impossibilis redditur, propterea tantum exopto quod hoc permittatur ubi possibilitas exsistit ».

— 31 —

Respondit autem Commissio de seminariis et studiis:

« 1) Nullum periculum incumbit seminariis, ne scilicet priventur melioribus ingenio iuvenibus, quia de electione et numero ad gradus academicos contendentium nihil innovetur, quinimmo numero minores erunt qui seminario subtrahentur propter maiores difficultates studiorum academicorum.

2) Nullum deinde periculum ne pastoralis formationis munus negligatur; immo e contrario: si quadriennium theologicum non amplius ad Licentiam conducit, multo plus temporis remanet ad disciplinas et rationes pastorales excolendas. De cetero in ipsa paragrapho 6 explicite exigitur ut quadriennium theologicum in Facultatibus comprehendat ea quae ad normam decreti *De ratione studiorum in seminariis* (IV, 13-19) ad munus sacerdotale praeparant, ergo etiam et maxime formationem pastoralem.

3) Dualitas inter seminaria et Facultates quoad quadriennium theologicum hodie quoque consistit et non est cur solvi debeat. Obiectio Em.mi D. Liénart insuper movetur ex falsa suppositione ac si schema omnibus Facultatibus theologicis imponere vellet quadriennium etiam fundamentale. Ubi illud non existit (sicut e. g. in Facultate theologica Lovaniensi), minime imponitur. Rationes autem ex quibus etiam curriculum fundamentale in Facultatibus proprium suum momentum habeat, breviter enuntiantur in notis 9 et 10 ipsi schemati adnexis (p. 14 sq.) ».

3. Exc.mus O'Connor animadvertit: « Haec quaestio non mediocris est momenti, sive in Sacrorum alumnis formandis, sive in rebus quae spectant ad vocationes ecclesiasticas fovendas, eo quod saepe iuvenes nostri temporis ad sacerdotium adspirantes eorumque parentes, expavescunt nimiam et diuturnam studiorum ecclesiasticorum moram.

Eadem quaestio insuper directe tangit rationem studiorum in universitatibus ecclesiasticis atque in seminariis, cum ipsa ratio quodammodo a spatio temporis pendeat.

Ideoque liceat mihi reverenter hac de re mentem pandere:

Omnino consentio cum Commissione de studiis et seminariis:

1) numerum disciplinarum nimis succrevisse et conse-

quenter difficilius quadrare cum tempore studiorum a Constitutione *Deus scientiarum Dominus* statuto;

2) formationem vero magistrorum in Universitate vel etiam in seminario accuratiorem et diuturniorem applicationem requirere quam quae hodie ad gradus academicos consequendos exigitur.

Sed alia quoque adiuncta considerare liceat:

Si tempus a Constitutione Apostolica *Deus scientiarum Dominus* statutum pro studiis ecclesiasticis explendis, diutius protraheretur, praesertim ad licentiam in Sacra Theologia, in Iure Canonico et in Philosophia consequendam, in praesenti penuria cleri, fere ubique gentium deploranda, Episcopi haud facile possent congruum numerum levitarum seligere qui ad gradus academicos consequendos destinentur, etsi in dies necessitas urgeat sacerdotum qui polleant academicis gradibus.

Praeterea iuxta schema propositum, sacerdotes, post plenum studiorum curriculum in universitate peractorum (per duos saltem annos philosophiae scholasticae et quatuor saltem S. Theologiae), gradum academicum consequerentur longe inferiorem (sicut et *baccalaureatus*) quam viri qui studia in scientiis profanis explent. Ideo hac studiorum ratione difficilius erit obtinere aequipollentiam iuridicam graduum ecclesiasticorum apud singulas civilitates vel etiam apud studiorum Instituta ("accrediting agencies").

Ad tam gravem quaestionem solvendam, via practica et acceptabilis patere videtur, si haec duo prae oculis habeantur:

I - Gradus academici pro viris ecclesiasticis non unice flectuntur ad magistros pro Universitatibus parandos sed etiam, maiori copia, ad varia munera ecclesiastica et pastoralia obeunda. Crescit enim in dies multitudo laicorum qui lauream consecuti sunt in profanis disciplinis: ii omnes ad animarum pastoribus culturam universitariam ecclesiasticam petunt.

II - Solidior ac profundior formatio non solum obtinetur per diuturniorem studiorum seriem, sed potius:

1) excolendo methodos quae sint aptiores et magis consentaneae ad formam mentis hodiernae iuventutis excolendam;

2) per accuratiorem candidatorum selectionem;

3) per perfectiorem disciplinarum compaginationem.

His praemissis:

A) Tempus intercedens inter licentiam et lauream protrahatur ita ut thesis doctrinalis praeparatio severam disciplinam studiorum imponat.

B) Ii, qui magisterio in Universitatibus destinantur, accu-

ratiorem formationem suscipiant post expletum curriculum quod hodie ad licentiam vel etiam ad lauream requiritur. Post lauream igitur altiores gradus academicos capessant sicuti in multis civilibus Universitatibus mos est.

C) Insuper optandum est ut, mentem Doctoris Angelici fideliter sequendo, ratio studiorum magis foveat unitatem sacrae theologiae, aptando fundamentales disciplinas sicuti sunt theologia dogmatica et moralis, ad hodiernarum sacrarum scientiarum statum, potius quam his disciplinis iuxtaponat aliquas novas materias, nomen theologiae usurpantes, sicut theologiam patristicam, spiritualem, kerigmaticam, etc., quae saepe coram alumnis sententias inter se non conformes proponunt et consequenter eorum rectam formationem protrahunt ».

Quibus haec respondit Commissio de studiis et seminariis: « Quaestio temporis non debet esse primum criterium ordinationis studiorum: hodie iam in omnibus fere nationibus provectioris culturae pro omnibus civibus tempus institutionis scholasticae non paucis annis auctum est et augetur, ita ut omnes cives usque ad annum saltem duodevicesimum scholas celebrare teneantur. Quoad studia academica hoc idem fit praesertim pro iis scientiis, in quibus specialis formatio requiritur, ut sunt artes medicae et technicae. Si ecclesiastici viri in iam nimis neglectis scientiis ecclesiasticis vere docti effici debent, necessarii temporis impendium timeri non debet. Minore erunt numero gradibus academicis ornati sed qualitate multo meliores et efficaciores: quod hodie multitudo eorum qui laurea doctoris ornati sunt facere non valent, cras etiam pusillus grex vere doctorum multo facilius obtinebit.

Ceterum etiam in statibus civilibus hodie gradus academici revisioni subiiciuntur et " laurea " aliquorum Statuum vix " Licentiae " aliorum aequiparatur. Insuper studium academicum ne confundatur cum gradibus academicis: in classicis Facultatibus ecclesiasticis medii aevi Baccalaurei plurimi, Licentiati nonnulli, Laureati inveniebantur paucissimi. Hodie etiam in non paucis nationibus studia universitaria absolvuntur nullo titulo academico obtento vel infimo tantum; studium requiritur ad superanda examina varia habilitationis quae ad officia et munera publica exercenda necessaria est ».

4. Rev.mus P. Janssens dixit: « Ex una parte, multum placet exigi conditiones severiores ad consequendam Lauream in Theologia. Constitutio *Deus scientiarum Dominus* rationem habere debuit extremae facilitatis qua tunc temporis concedebatur

— 34 —

Laurea; tempora matura sunt ut maiora, pro dignitate Laureae, exigi possint.

Non bene tamen apparet quare, post biennium scholaritatis pro Licentia, ulterior exigatur scholaritas ad Lauream, cum agatur de hominibus mente maturis, qui iam 8 annos expenderunt in studiis superioribus. Sufficiat directio professoris periti, sine obligatione scholaritatis.

Ex altera tamen parte, minus placet signari regressum, non progressum, tum in studiis philosophicis quadriennio praemittendis, tum in valore ipsius quadriennii.

Studia philosophica enim offerebantur in Facultatibus per triennium omnibus peragendum. Quod non caret utilitate, hoc praesertim tempore cum, teste constitutione *Humani generis,* radix non paucorum errorum est in deficiente formatione philosophica.

Nec incommodo caret potius deprimi aliquantulum valorem quadriennii academici, quod iam non excedet valorem boni seminarii; inde facile concedetur affiliatio seminariorum. Nonne hinc fiet ut Episcopi concludant iam non esse cur iuvenes mittant ad cursus theologicos academicos, nisi post absolutum quadriennium? Minuetur proinde numerus sacerdotum qui maiore peritia theologica emineant.

Humillime crediderim potius expedire: 1) servare hodiernum triennium philosophiae ad Licentiam; 2) pariter hodiernum quadriennium theologiae item ad Licentiam; 3) exigere ad Lauream sive in Philosophia sive in Theologia ulterius studium saltem trium annorum post adeptam Licentiam.

Crediderim quoque ad progressum studiorum expedire ut saltem Universitatibus pleni exercitii etiam ecclesiasticis, concedatur maior autonomia et maior possibilitas " initiativae " quam quae hodie eis competit. Nonne talis autonomia fuit fons, saeculis elapsis, maioris excellentiae scientificae? Quae autonomia minime excludit paternam vigilantiam Sanctae Sedis in centra studiorum ecclesiasticorum superiorum ».

Respondet autem Commissio de studiis et seminariis: « Secundum has aliasque animadversiones in fine quadriennii theologici retinenda est Licentia et studium specialisationis ad Lauream tantum protrahendum est.

Ad hanc gravem obiectionem recte aestimandam praevia haec consideratio facienda est:

Quisnam debet esse sensus et quaenam significatio titulorum academicorum: aut merum ornamentum aut diploma aliquod conventionale studiorum superiorum absolutorum aut gradus scientiae et capacitatis atque aptitudinis titulo respondens?

— 35 —

Merum ornamentum sine re in viris ecclesiasticis dedecet. Si diploma conventionale studiorum superiorum desideratur, novum aliquod inveniatur. Gradus traditionales academici suo vero sensui restituantur: Baccalaureus qui iam primam formationem scientificam recepit; Licentiatus, qui reapse ad docendum aptus sit; Laureatus qui scientiam promovere de facto valeat.

His praemissis dicendum est: experientia universali teste, Licentia actualis, quae confertur post quadriennium theologicum, in quo prima vice omnes disciplinae formationis intellectualis sacerdotalis et insimul theologia sensu stricto altius discuntur, nullam, generaliter, confert sufficientem aptitudinem docendi in seminariis maioribus theologiam.

Qui ergo conservare vult quadriennium cum Licentia theologica, formationem integram sacerdotalem et insimul valorem realem gradus academici Licentiae theologicae in discrimen vocat eo magis quod hodie numerus et postulata disciplinarum curriculi formationis ordinariae sacerdotalis valde aucta sunt. Quod esset omnino contra progressum scientiae ecclesiasticae qui verum finem schematis Decreti propositi constituit.

Quia insuper Licentia in S. Theologia iam altiorem et specialem, non encyclopaedicam tantum scientiam requirit, ea iam studium specialisationis postulat non minus ac scientia biblica, ius canonicum, historia sacra, sociologia etc. ».

5. Rev.mus Tinello dixit: « Persuasum omnino mihi est maxime quidem oportere ut in Ecclesia magni existimentur superioris ordinis studia quae in ecclesiasticis athenaeis discuntur, dummodo id non eveniat, ut parvi scilicet pendantur studiorum curricula quae " institutionalis " vel " seminaristica " vocantur. Hoc autem accideret si discrimen quoddam poneretur inter curriculum quadriennale theologicum studiorum, quod praerequiritur ante studia academica, et idem curriculum in scholis theologicis seminariorum. Hoc quidem discrimen propositum fuit! (cf. n. 6 p. 5 huius decreti, et notas 10 et 12, pp. 14 et 16). Oportet ideo ut curricula quoque " seminaristica ", non autem " elementaria ", caracterem vere scientificum habeant, atque integram apud omnes auctoritatem et dignitatem. In illis enim curriculis ii sacerdotes erudiuntur qui, etsi nulla laurea donentur, quotidie tamen munus obeunt, sane gravissimum, catholicae doctrinae tradendae eiusdemque defendendae ab Ecclesiae hostium insidiis atque incursibus.

— 36 —

Quod discrimen eo minus est ponendum quia a clericis, qui theologicas scholas in seminariis adeunt, eadem omnino requiruntur studiorum curricula ac si ad civilia adirent athenaea; quin immo et maiora requiruntur, cum post curriculum humanisticum, per biennium adhuc in philosophiae disciplinae incumbere debeant. Ita quidem ut concludere liceat, quadriennium theologicum quod " seminaristicum " appellatur eandem dignitatem induere atque quadriennium quod ad Baccalaureatum in Facultatibus theologicis consequendum requiritur.

Aliud habetur discrimen si distinctio fiat inter Facultates maioris ordinis, quae lauream conferre possunt, et Facultates minoris ordinis, quibus ius et potestas est licentiam tantum conferre (cf. n. 7, p. 5). Nescio utrum reapse dari possint Facultates quae pacifice huiusmodi discrimen acciperent.

Sinatis nunc mihi quaedam adicere de opportunitate ut Concilium Oecumenicum agat circa reformationem rationis studiorum academicorum. Agitur non de generali tractatione, sed de vera, peculiari reformatione! Reformatio enim huiusmodi ad Concilium Oecumenicum non videtur pertinere, atque his de causis:

1) Commissio, quae hoc schema proposuit, aestimat Constitutionem Apostolicam *Deus scientiarum Dominus* esse reformandam, etsi triginta tantum exacti sint anni ab eius promulgatione. Etenim quaevis ratio studiorum — ut apud omnes constat — temporum cursus necessario sequitur, ac proinde temporum vicissitudini rerumque variationibus subiacet. Quod manifeste etiam patet ex cuiuslibet Nationis legibus res scholasticas respicientibus, sive de scholis agatur medii qui dicitur ordinis, sive de Studiorum Universitatibus. Quod quandoque in ipsa Ecclesia factum esse historia docet. Neque mirum!

Nihil ergo prohibet quominus, triginta post annos vel etiam antea, novae reformationes in studiis academicis ecclesiasticis proponantur, novis temporum necessitatibus aptandae. Estne ideo opportunum ratam sollemnissima Concilii Oecumenici auctoritate habere reformationem, quae nunc proponitur? Nonne offici videtur reverentiae decretis Concilii Oecumenici debitae, si post breve tempus — rerum nempe adiunctis instantibus — eadem decreta denuo mutari debeant eaque novis temporum condicionibus aptari?

2) Adicias quod Commissio studiorum in secreto omnino egit. In re ideo tanti ponderis tantique momenti, quod sciam, hoc super schemate non sunt rogatae sententiae Studiorum Universitates et Facultates, quarum causa agebatur. Haud dubium est quin hae studiorum Universitates et Facultates maximum auxilium de hac re dare potuissent egregiamque operam.

— 37 —

Quae cum ita sint, videtur — salvo meliori iudicio — totam rem tradendam esse competenti Sacrae Congregationi, quae Summo Pontifici eam deferat, sicut factum est ad Constitutionem *Deus scientiarum Dominus* quod attinet nisi si Summus Pontifex, pro sua sapientia, iudicaverit satisfaciendum esse petitioni eorum, qui expostulant condendum Dicasterium " De educatione catholica et studiorum Universitatibus ", quo in casu, tota res huic novo Dicasterio deferenda erit ».

Respondet Commissio de studiis et seminariis: « Discrimen inter quadriennium seminaristicum et academicum certe exaggerari non debet; tamen differentia quaedam vigere debet inter scholas quae sic dictam formationem ministerialem-pastoralem primarie intendunt (quamvis necessario formatio scientifica sufficiens in ea comprehendatur) et scholas quae formationem scientificam praeprimis prae oculis habent (non neglectis utique rationibus sacerdotalibus pastoralibus). De cetero remittitur ad ea quae habentur in notis 9 et 10 ipsi schematis Decreti adnexis ».

Ad Artt. n. 2-8

Post n. 1 continens *introductionem* schematis, nn. 2-8 novam habent redactionem iuxta observationes a Patribus Commissionis Centralis prolatas.

Ne dedignentur Em.mi Patres nostrae subcommissionis significare an novus textus schematis sub nn. 2-5 sit acceptandus vel aliquid sit in ipso emendandum.

Ad Art. n. 9 (in nova redact. 6)

Em.mus Card. Cicognani dixit: « Inquiri potest an expediat introducere *praeceptum* biennii vel triennii sicdictae " specialisationis ", inter quaestiones pertractandas in Concilio Oecumenico; puto non expedire, nam:

A) Quod proponitur adhuc indiget experimento.

B) Circa " rationem studiorum " sedulo attendenda est diversitas locorum, scholarum, nationum et populorum; periculo obnoxium et erroribus expositum videtur hanc " rationem studiorum " unica forma redigere; praeterea quaenam " autonomia " agnoscenda est secundum ea quae innuit Praepositus Generalis S. I.

C) Natura seminariorum, delineata in Concilio Tridentino, deformari videtur, uti Card. Liénart bene dixit, et Card. Ruffini confirmavit.

— 38 —

D) Constitutio *Deus scientiarum Dominus* adhuc bonos fructus affert, quippe quae plurimum contulit postremis 30 annis; ipsa, limitibus servatis, enucleanda et aptanda est. Ad summum illa " specialisatio " indicative, et ut libere eligenda, proponi potest peculiari documento S. Congregationi seminariorum.

Quae dicuntur de hac " specialisatione " non eodem modo se habent erga differentes disciplinas, cum aliae per breve tempus et aliae toto perdurante cursu colantur; ex. gr. Theologia dogmatica cum Patristica comparari non potest, cum ista per breve spatium et illa per integrum studiorum curriculum excolatur. Ita sentit maxima pars Episcoporum.

Insuper nimium expectatur a iuvenibus, cum opera scientifica a viris peritis prodeant, et nimis multum exquiritur ab Episcopis et Superioribus Religiosis qui meliores huic causae adiudicare deberent; ergo si huiusmodi " specialisatio " aliquomodo promoveatur, nimis in ea istandum non est ».

Cum Commissio, quae schema paravit, nihil respondeat huic observationi et textum, n. 9, prouti erat relinquat, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae subcommissionis suam significare mentem in casu.

AD ART. N. 10 (in nova redact. 7)

Exc.mus Jelmini putat: « Res difficilis facile suadetur — p. 6, linn. 32-33 — *sed potius in corpus organice compaginatae* cum nondum talis organica synthesis praesto sit, neque principia eius in schemate innuentur ».

Commissio autem de seminariis et studiis observationem non acceptavit.

AD ART. N. 16 (in nova redact. 15)

1. Em.mus Card. Ruffini: « ibi celebratur dignitas baccalaureatus, sed quaero: quid *re* valeat, ad quid inserviret nisi ad ingrediendam aliquam facultatem theologicam? Cur ius hunc gradum conferendi non extenditur ad scholam theologicam omnium seminariorum, rite probatorum? ».

2. Em.mus Card. Confalonieri: « Magis studendum videtur ut, per Institutum affiliationis et fortasse etiam adgregationis, seminaria maiora debito honore prosequantur; quia, etsi directe haec ordinata sint ad Ecclesiae Pastores efformandos, tamen in sacra scientia alumni, etsi institutionali methodo, revera opportune efformantur.

— 39 —

Cavendum est insuper ut, per aliqua minora Instituta, ultimis temporibus laudabiliter utique inducta, titulis eorum membra aliqua ratione decorentur, quibus e contra Sacerdotes et Sacri Pastores, profundius et longius in seminariis disciplinis philosophicis et theologicis instructi priventur cum dedecore ipsorum sacri muneris ».

Textus tamen huius numeri habetur prouti erat, cum nulla emendatio acceptata sit a Commissione de studiis et seminariis.

His omnibus perpensis, ad conclusionis instar ne dedignentur significare Em.mi Sodales nostrae subcommissionis quid adhuc desideretur corrigendum, supprimendum vel adiungendum huic schemati, ut rite emendatum habeatur.

B) *PROCESSUS VERBALIS*

Il giorno 19 giugno 1962 alle ore 17,30 si è riunita nell'abitazione del Card. Micara al Palazzo della Cancelleria, la Sottocommissione degli Emendamenti con la partecipazione di tutti gli Em.mi componenti, vale a dire Micara, Copello, Frings, Léger, Browne, Confalonieri, Presidente, e con il Segretario Mons. Vincenzo Fagiolo. Il Card. Siri, impossibilitato ad intervenire, ha mandato il voto scritto.[1]

La presidenza viene assunta dal Card. Confalonieri, Presidente della Sottocommissione.

All'ordine del giorno sono quattro schemi della Commissione dei Seminari e Studi, secondo l'ordine della posizione fatta stampare dalla Segreteria, dal titolo «*De emendatione schematum constitutionum de sacrorum alumnis formandis et de studiis ecclesiasticis atque scholis catholicis. Pars I*».[2]

Prende per primo la parola *il Card. Presidente* che, dopo l'orazione di rito e il saluto a tutti, spiega quali schemi devono essere emendati: il primo è *De vocationibus ecclesiasticis fovendis*, che fa parte dello schema della Costituzione *De sacrorum alumnis formandis*. Lo schema ha avuto osservazioni generali e particolari. Tra le prime è stata respinta quella dei Cardd. Ferretto, Döpfner, Jullien, Larraona e Bea, che avevano chiesto di fare un unico schema «de vocatione» comprendente le disposizioni dell'analogo schema preparato dalla Commissione dei Religiosi.

Il Card. Copello dice che non è opportuno fare uno schema solo, data la peculiare natura della vocazione religiosa per cui condivide il pensiero delle due Commissioni che a ciò si oppongono.

Il Card. Frings è dello stesso parere, anche perché i Religiosi devono provvedere a ciò che riguarda la vocazione non sacerdotale e anche alla vocazione delle donne.

Gli altri acconsentono.

Su le altre osservazioni generali non è stato notato nulla di particolare.

Il Card. Presidente passa quindi all'esame delle osservazioni particolari, ricordando quella del Card. König sull'art. n. 1, che è stata accettata dalla Commissione, quella dei Cardd. Ruffini e Godfrey nell'art. 2 sui criteri e sulla natura della vocazione, quella dei Cardd. Léger, Marella, Döpfner e Jullien nell'art. n. 3, accettata dalla Commissione, la quale ha respinto però quella fatta nello

---

[1] Cf. pp. 128-129.

[2] Cf. pp. 107-124.

stesso numero dal Card. Silva Santiago, quella del Card. Ruffini sull'art. n. 4 e dei Cardd. König e Silva Santiago sullo stesso numero.

Tutti si dicono contenti delle spiegazioni date dalla Commissione degli Studi e Seminari e delle correzioni apportate già nel testo,[3] per cui non aggiungono altro.

Si passa così al secondo schema, che è *De studiorum ratione in seminariis.*

Il Card. Presidente riferisce le osservazioni generali fatte allo schema dal Card. Vyszyński e dal Card. Godfrey e le risposte ad esse date dalla Commissione dei Seminari e Studi, che vengono ritenute valide da tutti i Membri della Sottocommissione.

Il Card. Presidente riferisce quindi la osservazione di Mons. Tinello al n. 4 circa i seminari interdiocesani e regionali, dei quali, dice la Commissione d'origine, già è stato sufficientemente detto nel cap. I «de Seminarium ordinatione generali».

All'art. 5 non viene accettata la proposta del Card. Ruffini.

All'art. 7 *il Card. Frings* propone di dire *regulariter* al posto di *communiter* del rigo 32: viene accettato.

Niente viene notato circa gli artt. 8 e 9.

Circa l'art. 10 molte furono le osservazioni fatte dai Padri della Commissione Centrale, ricorda *il Card. Presidente*, allo scopo di rendere la norma in essa sancita meno esclusivista nei riguardi dei dottori scolastici, diversi da S. Tommaso.

Il Card. Browne osserva subito che il favore mostrato da molti Pontefici verso San Tommaso è giustificato: la metafisica tomistica è l'unica da seguire e la Chiesa l'ha riconosciuto in modo solenne e chiaro con Leone XIII; perché ora si dovrebbe tornare indietro? Gli altri dottori scolastici, che vengono dichiarati pure ammessi e da poter seguire nelle scuole, hanno una metafisica *diversa* dalla tomista, per cui non è bene introdurre un eclettismo nelle scuole ecclesiastiche. Io perciò sono per il testo primitivo dello schema e non accetto l'emendamento proposto «non omissis tamen aliis magistris ab Ecclesia probatis».

Tutti gli altri però si dichiarano favorevoli all'emendamento.

Il Card. Presidente riprende l'esposizione ricordando le osservazioni fatte ai nn. 12, 13, 14, 16 e le risposte ad esse date dalla Commissione dei Seminari e Studi.

Non vengono fatti rilievi e vengono accettate le correzioni già introdotte nello schema.

Il Card. Presidente dichiara quindi chiusa la discussione su questo schema.

Si passa così al terzo schema *De universitatibus catholicis.*

Il Card. Presidente inizia dalle osservazioni generali fatte dal Card. Ruffini sulla definizione di Università Cattolica, dal Card. Wyszyński sull'erezione delle facoltà di filosofia e teologia per i laici, del Card. Larraona sulle Università

---

[3] Cf. pp. 100-102.

Cattoliche dipendenti dallo Stato e di Mons. Jelmini sul finanziamento delle Università Cattoliche. Per ognuna di queste osservazioni il Card. Presidente comunica la risposta data dalla Commissione dei Seminari e Studi.

Il Card. Frings osserva a proposito della questione delle facoltà teologiche nelle Università Statali che bisogna insinuare il principio che la presenza o l'istituzione della facoltà teologica in queste Università è un bene.

Viene accettato.

Circa l'art. n. 1, *il Card. Presidente* riferisce la osservazione di Silva Santiago sulle ricerche tecnico-scientifiche nelle Università Cattoliche. Ciò vien condiviso dallo stesso Presidente e dal Card. Copello, mentre il Card. Browne, pur ammettendone l'importanza, sottolinea che è questione di mezzi.

Circa l'art. 3, *il Card. Presidente* dice dell'osservazione del Card. Bea della necessità di una facoltà teologica nelle Università Cattoliche. La Commissione dei Seminari e Studi non condivide questo parere, perché già esistono molte facoltà teologiche che dovrebbero essere elevate di tono, prima di pensare a farne altre.

Il Card. Confalonieri osserva che spesso non si riescono a trovare i professori per queste Università, e *il Card. Frings* dice che spesso è anche questione di mezzi.

Si conclude per il testo emendato dalla Commissione dei Seminari.

Sullo stesso numero *il Card. Presidente* ricorda le osservazioni e le proposte di Silva Santiago.

Ai nn. 4, 5, 6 le osservazioni furono molte e il Card. Presidente le enuncia, ricordando che per il n. 6 la Commissione d'origine ha modificato l'ultimo periodo, dicendo: «... theologicis quoque praelectionibus in ipsa Universitate civili habitis, ubi opportune fieri possit».

Il Card. Frings non accetta la correzione e ritiene il testo primitivo migliore: la facoltà teologica o la cattedra di teologia in una Università civile è una cosa buona e va sostenuta; i pericoli denunciati dal Card. Ottaviani non si conciliano con il dinamismo cattolico, per quanto si possa temere da un professore non cattolico nella facoltà teologica, questa opera sempre un gran bene in seno alle facoltà e Università civili.

Viene accettato il suggerimento.

Non vengono fatte altre osservazioni e il Card. Presidente dichiara chiusa la discussione su questo schema.

Si passa così allo schema *De studiorum ecclesiasticorum universitatibus*.

Il Card. Presidente enuncia le numerose osservazioni generali che questo schema ha avuto dai Padri della Commissione Centrale e delle soluzioni prospettate dalla Commissione di origine, come sono elencate alle pagg. 29-37.[4]

Il testo dei nn. 2-8 è stato sostituito con un nuovo testo comprendente i nn. 2-5.

---

[4] Cf. pp. 119-123.

Il nuovo testo viene accettato senza riserve.

I rimanenti nn. 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15 e 16 vengono accettati con le varianti in essi già introdotte.

Il Card. Confalonieri sottolinea la necessità di valorizzare gli studi dei Seminari in modo che il sacerdote abbia un titolo a compimento dei suoi studi. In proposito il Card. Browne dice che a ciò si potrebbe provvedere con l'istituto della affiliazione.

Il Card. Siri — assente — nel voto scritto ha aderito al suggerimento del Card. Cicognani di non istituire il biennio o triennio di specializzazione o meglio di non parlare di ciò in Concilio, dato che si tratta di ordinazione degli studi che esige esperimento.

Queste osservazioni vanno fatte presenti alla Commissione dei Seminari nuovamente perché veda come provvedervi.

Niente altro viene osservato e il Card. Presidente dichiara tolta la seduta in esaurimento del programma.

Fatta la preghiera di rito, la seduta è tolta.

ADNEXUM

EM.MUS IOSEPH CARD. SIRI

Archiepiscopus Ianuensis

Votum de emendatione schematum

DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS
ET DE STUDIIS ECCLESIASTICIS ALIISQUE SCHOLIS

(Citatio paginarum fit hic relate ad schema apparatum a Subcommissione emendamentorum)[1]

Acceptantur omnes conclusiones propositae a Commissione speciali, exceptis his quae sequuntur.

Pag. 7, n. 2. Explicite petitur votum Subcommissionis circa propositionem factam ab Em.mo Ferretto ut ex duobus schematibus de vocatione unum tantum fiat.

Votum: maneant duo schemata, quia utrumque schema est pars diversae Constitutionis et duae Constitutiones uniri nequeunt.

Pag. 15 ad n. 7. Em.mus Siri quaedam postulavit demenda et rationes adiecit. Commissio specialis non acceptavit observationem, sed nec rationes dedit. Infrascriptus cum sit in causa propria rem remittit Em.mis Patribus.

---

[1] Cf. pp. 108 ss.

Pag. 17, initio paginae et ad art. 10. Explicite petitur votum Subcommissionis, utrum retineatur sufficienter emendatus textus circa rationem S. Thomae in scholis.

Votum: textus est sufficienter emendatus a Commissione speciali.

Pag. 17 ad art. 14. Item petitur explicite votum de S. Thoma.

Votum: adprobatur propositio facta a Commissione speciali. Cum Em.mus Bea observasset aliam esse mentalitatem theologicam in orientalibus ac in occidente circa traditionem scholasticam et S. Thomam, petit Commissio specialis ut res decidatur ab hac Commissione.

Votum: manere in textu proposito a Commissione speciali. Ratio est haec: orientalis archiepiscopus Columbensis (Ceylon) et Vietnam archiepiscopus Thûc, afrus archiepiscopus Tananarive (Madagascar) et D. Lefebvre hucusque archiepiscopus Dakarensis in Africa Occidentali, qui omnes rem bene norunt, testantur traditionem scholasticam et S. Thomam optime aptari intellectui et culturae illarum gentium. Quod optime experiri potest in scholis romanis ex omnibus gentibus fit concursus levitarum.

Pag. 18 ad art. 16. Explicite petitur a Subcommissione utrum acceptandae sint suggestiones relatae ab Em.mis Ferretto, Cento et Richaud.

Votum: Negative. Ratio: agitur de particularibus et haec particularia numquam deberent esse materia Concilii.

Pag. 24-27 ad art. 6. Commissio specialis respondet suggestionibus et observationibus diversorum Patrum.

Votum: bene respondit Commissio specialis, sed non perfecte, quia magis attendendum esset ad notam Em.mi Ottaviani, eo sensu quo plena securitas ortodoxiae requiritur semper in casu alicuius professoris sacrarum disciplinarum in laicis universitatibus.

Pag. 27 post art. 7. Expresse petitur utrum schema hoc retinendum sit sufficienter emendatum.

Votum: affirmative, exceptis his de quibus supra actum est.

Pag. 30-37. Ad art. 1 Commissio specialis non videtur sat respondisse argumentis prolatis ab Exc.mo O'Connor et a R.mo Tinello. Revera paucitas vocationum postulat ut res, saltem hoc momento, ne complicatiores et difficiliores fiant. Nondum matura.

Pag. 37 ad art. 9 (in nova redactione 6). Expresse petitur a Subcommissione votum circa observationes factas ab Em.mo Cicognani.

Votum: Accipienda est suggestio Em.mi Cicognani.

Pag. 38-39 ad art. 16 (in nova redactione 15). Petitur votum circa suggestiones Em.mi Ruffini et Em.mi Confalonieri.

Votum: ambo accipiendae sunt ob rationem iam dictam: res non sunt faciendae, saltem hoc momento, ita difficiles. Leges debent esse rationabiles.

SESSIO XI

(16 Iulii 1962)

A) *DOCUMENTA*

1

EXC.MUS PETRUS PARENTE
Adsessor Supremae S. Congregationis S. Officii

SUPREMA S. CONGREGAZIONE
DEL SANTO OFFIZIO

Prot. N. 99/18

Dal Palazzo del S. Offizio, 30 gennaio 1962

Eccellenza Reverendissima,

Da tempo pervengono a questa Suprema Sacra Congregazione le domande dei cattolici e degli acattolici perchè sia mitigata la disciplina ecclesiastica sulla cremazione dei cadaveri. Recentemente, la Federazione Internazionale per la Cremazione ha rivolto una supplica in questo senso al Santo Padre.

Nell'Adunanza Plenaria di Feria IV, il 24 gennaio corr., gli Em.mi e Rev.mi Padri di questa Suprema hanno deciso di deferire al prossimo Concilio Ecumenico tale questione. Gli stessi Em.mi Padri sono del parere che sarebbe opportuno affidarla alla Commissione Teologica preparatoria.

Nel caso che l'incarico sia effettivamente dato alla suddetta Commissione, questo Dicastero passerà direttamente ad essa i documenti riguardanti la materia.

Sarò, pertanto, grato all'Eccellenza Vostra Reverendissima, se vorrà comunicare a questa Suprema il parere di codesta Segreteria della Commissione Centrale.

Mi valgo, intanto, dell'occasione per confermarmi con sensi di sincera e distinta stima

dell'Eccellenza Vostra Reverendissima
devotissimo
✠ PIETRO PARENTE, *ass.*

A Sua Eccellenza Rev.ma
Monsignor Pericle FELICI
Arcivescovo tit. di Samosata
Segretario Generale della Commissione Centrale
Preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II

2

EXC.MUS PERICLES FELICI

Secretarius generalis commissionis centralis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO CENTRALIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 969 CE/62

E Civitate Vaticana, die 20 febbraio 1962

Eccellenza Reverendissima,

Mi reco a premura significare all'Eccellenza Vostra Reverendissima che, nell'Udienza del 15 febbraio corrente, ho riferito al Santo Padre la mente espressa dagli Eminentissimi e Reverendissimi Padri di codesta Suprema in merito al problema della cremazione dei cadaveri, di cui nella lettera di Vostra Eccellenza del 30 gennaio 1962.

Sua Santità, udita la relazione, si è compiaciuta manifestare la Sua Mente nel senso che non si ritiene opportuno deferire la soluzione del problema al prossimo Concilio Ecumenico: è invece assai desiderabile che esso venga studiato con molta attenzione, perché il Dicastero competente dia, secondo l'opportunità, le necessarie istruzioni.

Nel comunicare all'Eccellenza Vostra l'Augusta Volontà del Santo Padre, rinnovo a Vostra Eccellenza i sensi del mio ossequio e mi professo

dell'Eccellenza Vostra Rev.ma
dev.mo

PERICLE FELICI, *segr. gen.*

A Sua Eccellenza Reverendissima
Monsignor Pietro PARENTE
Arcivescovo tit. di Tolemaide di Tebaide
Assessore della Suprema S. Congregazione del S. Offizio

3

REV.MUS D. VINCENTIUS FAGIOLO

Secretarius subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 80/SE

E Civitate Vaticana, die 21 febbraio 1962

Eccellenza Reverendissima,

Mi reco a premura significarLe che lo schema del Decreto *De distributione Cleri*,[1] preparato dalla Pont. Commissione della disciplina del Clero e del Popolo cristiano, e discusso nella sessione generale di codesta Pont. Commissione Centrale dello scorso mese di novembre,[2] non è stato emendato da questa Sottocommissione perché non di sua competenza.

Numerosi e autorevoli Membri di codesta Commissione suggerivano di far trattare l'argomento dello schema da più Commissioni ad esso interessate.

Sono perciò a pregarLa di voler gentilmente accettare la relativa posizione e rimetterLa per competenza alla Sottocommissione Mista.

Con la gradita occasione Le rinnovo i sensi della mia particolare stima e mi confermo

dell'Eccellenza Vostra Reverendissima
dev.mo

VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eccellenza Reverendissima
Mons. Pericle FELICI
Segretario Generale della Pont. Commissione Centrale

---

[1] *Schema decreti de distributione cleri*, Typis Polyglottis Vaticanis 1961, pp. 8: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars I, pp. 563-565; vol. III, pars I, pp. 355-357.

[2] Patres de schemate disceptaverunt in II sessione commissionis centralis, die 10 mensis novembris 1961: cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars I, pp. 568-595.

4

EXC.MUS PERICLES FELICI

Secretarius generalis commissionis centralis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO CENTRALIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 1650 Centr./62

E Civitate Vaticana, die 1 marzo 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi reco a premura trasmettere all'Eminenza Vostra Reverendissima una copia fotostatica della lettera da me inviata all'Ecc.mo Assessore della Suprema S. Congregazione del S. Offizio, in cui si esprime l'Augusta Volontà del Santo Padre sul problema riguardante la cremazione dei cadaveri.[1]

Vostra Eminenza si compiacerà tener presente l'Augusta decisione nell'emendamento dello schema *De praeceptis ecclesiasticis*, presentato dalla Commissione della disciplina del Clero e del Popolo cristiano, e già esaminato dalla Commissione Centrale.

Chino al bacio della S. Porpora, rinnovo all'Eminenza Vostra i sensi del mio profondo ossequio e mi confermo

di Vostra Eminenza Rev.ma
dev.mo

PERICLE FELICI, *segr. gen.*

(con allegato)

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Carlo CONFALONIERI
Segretario della S. Congregazione Concistoriale
Presidente della Sottocommissione degli emendamenti

[1] Cf. p. 131.

5

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 112/SE

E Civitate Vaticana, die 12 marzo 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dai Membri della Pontificia Commissione Centrale nella seduta del 22 febbraio u.s.[1] in vista degli emendamenti da apportare agli schemi *De parochorum obligationibus quoad curam animarum*[2] e *De praeceptis ecclesiasticis*.[3]

Secondo le disposizioni già comunicate a codesta Commissione in data 5 dicembre 1961, n. prot. 10/SE,[4] questa Sottocommissione desidera sapere quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine, non oltre il giorno 10 del mese di Aprile p.v.

Già ringraziando, bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di distinto ossequio mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo obbl.mo umil.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Pietro CIRIACI
Presidente della Pont. Commissione
della Disciplina del Clero e Popolo cristiano
Preparatoria del Concilio Ecum. Vaticano II

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 603-617; 625-652; 880 ss.

[2] *Quaestiones de disciplina cleri et populi christiani. Schema decreti de parochorum obligationibus quoad curam animarum,* Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 11: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 597-602; vol. III, pars I, pp. 381-385.

[3] *Schema decreti de praeceptis ecclesiasticis*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 11: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 617-622; vol. III pars I, pp. 386-391.

[4] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III – 1, p. 30.

6

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 112/SE

E Civitate Vaticana, die 12 marzo 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dai Membri della Pontificia Commissione Centrale nella seduta del 27 febbraio u.s.[1] in vista degli emendamenti da apportare allo schema *De Ecclesiae praeceptis*.[2]

Secondo le disposizioni già comunicate a codesta Commissione in data 1 febbraio u.s., n. prot. 54/SE,[3] questa Sottocommissione desidera sapere quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine, non oltre il giorno 10 del mese di Aprile p.v.

Già ringraziando, bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di distinto ossequio mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo obbl.mo umil.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Amleto Giovanni CICOGNANI
Presidente della Commissione delle Chiese Orientali
Preparatoria del Concilio Ecum. Vaticano II

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 872-877; 886 ss.

[2] *Quaestiones de Ecclesiis Orientalibus. Schema decreti de Ecclesiae praeceptis,* Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 16: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 862-871; vol. III, pars II, pp. 207-213.

[3] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III-1, pp. 168-169.

7

EM.MUS ALFREDUS CARD. OTTAVIANI
Secretarius Supremae S. Congregationis S. Officii

SUPREMA S. CONGREGAZIONE
DEL SANTO OFFIZIO

Prot. N. 99/18

Dal Palazzo del S. Offizio, 13 marzo 1962

Eccellenza Reverendissima,

Questa Suprema Sacra Congregazione ha ricevuto il pregiato Foglio N. 969 CE/62, del 20 Febbraio scorso,[1] con il quale l'Eccellenza Vostra Reverendissima si compiaceva d'informare che è volontà del Santo Padre che la questione della cremazione dei cadaveri venga studiata con molta attenzione da questo Sacro Dicastero.

Nel prendere atto di tale comunicazione, mi valgo della circostanza per confermarmi con sensi di sincera e distinta stima

dell'Eccellenza Vostra Reverendissima
devotissimo
ALFREDO Card. OTTAVIANI, *segr.*

A Sua Eccellenza Rev.ma
Mons. Pericle FELICI
Arcivescovo tit. di Samosata
Segretario Generale della Commissione Centrale
Preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II

---

[1] Cf. p. 131.

8

REV.MUS P. ATHANASIUS WELYKYJ

Secretarius commissionis de Ecclesiis Orientalibus praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE ECCLESSIIS
ORIENTALIBUS PRAEPARATORIA CONCILII
VATICANI II

Prot. N. 661 CC/62

E Civitate Vaticana, die 9 aprile 1962

Reverendissimo Monsignore,

Con inserto che allego, mi reco a doverosa premura di rimetterLe quanto si è creduto di dover notare circa le proposte avanzate dai Membri della Pontificia Commissione Centrale in vista degli emendamenti da apportare agli schemi *De Ecclesiae praeceptis*.

Rimanendo a disposizione della Signoria Vostra Rev.ma, mi è gradito profittare dell'incontro per confermarmi, con sensi di profonda stima e distinto ossequio

della Signoria Vostra Reverendissima
dev.mo
P. ATANASIO WELYKYJ, *segr.*

Reverendissimo Monsignore
Mons. Vincenzo FAGIOLO
Segretario della Sottocommissione
degli emendamenti

9

EM.MUS PETRUS CARD. CIRIACI

Praeses commissionis de disciplina cleri et populi christiani praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO
DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 515/62

E Civitate Vaticana, die 28 aprile 1962

Eminenza Reverendissima,

Riferendomi alla venerata lettera dell'Eminenza Vostra Reverendissima N. 112/SE, del 12 del mese scorso,[1] ho l'onore di rimetterLe qui uniti i pareri di questa Pontificia Commissione della Disciplina del Clero e del popolo cristiano circa gli emendamenti agli schemi *De Parochorum obligationibus quoad curam animarum* (Allegato I) e *De praeceptis ecclesiasticis* (All. II).

Nel baciarLe umilissimamente le Mani mi confermo con sensi di profonda venerazione

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
um.mo e dev.mo servo
PIETRO Card. CIRIACI, *pres.*

(con due Allegati)

A Sua Eminenza Reverendissima
il Signor Card. Carlo CONFALONIERI
Presidente della Sottocommissione
degli emendamenti per il Concilio

[1] Cf. p. 134.

10

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 207/SE

E Civitate Vaticana, die 12 maggio 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 28, 29, 30 e 31 marzo scorso,[1] in vista degli emendamenti da apportare agli schemi dei decreti *De Missionibus*.[2]

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre, l'Eminenza Vostra è pregata di far esaminare le proposte avanzate, dal Segretario della Commissione, cui Ella presiede, dal Redattore o Redattori dello schema, cui gli emendamenti si riferiscono, e da un esperto di Sua fiducia, con il compito di riferire quali emendamenti, tra i proposti, siano da accogliere ed indicare i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

---

[1] Patrum observationes typis editae sunt in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 173-210; 220-251; 257-275; 291-316; 403-414; 425-441; 445-460; 591 ss.

[2] *Quaestiones de missionibus. Prooemium. Schema decreti de regimine missionum*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 32: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 144-162; vol. III, pars II, pp. 241-259.

Schema decreti de disciplina cleri, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 12; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 210-217; vol. III, pars II, pp. 260-266.

Schema decreti de religiosis, Typis Polyglottis Vaticanis 1962: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 251-256; vol. III, pars II, pp. 267-272.

Schema decreti de sacramentis et de sacra liturgia, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 16: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 275-285; vol. III, pars II, pp. 273-281.

Schema decreti de disciplina populi christiani, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 15; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 395-401; vol. III, pars II, pp. 282-288.

Schema decreti de studiis clericorum, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 15: in *Acta et Documenta... Series II,* vol. II, pars III, pp. 414-422; vol. III, pars II, pp. 289-296.

Schema decreti de cooperatione missionali, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 7; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 441-443; vol. III, pars II, pp. 297-299.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine, entro il corrente mese di maggio.

Già ringraziando, bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Card. Gregorio Pietro AGAGIANIAN
Presidente della Pont. Commissione delle Missioni
Preparatoria del Concilio Vaticano II

11

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 222/SE

E Civitate Vaticana, die 5 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle seduta dei giorni 10 e 11 maggio scorso,[1] in vista degli emendamenti da apportare agli schemi dei decreti: *De impedimentis ad matrimonium*,[2]

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 1191-1221; 1233-1263; 1268-1280; 1325 ss.

[2] *Quaestiones de disciplina sacramentorum. Schema decreti de impedimentis ad matrimonium*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 12: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 1181-1185; vol. III, pars I, pp. 519-523.

De matrimoniis mixtis,[3] *De consensu matrimoniali*,[4] *De forma celebrationis matrimonii*,[5] e *De processu matrimoniali*.[6]

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre, già comunicate all'Eminenza Vostra Reverendissima in data 2 febbraio u.s.,[7] questa Sottocommissione desidera sapere quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione, con cortese sollecitudine, non oltre il 30 giugno corrente.

Già ringraziando bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo
servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Card. Benedetto ALOISI MASELLA
Presidente della Pont. Commissione Dei Sacramenti

---

[3] *Schema decreti de matrimoniis mixtis*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 7: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 1186-1188; vol. III, pars I, pp. 524-527.

[4] *Schema decreti de consensu matrimoniali*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 8: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 1221-1224; vol. III, pars I, pp. 528-530.

[5] *Schema decreti de forma celebrationis matrimonii*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 15; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 1224-1231; vol. III, pars I, pp. 531-538.

[6] *Schema decreti de processu matrimoniali*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 7: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 1263-1266; vol. III, pars I, pp. 539-541.

[7] Lege: 29 gennaio 1962: cf. pp. 523-524.

12

EM.MUS GREGORIUS PETRUS CARD. AGAGIANIAN

Praeses commissionis de missionibus praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE MISSIONIBUS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 386/62

E Civitate Vaticana, die 5 giugno 1962

Em.mo e Rev.mo Signor Mio Oss.mo,

In riferimento al Foglio del 12 maggio u.s., N. 207/SE,[1] mi reco a premura di trasmettere all'Eminenza Vostra Rev.ma le risposte che questa Commissione delle Missioni, secondo le Auguste disposizioni del Santo Padre, ha creduto di dare alle osservazioni fatte dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 28, 29, 30 e 31 marzo scorso, circa gli schemi dei decreti *De Missionibus*.

Alcune correzioni sono state notate nei fascicoli stampati dalla medesima Commissione e qui allegati. Il rilievo più importante è il seguente e cioè che i decreti *De Missionibus*, comuni per la materia con quelli di altre Commissioni, siano unificati in modo da salvaguardare le esigenze delle Missioni.

Pertanto profitto ben volentieri della circostanza per baciarLe umilissimamente le mani e confermarmi con sensi di profonda venerazione

di Vostra Eminenza Rev.ma
umilissimo devotissimo servitor vero
GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN, *pres.*

A Sua Eminenza Reveredissima
il Sig. Card. Carlo CONFALONIERI
Presidente della Pontificia
Sottocommissione degli emendamenti

[1] Cf. pp. 139-140.

13

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 270/SE

E Civitate Vaticana, die 15 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 11 e 12 maggio scorso,[1] in vista degli emendamenti da apportare agli schemi *De facultatibus Episcoporum,*[2] *De catechismo et catechetica institutione,*[3] *De Kalendario perpetuo et celebratione Paschatis*[4] et *De Officio divino Ecclesiarum Orientalium.*[5]

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre comunicate a codesta Commissione in data 1 febbraio scorso,[6] questa Sottocommisione desidera sapere quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine.

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II,* vol. II, pars III, pp. 1283-1291; 1294-1304; 1313-1322; 1327 ss.

[2] *Quaestiones de Ecclesiis Orientalibus. Schema decreti de facultatibus episcoporum,* Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 7; in *Acta et Documenta... Series II,* vol. II, pars III, pp. 1280-1282; vol. III, pars II, pp. 214-215.

[3] *Schema decreti de catechismo et catechetica institutione,* Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 7: in *Acta et Documenta... Series II,* vol. II, pars III, pp. 1291-1293; vol. III, pars II, pp. 216-217.

[4] *Schema decreti de Kalendario perpetuo et celebratione Paschatis,* Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 8: in *Acta et Documenta... Series II,* vol. II, pars III, pp. 1304-1309; vol. III, pars II, pp. 218-221.

[5] *Schema decreti de officio divino Ecclesiarum Orientalium,* Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 8: in *Acta et Documenta... Series II,* pars III, pp. 1307-1309; vol. III, pars II, pp. 222-224.

[6] Cf. *Acta et Documenta... Series II,* vol. IV, pars III-1, pp. 168-169.

Già ringraziando bacio umilissimamente le sacre Mani e con i sensi della più profonda stima mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Amleto Giovanni CICOGNANI
Presidente della Pont. Comm. delle Chiese Orientali
Preparatoria del Concilio Vaticano II

14

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 271/SE

E Civitate Vaticana, die 20 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute del 5 e 7 maggio 1962[1] in vista degli emendamenti da apportare agli schemi *De praevia librorum censura eorumque prohibitione*,[2] *De censuris earumque reservatione*[3] e *De modo procedendi in poenis in via administrativa infligendis*.[4]

Secondo le auguste disposizioni del Santo padre già comunicate a codesta

[1] Patrum observationes typis editae sunt in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 845-863; 874-893; 1324 ss.

[2] Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 6; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 842-844; vol. III, pars I, pp. 407-409.

[3] Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 12: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 864-869; vol. III, pars I, pp. 410-415.

[4] Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 7: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pag. 870-872; vol. III, pars I, pp. 416-418.

Commissione in data 5 dicembre 1961,[5] questa Sottocommissione desidera sapere quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine. Già ringraziando bacio umilissimamente le sacre Mani e con sensi di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Pietro CIRIACI
Presidente della Commissione della disciplina del Clero

---

[5] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III-1, p. 30.

15

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 275/SE

E Civitate Vaticana, die 25 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate degli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nella seduta del 18 giugno c.,[1] in vista degli emendamenti da apportare allo schema *De Ecclesiae unitate – Ut omnes unum sint.*[2]

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 453-467; 845 ss.

[2] *Quaestiones de Ecclesiis Orientalibus. Schema decreti de Ecclesiae unitate «ut omnes unum sint»*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 27: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 436-449; vol. III, pars II, pp. 225-238.

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre già comunicate a codesta Commissione in data 1 febbraio c.a.,[3] questa Sottocommissione desidera sapere quali emendamenti, dei proposti, siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine.

Già ringraziando bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Amleto Giovanni CICOGNANI
Presidente della Pont. Comm. delle Chiese Orientali

---

[3] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III – 1, pp. 168-169.

16

REV. D. CAESAR SPALLANZANI

Consultor commissionis de missionibus praeparatoriae Concilii Vaticanii II

Genzano di Roma, 29 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

A proposito di un punto dello schema del Decreto su «*L'Unità della Chiesa*» presentato dalla Commissione per le Chiese Orientali, desidererei sottoporre all'esame della Sottocommissione degli Emendamenti una osservazione, che, quale Consultore di detta Commissione, mi è sfuggita durante la Sessione Plenaria e anche dopo e che mi parrebbe, se non erro, di una certa importanza.

A pag. 5 del citato schema, linee 24-28, col titolo: *De Ecclesia terrestri et caelesti*, n. 2 si descrive l'unione dei fedeli in Cristo e nella Chiesa definendo la Chiesa: «*Corpus Christi* (*Eph.* 1,22-23; 5,23.29-30; *Col.* 1,18.24; cf. *1 Cor.* 12,27-28), *Societas electorum qui Christo uniuntur et ab eo salutem consequuntur*». Definizione ambivalente, che riguarda i due aspetti della Chiesa, di cui nei nn. 3 e 4 dello schema.

Sembrerebbe più chiaro trattare solo della Chiesa in quanto militante; porre tutti gli elementi costitutivi di essa, a modo di definizione, come vengono elencati e sviluppati con argomenti scritturistici nei numeri seguenti.

Un più ampio e chiaro sviluppo della ecclesiologia cattolica, desiderato da molti Vescovi nelle loro risposte ai questionari, sarebbe pure giovevole nei confronti delle ecclesiologie dei fratelli separati.

Prego Vostra Eminenza e gli Eminentissimi Membri della Sottocommissione di compatire il mio ardimento e interpretarlo come suggerito dal vivo desiderio del trionfo della grande causa dell'Unità della Chiesa.

Inchinato al bacio della S. Porpora mi onoro professarmi con profonda stima e venerazione

di Vostra Em.za Reverendissima
devotissimo

Sac. CESARE SPALLANZANI

A Sua Em.za Reverendissima
Il Sig. Card. Carlo CONFALONIERI
Presidente della Sottocommissione degli emendamenti

17

REV.MUS P. ATHANASIUS WELYKYJ

Secretarius commissionis de Ecclesiis Orientalibus praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 689 CC/62

E Civitate Vaticana, die 4 luglio 1962

Reverendissimo Monsignore,

Ho il piacere di rimetterLe qui unite le osservazioni circa le proposte avanzate in sede di Plenaria della Pontificia Commissione Centrale per gli emendamenti da apportare agli schemi *De Facultatibus Episcoporum*; *De Catechismo*; *De Breviario orientali*; *De Kalendario perpetuo* e *De Ecclesiae unitate*.[1]

---

[1] Cf. Annotatio ex officio, pp. 500-501.

Profitto volentieri dell'incontro per confermarmi con sensi di profonda stima e devoto ossequio

della Signoria Vostra Reverendissima
dev.mo
P. ATANASIO WELYKYJ, *segr.*

Reverendissimo Monsignore
Mons. Vincenzo FAGIOLO
Segretario della Sottocommissione degli emendamenti

18

EM.MUS PETRUS CARD. CIRIACI

Praeses commissionis de disciplina cleri et populi christiani praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 534/62

E Civitate Vaticana, die 5 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Riferendomi alla venerata lettera dell'Eminenza Vostra Reverendissima n. 271/SE del 20 mese scorso, ho l'onore di rimetterLe qui uniti i pareri di questa Pontificia Commissione della Disciplina del Clero e del popolo cristiano circa gli emendamenti ai seguenti schemi di decreto: 1) *De censura librorum eorumque prohibitione*; 2) *De censuris earumque reservatione*; 3) *De modo procedendi in poenis in via administrativa infligendis*.[1]

Nel baciare umilissimamente le Mani mi confermo con sensi di profonda venerazione

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
um.mo e dev.mo servo

PIETRO Card. CIRIACI, *pres.*
CRISTOFORO BERUTTI, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
il Signor Card. Carlo CONFALONIERI
Presidente della Sottocommissione degli emendamenti

[1] Cf. note nn. 2-4, pp. 144-145.

19

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 284/SE

E Civitate Vaticana, die 6 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Ho l'onore di rimettere all'Eminenza Vostra Reverendissima le osservazioni fatte dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Padri della Pontificia Commissione Centrale nella seduta del 16 giugno s.[1] allo schema del decreto *De praeparatione ad matrimonium*.[2]

Sono a pregarLa di voler disporre che le risposte alle predette osservazioni siano rimesse a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine entro la prossima settimana.

Già ringraziando bacio le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo
servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Benedetto ALOISI MASELLA
Presidente della Pont. Comm. della disciplina dei Sacramenti
Preparatoria del Concilio Vaticano II

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 389-403; 843 ss.

[2] *Quaestiones de disciplina sacramentorum. Schema decreti de praeparatione ad matrimonium*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 11; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 383-388; vol. III, pars I, pp. 542-547.

20

EM.MUS BENEDICTUS CARD. ALOISI MASELLA

Praeses commissionis de sacramentis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE SACRAMENTIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 912

E Civitate Vaticana, die 7 luglio 1962

Em.mo e Rev.mo Signor mio Oss.mo,

Con riferimento al venerato Foglio dell'Eminenza Vostra Reverendissima, in data 5 giugno c.a., prot. n. 222/SE,[1] mi è gradito rimettere, qui uniti, i pareri espressi dal Reverendissimo P. Raimondo Bidagor, S.J., Segretario della Pont. Commissione della disciplina dei Sacramenti, dall'Ill.mo e Rev.mo Mons. Emanuele Bonet y Muixi, Relatore, e dall'Ill.mo e Rev.mo Mons. Giovanni Pinna, Esperto, circa gli emendamenti proposti a riguardo degli Schemi: *De impedimentis ad matrimonium*, *De matrimoniis mixtis*, *De consensu matrimoniali*, *De forma celebrationis matrimonii* e *De processu matrimoniali*.[2]

BaciandoLe umilmente le mani con sensi di profondissima venerazione mi pregio raffermarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
Um.mo, Dev.mo Servitore vero
BENEDETTO Card. ALOISI MASSELLA, *pres.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Carlo CONFALONIERI
Presidente della Sottocommissione per gli emendamenti
Preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II

---

[1] Cf. pp. 140-141.
[2] Cf. pp. 140-141, note nn. 2-6.

21

EM.MUS BENEDICTUS CARD. ALOISI MASELLA

Praeses commissionis de sacramentis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE SACRAMENTIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 917

E Civitate Vaticana, die 14 luglio 1962

Em.mo e Rev.mo Signor mio Oss.mo,

Con riferimento al venerato Foglio dell'Eminenza Vostra Reverendissima, in data 6 luglio c.a., prot. n. 284/SE,[1] mi è gradito rimettere, qui uniti, i pareri espressi dal Reverendissimo P. Raimondo Bidagor, S.J., Segretario della Pontificia Commissione della disciplina dei Sacramenti, preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II, dall'Ill.mo e Rev.mo Mons. Emanuele Bonet y Muixi, Relatore e dall'Ill.mo e Rev.mo Mons. Giovanni Pinna, Esperto, circa gli emendamenti proposti a riguardo dello Schema *De praeparatione ad matrimonium*.[2]

BaciandoLe umilmente le sacre Mani e con sensi di profondissima venerazione mi pregio raffermarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
Um.mo, Dev.mo Servitore vero

BENEDETTO Card. ALOISI MASELLA, *pres.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Carlo CONFALONIERI
Presidente della Sottocommissione per gli emendamenti
Preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II

---

[1] Cf. p. 149.
[2] Cf. p. 149, nota n. 2.

22

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 290-293/SE

E Civitate Vaticana, die 10 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi onoro rimettere all'Eminenza Vostra Reverendissima la relazione preparata per gli emendamenti da apportare allo schema del Decreto *De Missionibus.*[1]

Alla relazione sono allegati gli schemi che dovranno essere emendati.[2]

Sono quindi a pregarLa di voler partecipare alla riunione che avrà luogo lunedì 16 luglio c. alle ore 10.

Profitto volentieri di questa nuova occasione, per baciarLe umilissimamente le sacre Mani e confermarmi con sensi di profonda venerazione

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, segr.

Agli Eminentissimi Signori Cardinali
Cardd. Clemente MICARA, Giacomo L. COPELLO,
Giuseppe SIRI, Michele BROWNE

[1] *De emendatione schematis decreti de Missionibus cum nota de schematibus paratis a Commissione de disciplina cleri et populi christiani*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 155-168.

[2] Cf. p. 139, nota 2.

23

Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 298-299/SE

E Civitate Vaticana, die 10 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi onoro comunicarLe che nei giorni 16, 17 e 18 luglio c. avranno luogo le riunioni della Sottocommissione degli Emendamenti per l'esame degli Schemi che sono ancora da emendare.

Con la gradita occasione bacio umilissimamente le sacre Mani e con sensi di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

Carlo Card. Confalonieri, pres.
Vincenzo Fagiolo, *segr.*

Agli Eminentissimi Signori Cardinali
Cardd. Paolo Emilio Léger e Giuseppe Frings

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI
DE MISSIONIBUS

cum nota de schematibus paratis
a Commissione de disciplina cleri
et populi christiani

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

— 3 —

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI

DE MISSIONIBUS

Pont. Commissio De Missionibus haec paravit schemata: *De regimine missionum, De disciplina cleri, De religiosis, De sacramentis ac de sacra liturgia, De disciplina populi christiani, De studiis clericorum, De cooperatione missionali.*

Haec schemata discussa sunt in sessione generali Pont. Commissionis Centralis diebus 28, 29, 30, 31 mensis martii 1962 habita.

Eadem sunt nunc emendanda iuxta observationes Patrum Commissionis Centralis, prae oculis tamen habitis responsionibus eis datis a Commissione de Missionibus.

Animadverti tamen liceat, primum et postremum schema (scilicet: *De regimine missionum* et *De cooperatione missionali*) pertinere ad Commissionem De Missionibus et quaestiones missionum directe respicere. Ceterae autem quaestiones, prouti perplures Patres Commissionis Centralis adnotavere, totius sunt Ecclesiae et non expedit ut Concilium de eis separatim tractet vel diversas edat normas, alias scilicet pro territorio communi et alias pro terris missionum. Nec obiicere valet quod missiones peculiares habent exigentias, quae expostulant peculiares normas, cum huic necessitati providere bene possit Codex Iuris Canonici vel ipsa S. Sedes per opportunas instructiones aut facultates.

Ideo, cum proprium sit Concilii principia statuere generalia, quae sint tamquam constitutivae normae, expedit ut schemata a Commissione De Missionibus parata ad illa duo reducantur, ceteris remissis ad schemata aliarum Commissionum, uti sunt Commissiones De Sacramentis, De Sacra Li-

— 4 —

turgia, De discipilna cleri et populi christiani, de Religiosis, de Studiis et Seminariis.

At, cum hoc sit tantum votum, a quibusdam Patribus Commissione Centrali prolatum, quibus assentire non videtur Commissio de Missionibus, ne dedignentur edicere Em.mi Sodales nostrae Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, an sufficiat ut Concilium excutiet tantum de illis duobus schematibus (*De regimine missionum* et *de cooperatione missionali*), ceteris iudicio S. Sedis remissis.

Attenta hac praeiudiciali quaestione, nunc tantum illa duo schemata proponuntur pro emendatione.

— 5 —

De emendatione schematis decreti

DE REGIMINE MISSIONUM

Ad Observationes generales

I - *Em.mus Card. Micara*: Notae historicae, explicationes etc. e textu ad notas transferantur.

R. Passim factum est.

Idem: Unitas disciplinae si fieri potest servanda est.

R. Hoc neque iure divino neque iure ecclesiastico requiritur: formatio novi ritus (Africani, Asiatici) non *a priori* excludenda est.

Idem: Decreta concilianda sunt cum decretis aliarum commissionum.

R. Hucusque hoc fieri non poterat, quia nondum omnia decreta parata et revisa erant: insuper saepe idem petitur a Missionibus sed ob alias, fortiores saepe, rationes.

(De Praelatura nullius cf. infra p. 20).

II - *Em.mus Card. Siri*: Facilitationes pro missionibus inducunt periculum relaxationis pro ceteris regionibus.

R. Si facultates *iuste et rationabiliter* pro missionibus petuntur concedi debent et pro aliis regionibus ubi iustae et rationabiles non sunt alio modo providendum est.

III - *Em.mus Card. Quiroga y Palacios*: *a*) Non in omnibus regionibus christianis inopia est vocationum ecclesiasticarum;

— 6 —

b) Communismus non subiungavit universas gentes.

R. ad *a*) Placet observatio: et legatur in Schemate Decreti: Pag. 5, linea 31: « *in multis regionibus christiani* »;

ad *b*) Universas non est « omnes » sed « integras ». Claritatis gratia vox « *universas* » in Schemate decreti Pag. 6, linea 24 mutatur in « *integras* ».

IV - *Em.mus Card. Gracias*: Ne multiplicentur declarationes solemnes.

R. Maior pars Commissionis cum hac observatione concordat; quia vero nonnulli maximo cum vigore exigerunt « declarationem solemnem », Commissio censuit praeponendum esse schematibus decretorum « Prooemium », quod solemnes declarationes continet.

V - *Em.mus Card. Cento*: « Materia mixta » cum aliis Commissionibus discutienda est.

R. Vide quae dicuntur ad I.

VI - *Em.mus Card. Cicognani*: Quaedam verba, indigenae, sectae, etc. sunt odiosa. Verba « propaganda Fide » sapiunt politicam.

R. Verba adhibita in lingua *latina* ecclesiastica habent significationem omnino claram, omnibus notam. « Nova » verba, minus claram et determinatam significationem habent et pariunt confusionem.

In linguis *modernis* vocabula non raro odiosa facta sunt: v. g. « indigeno » in lingua hispanica, « native » in lingua anglica etc. *Traductores* igitur documentorum ecclesiasticorum rationem habeant huiusmodi diversitatis.

Commissio non videt nomen S. C. de *promovenda* Fide esse minus « politicum » quam da propaganda Fide. Si novus terminus adhibendus esset praeferendus videtur: de annuntianda fide!

— 7 —

VII - *Em.mus Suenens*: Omnia quae proponuntur in Schematibus pertinent ad Commissionem pro reformatione C.I.C.

R. Certo omnia in concreto a dicta Commissione *elaborari* debent; omnino vero opportunum est ut Patres Concilii suam sententiam pandant: quae sententia in omnibus pro redactoribus futuri Codicis erit maximi momenti, praesertim si agitur de rebus maxime disputatis (iam in ipsa quoque Commissione Centrali).

Ab eodem Em.mo Cardinali petitur declaratio de urgentia et de prioritate officii missionarii.

R. De urgentia sermo fit in Prooemio, de *prioritate* sermo fieri nequit, quia non habet fundamentum dogmaticum. Ecclesia non est *imprimis* societas missionaria; quod falso asserunt Protestantes multi (cf. Declarationes solemnes datae in New Delhi).

VIII - *Em.mus Card. Jullien*: quae sunt necessaria pro missionibus ne extendantur ad Ecclesiam universam: pro missionibus sufficiunt decreta S. C. d. P. F.

R. Non est necessarium ut leges universales respiciant *omnes* fideles: in Codice invenitur tractatus de religiosis, sic in eodem Codice sermo fieri debet quoque de *missionibus,* quae sunt maximi momenti pro *tota* Ecclesia. Sunt conditiones speciales, quae sunt communes fere omnium missionum, quaeque sunt satis permanentes: pro his conditionibus ferendae sunt leges speciales diversae a legibus pro regionibus aliis. Tales leges a Commissione de M. proponuntur. Variae conditiones vero peculiares in diversis missionibus, quaeque saepe mutantur, non requirunt legem, sed iis occurri potest decretis aut specialibus facultatibus S. C. d. P. F., sicuti hucusque fiebat et in posterum fieri debebit.

— 8 —

IX - *Em.mus Card. Bea*: Non tangitur quaestio de relationibus cum Missionibus acatholicis.

R. Normae concretae difficulter dari possunt cum conditiones in variis nationibus sunt valde diversae et etiam modus agendi diversarum sectarum valde differt.

Opportunum tamen videtur inserere adhortationem ad Ordinarios missionum et ad missionarios ut omnes christianos in sua ditione commorantes fraterna caritate amplectantur: sunt enim « fratres » nostri.

X - *Exc.mus Maximus IV*: 1) Quae dicuntur in Prooemio p. 3 de activitate Romanorum Pontificum pro missionibus non sunt exacta.

R. Deleantur verba: « et sub eorum potestate ».

2) Non placet expressio: Episcopus proprius.

R. Legatur: « Pastor Supremus ».

3-4) Nimis extollitur in Schemate potestas Romani Pontificis.

R. Nimis i. e. praeter veritatem: nego.
Nimis i. e. inopportune: transeat.

XI - *Exc.mus Cheikho*: Regimen Missionum pertinet ad S. Sedem ergo non debet fieri sermo de ipso in Concilio.

R. Regimen totius Ecclesiae pertinet ad S. Sedem ergo nihil deberet tractari in Concilio!

Ipse Romanus Pontifex convocat Episcopos ut ei assistant in regimine tum Ecclesiae universalis tum Ecclesiae missionariae.

XII - *Exc.mus O'Connor*: Capita XIV et XV ponantur in Schemate de cooperatione missionali!

R. Quoad Cap. XIV fiat; Caput vero XV remaneat, quia imprimis respicit regimen Missionum.

— 9 —

XIII - *Exc.mus Alter*: Leges latae pro missionibus non debent afferre praeiudicium aliis regionibus.

R. Si missiones revera factae sunt Ecclesiae adultae iam non indigent exceptionibus; transire possunt sub S. C. Consist.; quamdiu vero « aliquid inchoatum prae se ferunt » leges speciales et exceptiones necessariae sunt: etiamsi transirent ad S. C. Consist. De facto S. C. Consist. multis regionibus concedit easdem facultates ac S. C. d. P. F. concedere solet missionibus.

XIV - *Exc.mus Bernard*: Petitur definitio missionis.

R. In Commissione de Missionibus multum disputatum est utrum danda esset definitio « missionis ».

Canonistae omnes negative respondebant; Missiologi affirmative, sed de ipsa definitione missiologi minime concordant: tot sunt definitiones quod sunt missiologi: recte in animadversione dicitur: « prae oculis habendae sunt difficultates in definitione Missionis ».

Unica definitio recta, sed ab extrinseco, est: « Missiones » sunt omnia *territoria, sub S. C. de P. F.* Haec vero definitio, nimis iuridica, missiologis non placet.

XV - *Exc.mus Ngô-dinh-Thûc:* Adiuvandi sunt christiani oppressi a communistis.

R. Etiam Commissio de Missionibus censuit adiuvandos esse populos oppressos a communistis: quare proposuit Schema XI (De regimine Missionum) quod tractat « De provisione Sede vacante in missionibus » ne unquam missio careat pastore charactere Episcopali insignito.

Opportunum huic schemati addi potest votum ut ordinariis locis in nationibus a communistis occupatis tribuantur amplissimae facultates « extra ordinem ».

— 10 —

XVI - *Rev.mus Janssens*: Normae generaliores deferantur ad Concilium ceteris remissis ad Sanctam Sedem.

R. Sicuti aliae quaestiones de religiosis, de studiis, de stampa etc. tractantur in Concilio, ita omnino decet ut quaestiones de missionibus tractentur in Concilio ipso et non tantum ab aliqua Commissione aut ab aliquo organo Sanctae Sedis: quaestiones enim de missionibus non sunt quaestiones secundariae, quae relinqui possunt officialibus sed sunt quaestiones magni momenti pro *tota* Ecclesia. Oportet ut Patres Concilii Vaticani II factis demonstrent missiones considerari opus maximi momenti in Ecclesia.

Pro clero et populo fideli in missionibus esset gravis delusio si de missionibus tantum darentur « quaedam normae generaliores » relinquens cetera ordinariae administrationi: esset signum parum benevolentiae erga missiones.

Observationes non tangunt decreta.

XVII - *Exc.mus Dell'Acqua*: Aboleatur discrimen inter territoria iuris communis et territoria missionum.

R. Quamvis multae Missiones iam felices progressus fecerunt tamen status *Ecclesiae* « adhuc aliquid inchoatum prae se fert » et igitur omnino decet ut pro his saltem regionibus specialis legislatio retineatur.

Prooemium

I - *Ab Em.mo Card. Ruffini* petitur definitio vocis « *missionis* ».

R. Definitio non est opportuna: quia

a) a missiologis variae definitiones dantur;

b) noluit Commissio de Missionibus excludere « missiones » sensu lato in America Latina et in Ecclesia orientali;

— 11 —

c) ceteroquin omnes fideles bene sciunt quid sint « missiones ».

II - *Em.mus Gracias*: Clarius et fusius explicandum propositum missionis non fuisse politicum.

R. Clare in Prooemio hoc dicitur: maior prolixitas Prooemii non videtur admittenda.

III - *Em.mus König:* In Prooemio adiungatur brevis expositio rationis theologicae mandati missionarii.

R. Omnes rationes theologicae in Prooemio inveniuntur.

N. I

I - *Em.mus Card. Spellman:* Facultas conficiendi acta, S. Sedi mittenda, lingua vulgari magis nota, utilis esset etiam pro regionibus iuris communis.

R. Non negat Commissio de Missionibus utilitatem innovationis pro toto orbe terrarum et Commissio contenta est si Commissio de dioeceseon regimine hoc schema suum facere vellet.

Tamen difficultates in missionibus sunt *maiores* quam alibi et ideo merito quaestio a Commissione de Missionibus proponitur.

Idem Em.mus Card.: Caute procedendum in erectione tribunalium 3^{ae} instantiae. Quod ad tribunalia tertiae instantiae Commissio de Missionibus sequentia adnotanda esse censet:

a) a iudice *non tantum* requiritur peritia in iure canonico, quae certo multo maior est in iudicibus Sacrae Rotae Romanae, quam in iudicibus in missionibus, sed requiritur quoque 1) cognitio linguae in qua testimonia dantur; quaevis enim translatio necessario defectus habet; 2) cognitio indolis populi et condicionum specialium, consuetudinum etc., ita ut possit « ponderare » testimonia. Omnibus his elementis bene consideratis C. d. M.

— 12 —

censet iudices in missionibus non esse inferiores iudicibus Romae vel alibi.

b) Procedura iudicialis salvare debet mediis humanis, in quantum fieri potest, unitatem et indissolubilitatem matrimonii: si procedura fit facilior errores fortasse fient frequentiores, quod est malum: nunc vero cum nostra procedura rigida fortasse pauci sunt errores sed permagnus est numerus hominum, qui coguntur vivere in matrimonio invalido, quia declaratio nullitatis obtinere non possunt: alii perplurimi vivunt in concubinatu, quia declaratio nullitatis prioris matrimonii, certo invalidi obtineri non potest. Quod est maius malum pro animabus. Ex duobus malis minus eligi debet.

Nulla est absurditas si procedura in missionibus, ubi condiciones sunt diversae esset simplicior quam regionibus iuris communis.

c) Tribunalia ecclesiastica tertiae instantiae *extra* Urbem non sunt aliquid omnino novum in Iure canonico: in Hispania, in Germania, in Brasilia et alibi iam habentur.

II - *Em.mus Card. Ruffini*: Linguae modernae sunt nimis numerosae; professores seminarii traductiones Latinas facere possunt.

R. *a*) Si praeter linguas gallicam, germanicam et anglicam etiam aliae fierent linguae admissae in mundo scientifico, iam non difficile esset invenire viros, qui illam linguam callent. Ceteroquin C. d. M. non desiderat ut in Curia Romana pro linguis praecipuis adsint *interpretes* sed ut Curia Romana ita « *internationalizetur* » ut inter ipsos officiales adsint qui linguas praecipuas callent: quod in S. C. d. P. F., S. C. p. E. O. et S. C. S. Off. iam aliquomodo verificatur.

Professores Seminarii in missionibus sunt pauci, laboribus obruti et non raro habitant in locis distantibus a Sede Episcopali.

b) Facilius erit *Romae* seligere officiales, qui *praecipuas* linguas modernas callent, quam *ubique*

— 13 —

terrarum invenire interpretes pro conficienda versione latina: practice solummodo sacerdotes hoc facere possunt, sed perderent tempus!

III - *Em.mus Card. Quiroga y Palacios*: Linguae italica et hispanica in Ecclesia non sunt minoris momenti quam linguae citatae.

R. Linguae italica et hispanica non citantur, quia iam admittuntur: claritatis gratia in decreto inseri possunt verba: « *praeter linguam italicam et hispanicam* » admittuntur quoque... etc.

IV - *Em.mus Card. Browne et Exc.mus Cooray*: *a*) Tribunalia in Missionibus non satis bene instructa sunt ut possint dare votum Romano Pontifici.

R. Certo in missionibus tribunalia non sunt « perfecte instructa », sed ante omnia requiritur tribunal efficax: maius est damnum si in multis causis ius non dicitur, quam si in paucis causis erratur.

b) Ob penuriam sacerdotum peritorum tribunal 3^{ae} Instantiae instituatur apud Legatum Sanctae Sedis.

R. Apud Legatum Sanctae Sedis sacerdotes periti non facilius inveniuntur quam apud Sedem episc. principalem regionis. Insuper Episcopus residentialis, qui cognoscit locales consuetudines, linguam etc. certo melius dirigere potest Tribunal regionale quam D. A. qui post paucos annos promovetur.

Melius est si legatus S. Sedis nullam partem habeat in causis contentiosis.

Episcopus est iudex natus in sua dioecesi.

N. II

I - *Em.mus Card. Albareda*: Pag. 14, lin. 5 determinari debet quaenam sint quaestiones maioris momenti deferendae ad S. Sedem.

— 14 —

R. Determinatio quaenam quaestiones sint maioris momenti certo auctoritative dari debet: sed non videtur pertinere ad Concilium sed potius ad legislationem ordinariam; ad Commissionem pro novo Codice; Decreta SS. CC. RR. etc.

N. III

I - *Em.mus Card. Léger*: Legati S. Sedis maioribus iuribus gaudeant et eligantur ex Praelatis diversarum nationum.

R. C. d. M. censet iura Legatorum S. Sedis non esse extendenda: vel nullus Episcopus hoc petiit.

II - *Exc.mus Cooray*: Multiplicandi sunt Legati Sanctae Sedis.

R. Paulatim iam plures nominantur.

III - *Exc.mus Bernard*: Munus et iura Legati S. Sedis clare definiantur ne oriantur controversiae.

R. Iam clare definiuntur in can. 267 et sqq. Difficultates plerumque oriuntur ex non observantia Codicis.

N. IV

I - *Em.mus Card. Valeri*: Competentia inter S. C. d. P. F. et S. C. de Rel. determinetur a Commissione pro reformatione Codicis; ceteroquin de facto non adsunt difficultates.

R. *a*) Etiamsi quaestio de iurisdictione S. C. de Rel. et S. C. de P. F. in religiosos ex voluntate R. P. submittenda est Commissioni pro ref. C.I.C. hoc non impedit quominus Patres Concilii de hac quaestione sententiam dent.

b) Decretum C. d. M. non intendit occurrere difficultatibus existentibus sed conformare ius cum praxi existenti et necessaria.

— 15 —

c) Omnes domus et provinciae eiusdem Instituti in proposito decreto semper subsunt uni S. C. sive de Religiosis, sive de P. F.

II - *Em.mus Card. Léger*: Societates sine votis pro missionibus erectae ne subsint normis iuris communis, sed exclusive propriis Constitutionibus.

R. Sunt « Instituta perfectionis » iuris publici et qua talia necessario subesse debent normis iuris communis pro his Institutis datis.

III - *Exc.mus Cooray*: Omnia Instituta perfectionis etiam in missionibus subsint normis iuris communis quoad vitam religiosam et regimen internum.

R. Est omnino mens Commissionis de M. Omnia Instituta perfectionis subsint eidem *legislationi* Codicis Iuris Canonici: vita religiosa qua talis est eadem in missionibus et extra. Potestas vero *administrativa* in Instituta exclusive missionaria exerceatur a S. C. d. P. F.

N. V

I - *Em.mus Card. Spellman*: In missionibus ne erigantur « Praelaturae nullius » sed potius « regiones missionariae ».

R. C. d. M. nomen « Praelaturae nullius » non vult defendere; tamen semper necessarium erit habere possibilitatem erigendi *territorium* ecclesiasticum omnino *separatum et autonomum*, quod tamen non sit *dioecesis*: v. g. quia Episcopi debent esse nativi; quia inter paucos sacerdotes non habetur candidatus aptus ad episcopatum etc.

Parum interest quomodo vocetur: Praelatura nullius, Vicariatus aut Praefectura aut Missio sui Iuris. Tantum vox « Praelatura nullius » est minus odiosa.

N. B.: Regio missionaria non est autonoma sed pars dioecesis.

— 16 —

II - *Em.mus Card. Ruffini*: Vicariatus Apostolici maneant sub S. C. de P. F. quae regit administrationem ecclesiasticam extraordinariam. Dioeceses transeant ad S. C. Consist.

R. Etiam dioeceses, « quae aliquid inchoatum prae se ferunt » remanere debent sub S. C. de P. F. Cf. Codex I. C. can. 252.

III - *Em.mus Card. Siri*: Non placet suppressio Vic. Apost. et erectio Prael. nullius.

R. Est potius quaestio de verbo: C. d. M. exoptat vero ut Vicariatus Apostolici in omnibus aequiparentur dioecesibus sive retento nomine, sive non.
Si *nomen* V. A. retineatur, mutari debet Codex.
Si *nomen* V. A. mutetur in « Praelaturam nullius », Codex immutatus remanere potest.

IV - *Em.mus Card. Léger*: Episcopi debent esse nativi; Praelati nullius exteri.

R. Praxis hodierna retinenda videtur; nominetur candidatus, qui, omnibus perpensis, etiam nationalitate magis aptus sit, sive ad sedem Episcopalem, sive ad sedem praelaticiam.

N. VII

I - *Em.mus Spellman:* In magnis dioecesibus visitatio per Episcopum personaliter peracta difficilis esse potest.

R. In casu necessitatis Episcopus semper petere potest licentiam S. C. de P. F. deputandi delegatum.

II - *Exc.mus Cooray*: Tres annos non sufficiunt ad tollendos abusus.

R. Tamen visitatio utilis est ad videndum utrum saltem initium correctionis adsit.

— 17 —

N. VIII

I - *Em.mus Card. Spellman:* Frequentior Synodus maius onus imponit Episcopo.

R. Sane, sed plures sunt utilitates, in Schemate enumeratae.

II - *Em.mus Card. Ruffini*: Dicatur in Schemate Statuta subicienda esse approbationi S. Sedis.

R. De iure vigenti Statuta Synodalia *non* indigent approbatione S. Sedis, nec adest ratio mutandi disciplinam.

N. IX

I - *Em.mus Card. Spellman:* Conferentiae Episcopales locum tenere possunt Conciliorum.

R. Nego: Conferentiae sunt *liberae*: generatim interveniunt tt. Episcopi, acta minus serio praeparantur et non indigent approbatione S. Sedis. Concilia sunt *canonica,* interveniunt sacerdotes ex utroque clero.

II - *Em.mus Card. Ruffini*: Acta Conciliorum approbanda sunt a S. Sede.

R. Clare hoc iam dicit can. 291 §§ 1 et 2 *C.I.C.*

III - *Em.mus Card. Léger*: Concilium prov. singulis decem annis nimis frequens est.

R. Vide argumenta in parte prima schematis.

N. X

Decretum hoc de Consultoribus dioecesanis non invenit gratiam in oculis Patrum Commissionis Centralis: quare Commissio de Missionibus proponit ut in Archivo deponatur pro futuro Concilio Vaticano III.

— 18 —

N. XI

I - *Em.mus Card. Aloisi Masella*: Non placet tribunal unipersonale, neque unica instantia pro causis matrimonalibus.

II - *Em.mus Card. Ruffini*: Nimia datur potestas Ordinariis locorum.

R. ad I et II: Non datur in decreto C. d. M. Ordinariis facultas tractandi causas matrimoniales « *sine ulla restrictione* » quia tum iudex, tum defensor vinculi tum partes retinent ius appellandi.

Si in aliqua missione iudex et defensor vinculi sunt parum capaces Ordinarius loci hoc scit et pro sua conscientia abstinebit a confirmanda sententia.

Denique non patitur res omnino nova in iure: in casibus exceptis iuxta can. 1990 quoque datur sententia ab *uno* iudice et *non* necessario requiritur appellatio.

Decretum C. d. M. petit ut procedura casus excepti cum nonnullis cautionibus extendatur ad alias causas faciles aut evidentes.

III - *Em.mus Card. Gracias*: Conc. Plen. Indiae iam simile quid petiit.

R. Est argumentum pro necessitate concessionis. Ceteroquin tribunalia unipersonalia et tribunalia communia iam pluribus in locis ex indulto S. C. d. P. F. existunt.

IV - *Em.mus Card. Léger*: Magis opportuna sunt tribunalia regionalia.

R. Tribunalia communia, quae in schemate proponuntur vix differunt a tribunalibus regionalibus: est vero solutio magis elastica et magis adaptabilis conditionibus specialibus missionum.

V - *Em.mus Card. Cicognani*: Tribunal unipersonale absonum est in causis matrimonialibus.

— 19 —

R. Vide canones 1990 sqq. *C.I.C.* ubi permittuntur pro multis causis.

VI - *Em.mus Card. Jullien*: Quo simplicior est procedura eo peritiores debent esse iudices, ne errores irrepant.

R. Cf. Responsum datum ad Observationem I in numero I, pag. 11, ubi resp. Em.mo Card. Spellman.

Insuper: Fraudes expectandae sunt praesertim in illis regionibus ubi divortium civile non existit (Hispania et Italia) et ubi « declaratio nullitatis » tribunalis ecclesiastici est unica via ad sese liberandum ab uxore minus grata et ad ineundum novum matrimonium: non vero in aliis nationibus (in omnibus fere missionibus) ubi mali petent divortium civile et solummodo boni incipiunt processum ad consulendum conscientiae.

VII - *Em.mus Card. Heard*: *a*) In missionibus iam tribunal 1ae Instantiae sit metropolitanum aut regionale.

R. Proponitur tribunal « *commune* » pro tota provincia aut regione.

b) Pro appellatione ad S. Rotam omnes iudices in causa, defensor vinculi et advocati deberent cognoscere linguam processus.

R. Concedo et omnino optandum est ut inter officiales S. R. R. adsint, qui praecipuas linguas modernas calleant.

VIII - *Em.mus Card. Browne*: Audiantur praesertim periti S. C. d. P. F.

R. Consentiunt cum schemate proposito. Praeterea: De facto S. C. de P. F. iam pluribus missionibus concessit erectionem tribunalium unipersonalium et tribunalium communium.

— 20 —

X - *Exc.mus Cooray*: Constitutio tribunalis unipersonalis valde imprudens videtur.

R. Non est magis imprudens quam canon 1990 et praxis S. C. de P. F. iam diu existens.

N. XII

I - *Em.mus Card. Aloisi Masella*: Quaestio de abrogatione poenae l. s. bene examinanda est.
R. Omnino.

II - *Em.mus Card. Spellman:* Quaestio pertinet ad Commissionem de reformatione Codicis.

R. Quamvis certo reformatio iuris poenalis relinquenda est Commissioni speciali peritorum, Concilium dare potest normas generales pro reformatione: quaestio maximi momenti certo est utrum et in quantum retinendae sint poenas l. s.

III - *Em.mus Card. Ruffini*: *a*) Prudens non est pro sacerdotibus abolere poenas l. s., praesertim quae tuentur Sacramentum poenitentiae.

R. 1) Pro sacerdotibus retineri possunt *irregularitates,* quae sunt sanctiones *graves,* ipso facto incurruntur et a sola S. Sede dispensari possunt.

Irregularitas vero non excludit ab Ecclesia et ideo viam reconciliationis non praecludit sicut excommunicatio.

2) Pro sollicitatione in confessione, quod est delictum non minus grave quam absolutio complicis nulla poena l. s. habetur.

3) Si vero Patres velint insistere ad decretum (pag. 25, linea 99) addi possunt verba « firmis tamen censuris l. a. specialissimo modo reservatis ».

b) Si Conferentiae Episcopales possent statuere poenas l. s. Sancta Sedes suam auctoritatem iam non posset interponere.

R. Ferre poenas ferendae sententiae non reservatur Ordinariis: etiam S. Sedes eas ferre potest;

— 21 —

neque decretum est innovatio: etiam in disciplina vigenti Ordinarii poenas statuere possunt.

N. XIII

I - *Em.mus Card. König:* Admittatur in missiones quoque clerus saecularis alienigena.

R. In Schemate pag. 27 4. dicitur: « Laudandi sunt... ».

II - *Exc.mus Hurley*: *a*) « Ad nutum » excludit « in perpetuum » ergo in Schemate habetur contradictio.

R. « Ad nutum S. Sedis » potest esse « ad tempus » potest quoque esse de facto « in perpetuum ». Commissio solummodo vult dicere nullam esse rationem neque canonicam neque theologicam cur Sancta Sedes *debeat* revocare commissionem missionis alicui instituto perfectionis facta.

b) Vocationes ad clerum saecularem fovendae sunt.

R. Hoc loco sermo est de « Commissione Missionum » et ideo exhortatio ad formandum clerum saecularem alibi melius inseri potest. Vg. in Schemate de studiis clericorum: p. 5 post lineam 25.

c) In Schemate bis dicitur: « quia neutra peculiaris genuini cleri forma divini iuris praerogativam tenet ».

R. Deleantur haec verba ubi prima vice inveniuntur pag. 28 lin. 23 et 24 et legatur ita: 23 « militiae: quia ius divinum neque alteri alteram proponat »... etc.

d) Pag. 28, linea 22 structura grammaticalis vitiosa est.

R. Corrigatur: linea 22 legatur: « clerus indigena potest esse... etc. ».

— 22 —

N. XIV

I - *Exc.mus Cooray*: Missionarii nominari debent a Superiore eccl.

R. Hucusque pro dioecesibus in missionibus clara norma non habetur. Instructio pro dioecesibus missionariis et pro omnibus missionalibus non-commissis fieri debet a S. C. d. P. F.

Proponitur a Commissione de Missionibus ut servetur circa nominationes ius commune: i. e. in dioecesibus missionariis et in missionibus non commissis Superior religiosus praesentat, Ordinarius loci nominat. Si haec regula non observetur, periculum adest quod religiosi iam non adeant missiones sed dioeceses iuris communis ubi est penuria sacerdotum (vg. in America Latina) ubi superiores religiosi subditos transferre possunt, quod est magni momenti pro conservanda disciplina religiosa.

— 23 —

De emendatione schematis decreti

DE COOPERATIONE MISSIONALI

Ad observationes generales

I - *Em.mi Card. Pizzardo*: Dubito num a Concilio tractari debeat in particulari.

R. Sine dubio Concilium de cooperatione missionali agere *debet*. Quae proponuntur sunt satis generalia.

II - *Em.mi Card. Döpfner*: Componantur declarationes vivae et verae actuales.

R. Declarationes habentur in Prooemio (Schema de regimine miss.).

III - *Exc.mi O'Connor*: Sermo fiat de cooperatione technica laicorum.

R. De cooperatione technica sermo fit in n. XIV Schematis decreti « De regimine missionum » pag. 27 lin. 35 ssq. (totus numerus XIV sub « Cooperatione missionali » poni potest).

IV - *Exc.mus Bernard*: Etiam fideles in missionibus adiuvare debent missiones.

R. Habita ratione observationis C. d. M. proponit ut in schemate decreti p. 6, lin. 8 corrigatur: « divino omnibus fidelibus imposita iure quoque ».

Ad N. I

I - *Em.mus Card. Tisserant*: Verba « Praesertim in regionibus sub S. C. d. P. F. » non placent.

R. Omitti possunt, quia clarum est « missiones » de quibus sermo fit inveniri « praesertim in regionibus sub S. C. d. P. F. ».

— 24 —

II - *Em.mus Card. Spellman*: Mentis in Codice obligationis adiuvandi missiones sit brevis.

R. Brevissima.

Ad N. II

Numerus II - De nova ordinatione pontificalium operum missionalium — deletus est suggerentibus quibusdam Patribus Commissionis Centralis et accedente consensu Commissionis de Missionibus; eius loco ponitur N. XIV - De cooperatione Episcoporum et cleri saecularis ex nationibus christianis cum missionibus — schematis decreti De regimine missionum.

* * *

His omnibus perpensis, ne dedignentur edicere Em.mi Patres nostrae Subcommissionis an hoc Schema sit sufficienter emendatum vel aliquid aliud desideretur pro eiusdem emendatione.

— 25 —

NOTA

De schematibus decretorum a Commissione de disciplina cleri et populi christiani paratis

Plura schemata, parata a Pont. Commissione de disciplina cleri et populi christiani, emendata sunt a nostra Subcommissione, et quidem sunt: *De clericorum vitae sanctitate; De paroeciarum provisione, unione, divisione; De obligationibus parochorum; De officiis et beneficiis ecclesiasticis deque bonorum ecclesiasticorum administratione; De patrimonio historico et artistico ecclesiastico.*

At plura adhuc emendanda essent schemata eiusdem Commissionis, nempe:

1) De parochorum obligationibus quoad curam animarum; 2) De praeceptis ecclesiasticis; 3) De catechetica populi christiani; 4) De cura animarum et communismo; 5) De praevia librorum censura eorumque prohibitione; 6) De censuris earumque reservatione; 7) De modo procedendi in poenis in via administrativa infligendis; 8) De fidelium associationibus; 9) De missarum stipendiis, De missarum onerum reductione, De piis ultimis voluntatibus; 10) De promovendis ad ordines sacros iis qui fuerunt pastores seu ministri acatholici; 11) De distributione cleri.

Attamen de his schematibus primum, tertium et quartum — 1), 3), 4) — transmissa sunt Subcommissioni de materiis mixtis, cui demandatum est officium concordandi omnia schemata, quae animarum curam respiciunt, et unum parandi schema *de cura animarum*.

Cetera schemata — 2, 5, 6, 7, 8, 9 — (exceptis duobus postremis — 10, 11 —) iudicata fuerunt a Patribus Commissionis Centralis non Concilii pro-

— 26 —

pria, sed potius Codicis Iuris Canonici, cuius proximae reformationi sunt demandanda.

Decimum insuper, quod est de promovendis ad ordines sacros iis qui fuerunt pastores seu ministri acatholici, nec materiam constituere Codicis iudicatum fuit ab eisdem Patribus, sed potius iudicio Sanctae Sedi remittendum, quae in singulis casibus dicet an et quomodo huiusmodi ministri admittendi sint ad ordines sacros.

Remanet ultimum schema — 11 —, quod *de distributione cleri* inscribitur quodque pars erit generalis schematis de clericis. At et istud schema non a nostra sed a Subcommissione de materiis mixtis est discutiendum, quia, uti perplures Patres Commissionis Centralis edixerunt, quaestiones quae in ipso habentur respiciunt plures Commissiones, scilicet de Episcopis et regimine dioeceseon, de disciplina cleri et populi christiani, de Religiosis et etiam de Seminariis et studiis.

His prae oculis habitis, expedit oportet ut Em.mi Patres nostrae Subcommissionis suam adaperiant mentem, significantes an adprobent dictum procedendi modum vel aliquid aliud desiderent faciendum, eo vel magis quod praelaudatum iudicium Patrum Commissionis Centralis non omnino et in omnibus clarum et definitum appareat.

24

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

ANNOTATIO EX OFFICIO

I

DE SCHEMATE DECRETI

DE CURA ANIMARUM

1. De cura animarum in genere;

2. De catechetica populi christiani institutione;

3. De parochorum obligationibus quoad curam animarum;

4. De animarum cura et communismo;

5. De cura animarum pro christianis communismo infectis;

6. De emigrantium, maritimorum, aëronavigantium, nomadum et peregrinorum cura;

7. De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera exercenda;

8. De catechismo et catechetica institutione.

Questi schemi, preparati dalla Commissione dei Vescovi (nn. 1, 5, 6), dalla Commissione della disciplina del clero e del popolo cristiano (nn. 2, 3, 4), dalla Commissione delle Chiese Orientali (n. 8) e dalle Commissioni riunite dei Vescovi e dei Religiosi (n. 7) e presentati alla Commissione Centrale separatamente, per ordine della stessa Commissione Centrale e della Segreteria Generale, devono essere concordati e ridotti ad uno dal titolo generale *De cura animarum* ad opera della Sottocommissione delle Materie Miste.

II

De schematibus decretorum

DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

1. Plura iam emendata sunt a nostra Subcommissione Schemata Decretorum, quae Orientales Ecclesias respiciunt: nempe:

a) De usu linguarum vernacularum in liturgiis;

b) De Ecclesiae Sacramentis;

c) De Patriarchis;

d) De ritibus;

e) De communicatione in sacris cum christianis orientalibus non catholicis.

Emendanda nunc remanent:

a) De Ecclesiae praeceptis;

b) De facultatibus Episcoporum;

c) De catechismo et catechetica institutione;

d) De Calendario perpetuo et celebratione Paschatis;

e) De Officio divino;

f) De unitate Ecclesiae.

2. Horum schematum postremum (*f*), iussu Em.mi Secretarii Status, *directe* proponitur Concilii Patribus et iam sub prelo est:[1] ipsa Commissio de Ecclesiis Orientalibus quasdam emendationes introduxit in textu iuxta observationes Patrum Commissionis Centralis.

3. Schemata sub nn. *a*, *b*, *c* erunt concordanda cum relativis schematibus, quae eandem materiam continent pro Ecclesia Latina ideoque providebit Subcommissio de Materiis Mixtis, si et quatenus opus fuerit de ipsis in Concilio tractandis.

4. Schemata sub nn. *d*, *e*, etsi iam confecta et emendata in quibusdam saltem partibus a Commissione de Ecclesiis Orientalibus, non videntur esse propria Concilii materia.

[1] Cf. *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series Prima*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 249-268.

Ceterum omnia ista schemata unum tantum efformabunt schema Decreti, quod de Orientalibus inscribitur, ideoque non multum faciendum videtur quid in ipsis sit corrigendum vel addendum normis iam propositis et, saltem ex parte, emendatis: providebunt Orientales ipsi in Concilio.

Ideo pro nunc sufficere videntur quae iam confecta, discussa et emendata sunt, ceteris remissis ipsi Concilio vel iudicio Sanctae Sedis aut Codici Iuris Canonici, iuxta observationes prolatas a Patribus Commissionis Centralis in singulis capitibus.

III

De schematibus decretorum

DE MATRIMONIO

Pont. Commissio de disciplina Sacramentorum paravit sex schemata Decretorum, quae disciplinae Sacramenti Matrimonii efficacius consulerent: nempe 1) De consensu matrimoniali; 2) De impedimentis ad matrimonium; 3) De forma celebrationis Matrimonii; 4) De matrimoniis mixtis; 5) De processu matrimoniali; 6) De praeparatione ad matrimonium.

Haec schemata discussa fuerunt in sessione generali Commissionis Centralis mensibus maio et iunio habita.

Inter observationes a Patribus prolatas habetur haec Em.mi Card. Landázuri: « Censeo hanc materiam matrimonialem, quatenus ad disciplinam canonicam respicit, deferendam esse non Concilio sed Commissioni iuristarum pro Codice reformando. Concilium det normas generales tantum, ut aliquando claudatur ostium ut non facili modo dissolvantur matrimonia cum gravi scandalo fidelium ». Huic suggestioni tredecim Patres Commissionis Centralis suum assensum dederunt, dicentes opportunum esse de praedictis argumentis potius in proxima Codicis Iuris Canonici reformatione agere quam in Concilio.

At Commissioni de disciplina Sacramentorum « materia videtur adeo momentosa ut Concilium aliquid dicere debeat ».

Quid in casu? Ne dedignentur Em.mi Patres Nostrae Subcommissionis, sua qua pollent prudentia et sapientia, edicere an consulendum sit Sanctissimo de non deferendis Concilio praedictis Schematibus.

Si responsio fuerit affirmativa et decisio Summi Pontificis cum ipsa concordaverit, tunc tota materia remittetur proximae Codicis Iuris Canonici reformationi; secus, una cum emendationibus propositis a Patribus Commissionis Centralis et a Commissione de disciplina Sacramentorum acceptatis, ipsi Concilio proponebitur.

B) *PROCESSUS VERBALIS*

Il giorno 16 luglio 1962, alle ore 10, si è riunita nell'appartamento del Card. Micara, al Palazzo della Cancelleria, la Sottocommissione degli Emendamenti con la partecipazione degli Em.mi Cardd. Micara, Copello, Browne e Confalonieri, Presidente.

Assenti i Cardd. Frings, Siri, Léger, ai quali è stato regolarmente mandato invito alle loro sedi residenziali.

Segretario è Mons. Vincenzo Fagiolo, segretario della Sottocommissione.

Si inizia la seduta con la preghiera di rito.

Quindi il Card. Presidente porge un saluto di benvenuto ai Membri e comunica loro che all'ordine del giorno è iscritto al primo posto lo schema sulle *Missioni*.

Sulle Missioni la Commissione Preparatoria competente ha preparato sette schemi e precisamente: *De regimine missionum*; *De disciplina cleri*; *De religiosis*; *De sacramentis ac de sacra liturgia*; *De disciplina populi christiani*; *De studiis clericorum*; *De cooperatione missionali*. Tutti questi schemi sono stati discussi nelle sedute generali del mese di marzo (28, 29, 30, 31) della Commissione Centrale.

Come appare subito evidente, dei sette schemi elencati, il primo e l'ultimo riguardano il problema missionario, mentre gli altri (*De disciplina cleri*; *De religiosis*; *De sacramentis ac de sacra liturgia*; *De disciplina populi christiani*; *De studiis clericorum*) sono materia generale, già trattata dalle Commissioni specifiche; e non si può in Concilio fare un decreto *De religiosis* per il territorio comune ed uno per i territori di missione; così si dica per le altre materie.

Il Card. Presidente propone, quindi, di ridurre lo schema *De Missionibus* in due capitoli fondamentali: *De regimine missionum* e *De cooperatione missionali* rimandando al Codice o alle istruzioni della S. Sede quelle disposizioni particolari che sono necessarie o utili alle missioni.

Il Card. Micara acconsente; così pure i Cardd. Copello e Browne.

Il Card. Presidente passa quindi all'esame delle osservazioni generali e delle risposte ad esse date, seguendo l'ordine della posizione stampata, dal titolo *De emendatione schematis decreti De Missionibus*, pp. 5-10.[1]

Il Card. Presidente inizia quindi dall'esame del *Prooemium*, esponendo le varie osservazioni fatte, le risposte date e le correzioni fattevi.

---

[1] Cf. pp. 155-168.

Non vengono avanzate difficoltà.

Il Card. Presidente passa quindi alla *Introductio*, notando come sia meglio togliere le prime 9 righe, che contengono una dichiarazione sulla potestà del Romano Pontefice, che figura in altri schemi più appropiatamente. Propone quindi di far iniziare con il rigo 16: «Regimen internum... concedatur», quindi aggiungere le righe 10-15 di p. 10 e concludere con: «Quod relationes cum dioecesibus extra territoria missionum Synodus laudat cooperationem, moderante et approbante pro casibus, quos ius determinabit, Sancta Sede». La proposta viene approvata.

Quindi *il Card. Presidente* passa all'esame dei singoli numeri del decreto enunciando le osservazioni fatte e le risposte date ad esse dalla Commissione delle Missioni.

Sull'osservazione quarta, fatta dall'Em.mo Card. Browne e dall'Ecc.mo Cooray, l'*Em.mo Browne* ribadisce il suo concetto di essere rigidi per ciò che riguarda le cause di «rato e non consumato» il «privilegium fidei», poiché in queste cause il Papa procede alla dispensa, usando della potestà vicaria divina, secondo le informazioni che riceve: la necessità quindi che sia informato con oggettività e sicurezza. Mentre una larghezza si può anche ammettere nel concedere altre facoltà, per questi processi bisogna essere cauti.

Tutti sono concordi su questo rilievo.

Sul n. 3 tutti sono concordi nell'accettare la proposta del *Card. Léger* di dare maggiori diritti ai Legati della S. Sede.

Al n. 8 non viene accolta la proposta del Card. Ruffini di sottoporre al giudizio della S. Sede gli statuti diocesani. Così pure non viene accettata l'altra dello stesso Cardinale di dire che gli atti dei Concili siano sottoposti all'approvazione della S. Sede, perché già stabilito dal Codice, can. 291 §§ 1 e 2.

Non viene accettata la proposta del *Card. Léger* di allungare lo spazio del Concilio provinciale, non fissandolo ogni dieci anni.

Sull'art. XI si osserva che la regolamentazione dei tribunali sia lasciata alla prossima riforma del Codice.

Sul n. XII viene osservato concordemente che in qualsiasi riforma del sistema penale bisogna conservare la rigorosità delle norme che tutelano il Sacramento della Confessione. Niente altro viene osservato su questo decreto.

Il Card. Presidente passa quindi allo schema *De cooperatione missionali*, facendo osservare come sia giusta l'osservazione del Card. Pizzardo di non trattare in Concilio di cose particolari. Tutti gli altri consentono.

Al n. 2 il Card. Browne fa osservare che dovendo parlare «de cooperatione Episcoporum et cleri saecularis ex nationibus christianis cum missionibus», è bene includere anche il clero regolare nella trattazione.

Viene accettata la proposta.

Quindi *il Card. Presidente*, a modo di conclusione, riprende la questione di come comporre lo schema *De Missionibus*; esclude che si debba trattare in esso delle singole materie (*de disciplina cleri*, *de religiosis*, *de sacramentis*, ecc.) e so-

stiene che lo schema dovrebbe fissare — dopo il preambolo dichiarativo — i punti fondamentali del regime missionario e la necessità della cooperazione missionaria da parte di tutto il clero e del laicato, lasciando la determinazione delle singole norme, come la concessione di facoltà speciali ecc., al Codice e alla S. Sede.

Viene approvato questo punto di vista da tutti i Cardinali.

Il Card. Presidente propone quindi di discutere sulla Nota[2] relativa agli schemi della *disciplina del clero e del popolo cristiano*, che restano da emendare.

La nostra Sottocommissione ha già emendato: *De clericorum vitae sanctitate*, *De paroeciarum provisione*, *unione*, divisione, *De obligationibus parochorum*, *De officiis et beneficiis ecclesiasticis deque bonorum ecclesiasticorum administratione*, *De patrimonio historico et artistico ecclesiastico*.[3] Resterebbero altri *undici* schemi, preparati dalla Commissione della disciplina del clero e del popolo cristiano, e discussi dalla Commissione Centrale.

Di questi, va notato, *tre* (*De parochorum obligationibus quoad curam animarum*; *De cathechetica populi christiani instructione*; *De cura animarum et communismo*) sono stati trasmessi alla Sottocommissione delle Materie Miste, alla quale è stato affidato il compito di preparare, concordando tutti gli schemi interessati, uno schema generale *De cura animarum*.[4]

Gli schemi: *De praeceptis ecclesiasticis*; *De praevia librorum censura eorumque prohibitione*; *De censuris earumque reservatione*; *De modo procedendi in poenis in via administrativa infligendis*; *De fidelium associationibus*,[5] *De missarum stipendiis*, *de missarum onere reductione*, *de piis ultimis voluntatibus*,[6] complessivamente *sei*, furono giudicati dai Padri della Commissione Centrale materia di Codice anziché di Concilio. Infatti, se in Concilio si parlasse di tali argomenti, facile sarebbe la osservazione sul perché siano stati omessi altri di pari

---

[2] *Nota de schematibus decretorum a commissione de disciplina cleri et populi christiani paratis*: in *De emendatione schematis decreti de missionibus*, pp. 25-26.

[3] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III-1, pp. 100-107.

[4] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars II: *Subcommissio de materiis mixtis*, pp. 94 ss. 109 ss., 121 ss., 229 ss., 352 ss.

[5] *Schema decreti de fidelium associationibus*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 8: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 284-287; vol. III, pars I, pp. 419-422.

De hoc schemate Patres in VII sessione commissionis centralis, diebus 14-15 iunii 1962, disputaverunt: cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 298-336; 839 ss.

[6] *Schema decreti de missarum stipendiis, de missarum onerum reductione, de piis ultimis voluntatibus*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 10: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 287-292; vol. III, pars I, pp. 423-427.

De hoc schemate Patres in VII sessione commissionis centralis, diebus 14-15 iunii 1962, disceptaverunt: cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 298-336; 840 ss.

importanza. Inoltre è conveniente che il Concilio si interessi di problemi di maggior importanza e di più rilevante attualità.

Il decimo schema: *De promovendis ad Ordines Sacros iis qui fuerunt pastores seu ministri acatholici*,[7] è stato giudicato ugualmente non materia di Concilio, ma di giudizio della Santa Sede, la quale deciderà nei singoli casi.

L'ultimo, undecimo, *De distributione cleri*, è stato rimesso alla Sottocommissione Mista, perché ad esso sono interessate più Commissioni: la Commissione dei Vescovi, quella della disciplina del Clero e quella dei Religiosi.

«Sono quindi del parere, conclude il Card. Presidente, che non sia il caso di passare ad emendare i detti schemi, a meno che le Vostre Eminenze non desiderino diversamente».

L'Em.mo *Card. Micara* dice: «mi pare logica e opportuna la proposta del Card. Presidente. Problemi di grande rilievo sono in discussione e questi devono essere presentati al Concilio, rimandando al Codice le cose più particolari e di pura disciplina».

Dello stesso parere si dice *il Card. Copello.*

Anche *il Card. Browne* conviene, sottolineando l'importanza, che hanno nel Concilio prima di ogni altro argomento, i problemi teologici.

Si conclude perciò secondo la proposta del Card. Presidente.

Quindi *il Card. Presidente* passa a parlare degli schemi preparati dalla Commissione per le *Chiese Orientali* e discussi dalla Commissione Centrale, dicendo: «Di questi schemi la nostra Sottocommissione ha già preso in esame ed emendato: 1) *De usu linguarum vernacularum in liturgiis*; 2) *De Ecclesiae sacramentis*; 3) *De Patriarchis*; 4) *De Ritibus*; 5) *De communione in sacris cum christianis non catholicis*.[8] Resterebbero da emendare: *a*) *De Ecclesiae praeceptis*; *b*) *De facultatibus Episcoporum*; *c*) *De cathechismo et catechetica institutione populi christiani*; *d*) *De calendario perpetuo et celebratione paschatis*; *e*) *De officio divino*; *f*) *De unitate Ecclesiae*.

Di questi però l'ultimo, *De Unitate Ecclesiae*, per ordine del Card. Segretario di Stato, viene proposto direttamente ai Padri del Concilio ed è già sotto stampa, dopo essere stato alquanto emendato dalla Commissione d'origine in base alle osservazioni dei Padri della Commissione Centrale.

I primi tre: *De Ecclesiae praeceptis*; *De facultatibus Episcoporum*; *De catechismo et catechetica institutione*, sono da concordare con i relativi schemi, in cui si tratta della relativa materia per la Chiesa latina e sono preparati dalla Com-

---

[7] *Schema decreti de promovendis ad Ordines sacros iis qui fuerunt Pastores seu ministri acatholici*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 8: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 292-294; vol. III, pars I, pp. 428-430.

De hoc schemate Patres in VII sessione commissionis centralis, diebus 14-15 iunii 1962, disceptaverunt: cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 298-336; 841 ss.

[8] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III-1, pp. 228-234; 254-259.

missione per la disciplina del clero e del popolo cristiano (*De praeceptis ecclesiasticis*; *De catechetica populi christiani*) e dalla Commissione dei Vescovi (*De facultatibus Episcoporum*) e di essi si occuperà perciò la Sottocommissione delle Materie Miste.

Per il primo però è da notare che, come per quello relativo preparato dalla Commissione della disciplina del clero e del popolo cristiano, non è stato giudicato materia del Concilio.

Gli ultimi due, infine, non sembrano essere materia propria del Concilio (*De calendario perpetuo et celebratione paschatis*; *De Officio divino*), ma piuttosto pertinente ad una regolamentazione da parte della S. Sede nel Codice.

Sarei perciò del parere di passare oltre, se tale proposta sarà approvata».

Il Card. Micara: «Io non avrei nulla da obiettare per passare oltre, se anche gli altri saranno consenzienti. Mi pare infatti che sia logico quanto proposto dal Card. Presidente e corrisponde anche al senso generale della votazione fatta in sede di Commissione Centrale».

Il Card. Copello: «Anche io sono d'accordo».

Il Card. Browne: «Anch'io sono per la proposta del Card. Presidente. Non bisogna poi dimenticare che — come è detto nel foglio d'ufficio — di tutta la materia preparata dalla Commissione per le Chiese Orientali si farà un unico schema di Decreto 'Pro Orientalibus', dove si avranno le norme *specifiche* per quelle Chiese. Ed in proposito farei un voto: nel redigere il nuovo ed unico schema 'Pro Orientalibus' si faccia bene attenzione a due cose: *a*) lo schema deve contenere soltanto norme relative alla *disciplina* delle Chiese Orientali, evitando di legiferare anche per la Chiesa Latina; ciò che sarà comune alle due Chiese, dovrà figurare negli schemi *comuni*; *b*) nel fissare le norme disciplinari si cerchi di non concedere facoltà, privilegi ecc. per gli Orientali, che non possono essere concessi ai Latini; si eviti ciò quanto è possibile e, fin dove è possibile, evitare di creare dualismi.

Viene accettata da tutti concordemente la proposta dell'Em.mo Card. Browne, insieme con la prima posta in discussione dal Card. Presidente.

Quindi *il Card. Presidente* passa all'ultimo argomento dell'ordine del giorno: schemi *De Matrimonio*, dicendo: «La Commissione della disciplina dei Sacramenti ha preparato sul Matrimonio sei schemi disciplinari, cioè 1) *De consensu matrimoniali*; 2) *De impedimentis ad matrimonium*; 3) *De forma celebrationis matrimonii*; 4) *De matrimoniis mixtis*; 5) *De processu matrimoniali*; 6) *De praeparatione ad matrimonium*.

Tali schemi sono stati discussi dalla Commissione Centrale nei mesi di maggio e giugno 1962.

Fra le osservazioni fatte dall'assemblea centrale c'è quella del Card. Landázuri che dice: 'Censeo hanc materiam matrimonialem, quatenus ad disciplinam canonicam pertinet, deferendam esse non Concilio sed Commissioni iuristarum pro Codice reformando. Concilium det normas generales tantum, ut aliquando claudatur ostium, ut non facili modo dissolvantur matrimonia, cum grave scandalo fidelium'.

A tale proposta hanno aderito ben tredici Padri della Commissione Centrale, mentre ha negato il suo assenso la Commissione della disciplina dei Sacramenti, rispondendo 'materia videtur adeo momentosa ut Concilium aliquid dicere debeat'.

Io sarei del parere del Card. Landázuri, di rimandare cioè al Codice le norme specifiche in materia, lasciando al Concilio di fare una dichiarazione con qualche indicazione generale, che sia di orientamento per la prossima riforma del Codice.

Del resto anche la Commissione di origine sembra non insistere nel suo progetto, dicendo: 'materia videtur adeo momentosa ut Concilium *aliquid* dicere debeat'.

Sono perciò del parere di consigliare il S. Padre in tal senso. Nel caso che il Santo Padre fosse dell'avviso di proporre per esteso la materia preparata negli schemi, questi saranno allora presentati ed emendati dalla Commissione della disciplina dei Sacramenti dietro le osservazioni della commissione Centrale».

Il Card. Micara: «Anche io sono del parere di limitarci ai punti fondamentali con i quali si ribadisca la necessità di tutelare meglio l'istituto matrimoniale, rimandando al Codice la riforma di quelle norme che non sembrano corrispondere efficacemente a detta esigenza».

I Cardd. Copello e Browne acconsentono; e si conclude: «Ad mentem nonnullorum Patrum Commissionis Centralis unum conficiatur schema, in quo statuantur tantum principia generalia, ceteris C.I.C. remissis».

Fatta la preghiera di rito viene tolta la seduta.

ADNEXUM

EM.MUS IOSEPH CARD. SIRI
Animadversiones quoad schema decreti
DE MISSIONIBUS

Ad generalem quaestionem propositam a Pontificia Commissione de Missionibus «an sufficiat ut Concilium (in hoc Decreto) excutiat tantum de duobus schematibus — *De regimine missionum* et *de cooperatione missionali* — ceteris iudicio S. Sedi remissis», respondetur: *affirmative*.

Ratio est: quamvis nullum dubium esse possit missiones speciali iure indigere ob condiciones sibi proprias et evidentes, tamen quoad fieri potest, res pertractentur sub unico titulo omnibus fidelibus id est toti Ecclesiae communi. Ita melius apparet missiones esse omnino et plene in communitate Ecclesiae et ea quae speciali modo pro missionibus decernuntur, decerni tantum ob peculiares rationes, quibus ceteri fideles melius intuentes necessitatem ecclesiarum in statu inchoationis, pressius ad missionalem cooperationem impellantur.

Omnia acceptantur quae Pont. Comm. de Missionibus, ex emendationibus a Commissione Centrali propositis, sive correxit, sive corrigere renuit, salvis tamen observationibus quae sequuntur.

Circa observationes generales. Non valde placet responsum datum infrascripto opinanti, quod legitur pag. 5 in « De emendatione schematis decreti de Missionibus ».[1] Etenim non est quaestio de iustitia et rationabilitate 'facilitationum pro missionibus', quae non negantur. Quaestio est alia, nempe: si quaedam facilitationes dicuntur in Conciliari decreto, possunt esse causa ut alii petant vel ex abusu inducant, pro quibus nulla est ratio iustitiae et convenientiae. Quaedam facilitationes prudentius dantur extra Concilium.

De Regimine Missionum.

De usu linguarum modernarum etc.

In responsione data Em.mo Cardinali Ruffini est aliquid quod non valde placet. Nempe ibi sermo fit de « internationalizatione Curiae Romanae ». Haec « internationalizatio » duplici sensu venire potest.

Nempe:

— potest accipi eo sensu, quo Curia Romana roboretur viribus assumptis ex toto mundo, tamen ex iudicio omnino libero Summi Pontificis, cuius *solius* supremae potestatis Curia Romana est instrumentum. Et hoc sensu sermo fieri potest de « internationalizatione »;

— potest accipi quasi Curia Romana sit « institutum » exurgens ex quadam universali conspiratione et confluentia et — quod est maximum — ex iure, quod sit « aliorum » et non solius Summi Pontificis. Et hoc sensu sermo non potest esse de « internationalizatione ». Etenim, uti supra dictum est, Curia Romana est instrumentum potestatis solius Summi Pontificis.

Vox, quae duplicem habet sensum, eo magis si sensus facilior sit sensus deterior (uti quandoque apparet), non potest adhiberi nisi prudenter et addita apta et omnibus clara explicatione. De hoc argumento alia possent dici, sub aspectu conflicti politici, quo persaepe dividuntur gentes variarum nationum, equilibrii etc.; tamen hic non est de his locus loquendi.

De ordinandis Tribunalibus: N. XI.

Pont. Commissio « de Missionibus » non acceptat votum (pag. 18 in « de emendatione schematis etc. »)[2] Em.mi Cardinalis Aloisi Masella contra institutionem tribunalis unipersonalis et contra unicam instantiam pro causis matrimonialibus.

Rationes adductae contra votum praedicti Eminentissimi Cardinalis non valde satisfaciunt. Etenim nullus negare potest institutum tribunalis collegialis et institutum secundae instantiae necessariae esse maximam defensionem sacri vinculi matrimonialis sub quocumque coelo.

---

[1] Cf. p. 157.

[2] Cf. p. 164.

Quia adsunt verae causae etiam alicuius iuris specialis pro Missionibus et non est spernenda ratio «iuris reddendi illi qui ius habet», nihil est dicendum si Suprema Auctoritas in locis, ubi necessitas urget, concedat et tribunal unipersonale et unicam instantiam in causis matrimonialibus (de his tantum sermo hic fit). Tamen hoc non debet fieri in Concilio — humili sententia infrascripti opinantis — ne sit periculum ut in Ecclesia infirmiora fiant aliqua instituta iuridica maximi momenti.

IOSEPHUS Card. SIRI

SESSIO XII

(17 Iulii 1962)

A) *DOCUMENTA*

1

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 219/SE

E Civitate Vaticana, die 28 maggio 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere qui unite all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 8 e 9 c.m.[1] in vista degli emendamenti da apportare allo schema dei primi sei capitoli del decreto *De Ecclesia*.[2]

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, 997-1037; 1048-1083; 1096-1115; 1359 ss.

[2] *Quaestiones Theologicae. Schema constitutionis de Ecclesia.* Pars Prima.

Caput I: *De Ecclesiae militantis natura, Typis Polyglottis Vaticanis* 1962, pp. 11.

Cap. II: *De membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem*, 1962, pp. 8.

Cap. III: *De Episcopatu ut supremo gradu sacramenti ordinis et de sacerdotio*, 1962, pp. 4.

Cap. IV: *De Episcopis residentialibus*, 1962, pp. 14.

Cap. V: *De statibus evangelicae adquirendae perfectionis*, 1962, pp. 7.

Cap. VI: *De laicis*, 1962, pp. 15. In *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 986-993; 1038-1047; 1084-1094; vol. III, pars I, pp. 135-162.

Secondo le auguste disposizioni già comunicate all'Eminenza Vostra Reverendissima in data 4 dicembre dello scorso anno,[3] questa Sottocommissione desidera sapere quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine.

Già ringraziando, bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Alfredo OTTAVIANI
Presidente della Pont. Commissione Teologica
Preparatoria del Concilio Vaticano II

---

[3] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III – 1, p. 29.

2

EXC.MUS PERICLES FELICI

Secretarius generalis commissionis centralis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO CENTRALIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 1746 COM/62

E Civitate Vaticana, die 23 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Ho l'onore di comunicare all'Eminenza Vostra Reverendissima che il Santo Padre Si è compiaciuto di nominare una particolare Commissione per un più approfondito studio delle questioni «De tolerantia religiosa» e «De libertate religiosa», proposte recentemente all'esame della Commissione Centrale, rispettivamente dalla Commissione Teologica e dal Segretariato per l'unione dei Cristiani.

La Commissione suddetta è composta dagli Em.mi e Rev.mi Sigg. Cardina-

li: Pietro Ciriaci, Alfredo Ottaviani, Agostino Bea. Ne sono segretari i Rev.mi Mons. Giovanni Willebrands e P. Sebastiano Tromp, S.J.[1]

Nel dare all'Eminenza Vostra comunicazione dell'Augusta disposizione, bacio la Sacra Porpora e con sensi di devoto ossequio mi confermo

di Vostra Eminenza Reverendissima
dev.mo obbl.mo
PERICLE FELICE, *segr. gen.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Sig. Card. Carlo CONFALONIERI
Presidente della Sottocommissione degli emendamenti

---

[1] Die 23 iunii 1962 eaedem litterae (Prot. nn. 1743-1745 Com/62) missae sunt ad em.mos cardd. Petrum Ciriaci, Alfredum Ottaviani, Augustinum Bea; (Prot. 1747-1748) ad rev.mos D. Ioannem Willebrands et ad P. Sebastianum Tromp, S.J.

3

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 278/SE

E Civitate Vaticana, die 26 giugno 1962

Eccellenza Reverendissima,

Mi è pervenuta la Sua gentile missiva del 23 c.m., n. 1746 Com/62, con la quale mi comunica la costituzione di una particolare Commissione Pontificia per lo studio delle questioni *De tolerantia religiosa* e *De libertate religiosa*.

La ringrazio vivamente della cortese attenzione e con la gradita occasione rinnovandoLe i sensi della mia stima mi confermo

dell'Eccellenza Vostra Reverendissima
dev.mo
CARLO Card. CONFALONIERI

A Sua Eccellenza Reverendissima
Mons. Pericle FELICI
Segretario Generale della Pont. Comm. Centrale
Preparatoria del Concilio Vaticano II

4

Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 279/SE

E Civitate Vaticana, die 2 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere qui unite all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 19 e 20 giugno s.,[1] in vista degli emendamenti da apportare agli schemi *De Oecumenismo*, *De Ecclesiae Magisterio, De auctoritate et oboedientia in Ecclesia*, *De necessitate Ecclesiae annuntiandi evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum et De Beata Maria Virgine Matre Dei et matre hominum*.[2]

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre già comunicate a codesta Commissione in data 4 dicembre 1961,[3] questa Sottocommissione desidera sapere quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 637 ss.

[2] *Quaestiones Theologicae. Schema constitutionis de Ecclesia.* Pars secunda.

Caput VII: *De Ecclesiae magisterio*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 18.

Cap. VIII: *De auctoritate et oboedientia in Ecclesia*, 1962, p. 8.

Cap. IX: *De relationibus inter Ecclesiam et Statum necnon de tolerantia religiosa*, 1962, p. 24.

Cap. X: *De necessitate Ecclesiae annuntiandi evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum*, 1962, p. 10.

Cap. XI: *De Oecumenismo*, 1962, p. 15.

Schema constitutionis de Beata Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum, p. 40. In *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 621 ss.; vol. III, pars I, pp. 162-231.

Quaestiones secretariatus ad christianorum unitatem fovendam. Schema constitutionis de libertate religiosa, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 19.

Decretum de oecumenismo catholico (*decretum pastorale*), 1962, p. 15. In *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 676-684; 785-792; vol. III, pp. 433-441; 446-453.

[3] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III-1, p. 29.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine.

Già ringraziando bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Alfredo OTTAVIANI
Presidente della Pont. Commissione Teologica
Preparatoria del Concilio Vaticano II

5

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 286-287/SE

E Civitate Vaticana, die 7 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Ho il piacere di rimettere all'Eminenza Vostra Reverendissima le osservazioni fatte dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Padri della Pontificia Commissione Centrale agli schemi *De relationibus inter Ecclesiam et Statum necnon de tolerantia religiosa e De libertate religiosa.*[1]

Con la gradita occasione bacio le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

Dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

Agli Eminentissimi Signori Cardinali
Cardd. Alfredo OTTAVIANI e Agostino BEA

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 657-746.

6

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 294-297/SE

E Civitate Vaticana, die 11 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi onoro rimettere all'Eminenza Vostra Reverendissima la relazione preparata per gli emendamenti da apportare allo schema della Costituzione *De Ecclesia*.[1]

Alla relazione sono allegati gli schemi che dovranno essere emendati.[2]

Sono quindi a pregarLa di voler partecipare alla riunione che avrà luogo martedì 17 luglio c. alle ore 10.

Profitto volentieri di questa nuova occasione per baciarLe umilissimamente le sacre Mani e confermarmi con sensi di profonda venerazione

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

Agli Eminentissimi Signori Cardinali
Cardd. Clemente MICARA, Giacomo L. COPELLO,
Giuseppe SIRI, Michele BROWNE

---

[1] *De emendatione schematis constitutionis de Ecclesia. Pars I-Pars II*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962: cf. pp. 187-213; 215-231.

[2] Cf. p. 180, nota 2.

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS CONSTITUTIONIS
DE ECCLESIA

Pars I

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

— 5 —

De emendatione schematis constitutionis

DE ECCLESIA

Ad Observationes Generales circa Capita I et II

1. Constitutio de Ecclesia ex mandato Summi Pontificis redacta est a Commissione Theologica, quae secundum eiusdem Pontificis placita, sola est competens in rebus dogmaticis. Quare si aliae Commissiones attingere debent quaestiones doctrinales theologicas, subsunt revisioni Commissionis Theologicae. Eadem de causa Commissio Theologica non constituit cum aliis Commissionibus Commissiones mixtas quae dicuntur: Commissio enim mixta supponit competentiam ex utraque parte in eandem materiam, ut facilius accidit in disciplinaribus. Si igitur Commissio Theologica non admittere potest Commissiones mixtas cum aliis Commissionibus, quae studii causa sunt erectae, multo minus cum Secretariatibus, quorum finis non est studium. Minime autem Commissio Theologica aegre fert si ab aliis sive Commissionibus vel Secretariatibus sibi offeruntur vota vel suggestiones. Sic v. g. caput de consiliis evangelicis notabiliter mutatum est etiam propter consilia data a Commissione de Religiosis. Sed aliud est rationem habere alicuius consilii, aliud illud approbare. Commissio Theologica habet suam responsabilitatem et debet agere secundum praeceptum S. Pauli (*I Thess.* 5, 21): « Omnia probate: quod bonum est tenete ». Quare iure offendi possunt alii, si eorum vota vel consilia flocci habemus, minime si non in omnibus consentimus.

Accedit quod Commissio Theologica composita est ex 60 personis ex diversis regionibus, ritibus, scholis theologicis; cum tendentiis diversis non so-

— 6 —

lum conservativis sed etiam progressivis; et dum alii magis considerant partem positivam, alii attendunt ad partem speculativam, moralem, iuridicam, mysticam, oecumenicam. Quare difficulter in Commissione Centrali aliquid ordinis doctrinalis dicitur, quod non multum amplius in Commissione Theologica disputatum sit. Quod valet imprimis de quattuor primis Capitibus Constitutionis de Ecclesia: non nisi post longas et protractas discussiones Subcommissio Theologica de Ecclesia venit ad textum de quo erat moralis concordia.

2. Notavit Exc.mus Secretarius Generalis: graves dissensiones Patrum Concilii non praebituras spectaculum unitatis, et similis observatio facta est ab Em.mo Card. Cento. Reapse autem in Commissione Centrali (quod erat exspectandum) graves dissensiones aderant et aderunt etiam in ipso Concilio. Non iuvat eas diminuire vel obscurare: expedit ut clare videantur. Sunt autem haec:

a) Est dissensio de *identitate* inter Ecclesiam catholicam Romanam et Corpus Mysticum terrestre. Commissio Theologica putat hanc rem decisam esse a Pio XII in Encycl. *Humani Generis* (DENZ. 2319), ubi reprobatur doctrina negans Corpus Christi Mysticum et Ecclesiam Romanam unum idemque esse. Quare minime Commissio Theologica admittere potest sententiam, qua statuitur Ecclesiam christianam suam perdidisse unitatem et nunc esse plures ecclesias christianas: catholicam, orthodoxam, protestantem, anglicanam, ideoque nunc corpus vivum Christi, quod est Ecclesia, esse dismembratum. Nec etiam Commissio Theologica admittere potest sententiam mitiorem hisce in terris incorporationem in Corpus Christi Mysticum sese latius extendere quam incorporationem in Ecclesiam Catholicam Romanam.

Minime putandum est Pium XII quid novi et inauditi dixisse. Ex permultis documentis tantum citentur S. Pius X et Pius XI. Sanctus Pius X scribit

— 7 —

(*Vehementer nos,* 11 febr. 1906: *A.S.S.* 39, p. 8): « Scriptura enim eloquitur, et tradita a Patribus doctrina confirmat, Ecclesiam esse mysticum Christi Corpus, pastorum et doctorum auctoritate administratum, id est societatem hominum, in qua alii praesunt ceteris cum plena perfectaque regendi, docendi, iudicandi potestate. Est igitur haec societas, via et natura sua inaequalis ». Et ac si respondisset ad sententiam supra relatam Pius Papa XI scribit (*Mortalium animos*: *A.S.S.* 20, pp. 14-15): « Cum enim corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesia, unum sit, compactum et connexum, corporis eius physici instar, inepte stulteque dixeris mysticum corpus ex membris disiunctis dissipatisque constare posse ».

b) Alia discordia est de *membris* Ecclesiae. Secundum S. Paulum fideles constituunt Corpus Christi et singuli membrum ex parte, i. e. secundum positionem quam in corpore occupant, cf. *I Cor.* 12, 27. Ut apte notavit Em.mus Card. Bea, agitur de imagine. Licet omnis comparatio claudicet, tamen quoad principaliora quadrare debet. Principaliora autem sunt: primo quod in corpore vivo organico, de quo agitur, nullum est membrum quod non sit in corpore; deinde quod membrum esse debet sub influxu principii vitalis: membrum enim totaliter mortuum est tantum apparenter, aequivoce membrum. Qui autem caret fide, est sine ulla vita supernaturali. Et hac de re apostata corde, externe autem profitens fidem, est tantum membrum putativum.

Commissio Theologica, adhaerens placitis Pii XII in Encycl. *Mystici Corporis,* distinguit inter eos, qui sunt *reapse* membra et eos qui sunt solum *voto* ad Ecclesiam ordinati. Multis non placet vox « reapse »: dici potuerit « sensu vero et proprio », quod ad idem redit, nisi quod dicendo « sensu vero et proprio » concedatur eos qui non sunt reapse membra, sensu aliquo *improprio* membrum Ecclesiae vocari posse.

Dicere autem haereticos et schismaticos esse

— 8 —

sensu proprio membra Ecclesiae, licet « imperfecte, inadaequate, non plene », perducit ad gravissimas consequentias non tolerandas:

1) Si haeretici et schismatici sunt sensu proprio membra Ecclesiae, licet imperfecte, inadaequate, non plene, rogatur: quis est perfectius membrum Ecclesiae, haereticus in statu gratiae, vel catholicus peccator? Respondendum erit: haereticus in statu gratiae.

2) Si haeretici et schismatici sunt sensu proprio membra Ecclesiae (constituunt autem 40% christianorum), actum est de unitate et indivisibilitate Ecclesiae.

3) Eadem de causa ruit indefectibilitas et infallibilitas Ecclesiae: et quia Papa gaudet eadem infallibilitate ac Ecclesia universalis (cf. Conc. Vatic.: DENZ. 1839), ruit infallibilitas Papae et cum ea infallibilitas Concilii Oecumenici.

4) Eadem de causa ruit sanctitas Ecclesiae. Nam sanctitas Ecclesiae etiam essentialiter consistit in pura custodia depositi fidei.

5) Iure rogatur, num Concilium in quo non repraesentantur 40% membrorum proprie dictorum, vocari possit « oecumenicum ».

Hac de causa Commissio Revisoria Theologica doctrinam de membris in schemate propositam mutare nequit, vel etiam doctrinam de membris negligere tamquam rem secundariam minorisque momenti.

c) Tertia discrepantiae causa est quaestio, *a quo incipiendum* quando debemus loqui de Corpore Christi, quod est Ecclesia: ab aspectu *iuridico sociali* vel *aspectu mystico?* Dictum est: aspectus mysticus: est enim Ecclesia mysterium gratiae qua unimur cum Christo. Haec responsio, licet primo intuitu sat obvia, tamen non est recta. Christus gratias suas dare potuisset sine Ecclesia, sine sacerdotibus, sine sacramentis; et etiam in hac suppositione fuisset inter sanctificatos et Christum *unio* quaedam ontica per Spiritum Sanctum: non tamen *corpus*

— 9 —

mysticum. Corpus enim est organismus vitalis heterogeneus, et reapse voluit Christus ut unio secum esset in organismo heterogeneo iuridico sociali. Unimur cum Christo, quia saltem voto unimur cum corpore Ecclesiae, non vice versa. Sicut Deus voluit ut per Christum hominem perveniremus ad Christum Deum, haud aliter statuit ut per institutum sociale perveniremus ad Christum et in eo cum Christo uniremur. Et hac de causa Encycl. *Mystici Corporis* incepit a corpore: i. e. ab organismo sociali.

d) Quarta ratio discordiae est quaestio, utrum quis ponere possit *obicem,* quo impeditur effectus baptismi. Quoad collationem gratiae non potest esse dubium; dubitatur autem de incorporatione in Ecclesiam. Hic distinguatur necesse est: omne enim infans, etiamsi baptizatur in haeresi vel schismate, vi baptismi fit membrum Ecclesiae. Idem non valet de adultis: nam ad validitatem baptismi non requiritur fides: sed certe *infidelis,* perdurans in infidelitate, baptismo non fit membrum Ecclesiae. Si autem aliquis adultus baptizatur in schismate vel haeresi, et baptismo vult schismati vel haeresi illis adhaerere, ponit obicem. Hoc enim si negatur, concedendum quoque est haereticum vel schismaticum esse sensu proprio membrum Ecclesiae, quod ut vidimus sub *b*), practice destruit Ecclesiam Catholicam. Si autem sunt theologici protestantes qui intellegere non possint quomodo Sacramentum valide collatum possit esse inefficax, hoc mirum non est: errant enim in multis. Legatur *Summa Theol.* III, q. 69, aa. 9 et 10. Quod si sub hoc respectu Codex iuris canonici, can. 87, non est omnino clarus, tempus est ut revideatur.

e) Quinta causa discordiae est distinctio inter haereticos vel schismaticos *bonae fidei* et *malae fidei.* Iure notatur respectu Ecclesiae magnum inter utrosque esse discrimen. Dum enim illi qui malae sunt fidei carent voto Ecclesiae, ideoque a salute excluduntur, ii qui bona fide gaudent, votum implicitum habent Ecclesiae ideoque salvari possunt. Ali-

— 10 —

ter autem res sese habet quando ponitur quaestio de incorporatione in Ecclesiam. Bona enim fides non destruit eorum voluntatem qua nolint adhaerere Ecclesiae Catholicae. Insuper etiam haec theoria de haereticis et schismaticis bonae fidei ut membris Ecclesiae proprie dictis, necessario conducit ad consequentias funestas de quibus sub *b*). Utiliter leguntur hac de re quae scripsit Clemens VIII, in bulla *Magnus Dominus,* 23 dec. 1595, qua Rutheni redierunt ad Ecclesiam: « Nuper vero venerabilis frater Michaël, archiepiscopus et metropolita Kiovensis... et cum eo plerique eius comprovinciales Episcopi... divina Spiritus Sancti luce eorum corda illustrante, coeperunt ipsi secum cogitare, et inter se multa consultatione et prudentia adhibita, conferre et serio tractare, se et greges quos pascerent, *non esse membra Corporis Christi quod est Ecclesia,* qui visibili ipsius Ecclesiae capiti, Summo Romano Pontifici, non cohaererent, et propterea spiritualis vitae influxus se non posse capere, neque crescere in charitate, cum ab eo essent disiuncti, ex quo secundum Deum pendet totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis in mensuram operationis uniuscuiusque membri. Quin etiam se omnibus animae periculis et insidiis principis tenebrarum tamquam leonis rugientis propositos esse, qui intra ovile Christi, intra arcam salutis, et intra domum illam non essent, quae est aedificata super petram... ».

Secundum placita moderna dici deberet unionem Ruthenorum carere omni fundamento. Nam certe greges, quos pascebant Episcopi, erant bona fidei et consequenter iuxta eadem placita membra Corporis Christi, quod est Ecclesia.

Accedit quod hac in re numquam possumus satisfacere fratribus separatis. Nam si negamus eos esse membra Corporis Christi quod est Ecclesia: scandalizantur; et si dicimus eos esse membra Ecclesiae Catholicae Romanae, quae est Corpus Christi, scandalizantur adhuc vehementius. Minime autem Commissio revisoria Theologica bona conscientia accedere potest ad ea quae dicit Em.mus Card. Coussa de orientalibus separatis. Primatus et infallibile magisterium sunt dogmata fidei, minime res tantum disciplinares.

— 11 —

f) Sexta quaestio disputata est sat subtilis, et frequentissime redit: « Quid praevalet, *auctoritas Petri,* vel auctoritas *Collegii Apostolorum,* una cum et sub Petro? Videtur respondendum praevalere auctoritatem Petri, nam S. Petrus pro gubernio externo Ecclesiae post ascensionem Christi, sese habet ad Apostolos sicut antea sese habuit ad Apostolos ipse Dominus. Petrus ut Apostolus, est in corpore Apostolico; sed Petrus ut Vicarius Christi, est super corpus Apostolicum. Et hodie Papa ut Episcopus Romanus, est intra Corpus Episcopale; ut Vicarius autem Christi, supra illud. Nec corpus episcopale una cum et sub Petro, est pro gubernio ordinario Ecclesiae vicarius Christi, sed solus Petrus. Secus Ecclesia desineret esse monarchica.

g) Septima quaestio est *terminologia.* Ne scandalizemus fratres separatos, verba « schisma » et « haeresis » absolute sunt *tabu.* Secundum Em.mum Döpfner dicere « voto » pertinere ad Ecclesiam separatis est offensio, et si Em.mo Bea credimus eadem de causa non debemus loqui de « acatholicis ». Etiam obex sacramenti, ut vidimus, est ratio scandali. Iam fit sermo de ecclesiis christianis, ac si essent eiusdem dignitatis ac Ecclesia unica Christi, i. e. Ecclesia Catholica Romana. Iure rogari potest num haec sit mens S. Pauli et S. Ioannis, immo Christi Domini, qui dixit (*Mt.* 18, 17): « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ». Etiam fideles scandalizari possunt, et hodie reapse scandalizantur. Dixit Apostolus (*Gal.* 6, 10): « Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei ». Et inter eos primum locum occupant qui in America Meridionali, in missionibus et alibi, directe vel indirecte subsunt influxui protestantium. Sed etiam nocemus fratri-

— 12 —

bus separatis, qui dicent: « Nulla est ratio redeundi ad Ecclesiam Catholicam: ipsi enim Catholici concedunt nos esse catholicos et membra Corporis Christi ».

Plura addi potuerint, imprimis de novis theoriis circa tolerantiam religiosam et communicationem in sacris, ut postea apparebit ex duobus schematibus diversis, altero proposito a Commissione Theologica, altero a Secretariatu pro unione, non audita Commissione Theologica, unice competenti. Iure merito timet Exc.mus Secretarius Generalis, ne discordia super puncta supra allata appareat ad extra. In Commissione Centrali autem dirimi non possunt, quia caret tum competentia iuridica, tum practica. Nam nulla gaudet auctoritate doctrinali, et in ea quidem est maxima libertas criticae, attamen seria replicatio ad obiectiones est impossibilis. Quod autem spectat ad quaestiones enumeratas in hoc numero secundo, sub *a-f*), Commissio Theologica post continuas disputationes venit ad Conclusiones, a quibus ipsa *nullo modo recedere potest.*

3. Quia in numero praecedenti attigimus quaestiones graves doctrinales, notemus insuper duas alias.

a) Em.mus Bea in suis observationibus de membris videtur unice considerare *necessitatem* Ecclesiae ad salutem *de praecepto,* non eam quae dicitur *de medio.* Est autem necessitas medii duplex: una quae profluit ex essentia rerum, ut v. g. gratia necessaria est ad iustificationem; alia quae profluit ex positiva voluntate Dei: ut baptismus est medium necessarium ad salutem. Et hoc secundo sensu Ecclesia quoque est medium ad salutem necessarium. Quod constat ex traditione antiquissima, et ex eo quod Ecclesia praecise ut salutis medium vocatur *unica salutis arca* (cf. Pium IX, *Singulari quadam*: Denz. 1647, coll. 1677). Notum est rem ex essentia ad salutem necessariam numquam alia re substitui posse; e contra rem, ad salutem necessariam ex

— 13 —

positiva institutione, effectum suum obtinere posse si loco rei adsit eius votum. Et hac de causa distinctio eorum qui *re* sunt membra Ecclesiae, et qui membra sunt *voto* eius, tanti est ponderis.

b) Alia quaestio est de distinctione inter fidem divinam et fidem divinam-catholicam. Confusio quaedam exorta est, quia non satis distincta est fides *obiective* catholica, et fides *subiective* catholica. Fides obiective catholica est summa earum veritatum, quae ab Ecclesia proponuntur. Eam, ut iure notavit Em.mus Bea, haeretici bonae fidei non habent complete quidem, habent tamen pro parte, prout ex summa veritatum illa, maior vel minor numerus admittitur. De fide illa obiective catholica agit verbi causa Conc. Tridentinum in fine professionis fidei: Denz. 1000: « Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest (saltem voto!) ... sponte profiteor ». De fide autem subiective catholica agit Synodus Vaticana, dicens Denz. 1792: « Porro fide divina et catholica omnia ea credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni suo iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata proponuntur ». Illa fides subiective catholica est fides *divina,* quia veritates creduntur ob auctoritatem magisterialem supremam ipsius Dei: dicitur autem *catholica,* quia magisterium Ecclesiae catholicae ad eam habendam prima est norma credendi, docendo scilicet quid sit credendum, et secundo motivum credendi secundum illud famosum S. Augustini (*Contra epist. fund.* 5, 6): « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae moveret auctoritas ». Hanc fidem subiective catholicam haeretici etiam bonae fidei non habere possunt (nisi in voto!), quia negant auctoritatem Ecclesiae illius, quae unice est vera catholica, videlicet Romanae. Haec fides subiective catholica requiritur, ut quis sit membrum Ecclesiae, ut patet ex antea expositis. Haeretici bonae fidei possunt quidem habere fidem simpliciter divinam, quidquid dubitanter dicat

— 14 —

Em.mus Ruffini, non autem catholicam, quia etsi bona fide, nolunt agnoscere magisterium Ecclesiae.

Quaestio disputata est, utrum in fide catholica divina magisterium Ecclesiae intret in ipsum motivum fidei: seu utrum dici debeat: « Credo illud vel illud propter auctoritatem Dei, utpote mihi per magisterium Ecclesiae manifestum ». Ad Concilium non spectat illa disputatio.

4. Quia saltem ter ad hanc rem dedit Em.mus Card. Döpfner, et eam quoque attingit Em.mus Card. König, quaedam breviter dicenda sunt de triplici munere messianico Christi et Ecclesiae.

a) Nullo modo est inventio protestantica. Invenitur enim apud Eusebium (*Hist. Eccles.* I, 3, et *Dem. Evang.* 4, 15; cf. Ioh. Chrys., *In 2 Cor.*, Hom. 3, 5; Fastid. Britt., *De vita christiana,* 1), S. Thomam (*ad Rom.* 1, lect. 1 et *Summa Theol.* III, q. 31, a. 2) et in Catechismo Tridentino (I, cap. 3, n. 7).

b) Est res de fide divina credenda. Quod enim Christus est supremus magister, rex et sanctificator, habetur clare in S. Scriptura, ut clare apparet e notis Constitutionis; eodem modo in S. Scriptura dilucide continetur quod Ecclesia gaudet iure et officio docendi, regendi, sanctificandi.

c) Quare etiam triplex illud munus commemoratur in pluribus documentis ecclesiasticis. Cf. v. g. Leonem XIII (*Satis cognitum,* 29 iunii 1896: *A.S.S.* 27, p. 723), S. Pium X (*Vehementer Nos,* 11 febr. 1906: *A.S.S.* 39, p. 8) et Pium XII (*Mystici Corporis*: *A.A.S.* 35, p. 204).

d) Quaestio disputata est quomodo potestas docendi et regendi inter se cohaereant: utrum sint adaequate distinctae et potestas docendi sit species potestatis regendi. Ad nos disputatio illa non spectat. Distinguimus, quia sic tripliciter distinguit Sacra Scriptura.

e) Tandem rogari liceat, an sit prohibitum aliquid asserere, quia aliquid etiam libenter auditur a fratribus separatis?

— 15 —

5. Nonnulli Commissarii rogaverunt, ut in Capite de indole Ecclesiae etiam diceretur de Ecclesia purganti et de Ecclesia coelesti. Non videtur ratio specialis adesse. Non enim faciendus est tractatus completus de Ecclesia: quaestiones autem hodiedum agitatae imprimis spectant Ecclesiam terrestrem visibilem, quam tradidit Christus Dominus Sancto Petro et successoribus eius, de corpore illo mysticoiuridico-sociali, quod finem faciet, quando Christus tradet, ut S. Paulus dicit (*I Cor.* 15, 24) Regnum Deo et Patri.

6. Dum alii ex membris Commissionis Centralis existimant schemata non esse satis biblica vel spiritualia, alii, ut v. g. Em.mus Card. Montini, notant pauca afferri documenta ex Patribus et ex Traditione, et Em.mus Coussa dolet absentiam Patrum Graecorum. Ad ea responderi liceat in documentis ecclesiasticis minus recentibus, imprimis illuminari aspectum Ecclesiae magis iuridicum, de quo utpote sat noto, non est fusius disserendum. Quod si vero citaremus documenta patristica et ecclesiastica de membris Ecclesiae eiusque necessitate ad salutem, magnus numerus Commissariorum probabiliter vehementer esset scandalizatus. Non placet enim auribus modernis, iam horrentibus, si in Constitutionibus sonat vox « damnare ». Si quis (quod absit) malum vult Commissioni praeparatoriae Theologicae Vat. II, ex documentis patristicis et ecclesiasticis sine labore nimio demonstrabit, doctrinam Schematis esse potius nimis laxam quam nimis severam. Difficulter autem intelligitur difficultas ab Em.mo Bea prolata, videlicet in capite de indole Ecclesiae non satis haberi rationem voluntatis Christi; ubique voluntas Christi apparet, etsi vox adhibita non sit. Nec Commissioni Theologicae innotuit Protestantes

— 16 —

in quaestionibus ecclesiologicis tantopere curare voluntatem Christi.

7. Nonnulli Em.mi Cardinales proposuerunt ut loco « Ecclesiae militantis » diceretur « ambulantis », vel « in via constitutae », vel etiam « peregrinantis ». Nemo negare potest locutionem « Ecclesia militans » in se esse bonam, ut facile demonstratur pulchra catena textuum e S. Scriptura. Sed etsi Christus non venit pacem mittere, sed gladium (cf. *Mt.* 10, 34 et *Lc.* 12, 51), tamen ratio habenda est cuiusdam antimilitarismi, post duo bella mundana sat intelligibilis, et hac de causa Commissio revisoria Theologica ut meliorem ex tribus suggestionibus commendat legere: « De Ecclesia *peregrinante* ».

Ad observationes particulares circa Caput I de Ecclesiae militantis natura

Ad titulum generalem.

Secundum antea dicta legatur: « de Ecclesiae *peregrinantis* natura ».

Ad n. 1.

Em.mus Card. Siri desiderat, ut etiam fiat mentio de elevatione ad ordinem supernaturalem; Em.mus Léger cum aliis rogat, ut fiat allusio ad Vetus Testamentum; Em.mus Liénart et alii exoptant, ut Christus appareat iam incarnatione ut centrum unitatis; idem Cardinalis et R.mus P. Sépinski notant constructionem minus rectam lin. 8-11; Em.mus Bea rogat ut melius appareat tota Ecclesia tamquam salutis instrumentum; plures desiderant ut appareat statim in initio unio generis humani.

Ut desideriis, quantum fieri potest, satisfiat, Commissio Theologica proponit ut num. 1 sic legatur:

« Aeternus Unigeniti Pater, cum liberrimo eoque arcano sapientiae suae consilio statuisset, ut *genus humanum, per peccatum protoparentis Adami*

— 17 —

ex statu iustitiae originalis misere delapsum, per Incarnati Filii sui mortem redimeret et in regnum eius transferret,[1] ubi venit plenitudo temporis misit eum [2] qui per Spiritum Sanctum sese hostiam Deo immaculatam offerens [3] acceptabilem sibi populum mundaret; [4] complacuit enim Patri, ut redempti, *maxime in novo et aeterno Testamento, non plane singuli coram se, quavis habitudine seclusa* sanctificandi consisterent, sed ut ex multitudine advocati, novum genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, novum scilicet Israël constituerent,[5] *sub uno Capite Iesu Christo, cuius virtute omnes simul essent non solum redempti, sed in opere salutifero Christi perpetuando redemptores* [6] ».

Commissio Theologica non putat esse sufficientem rationem, cur omittatur illud « Israël Dei », et ad expositionem Em.mi Döpfner observat Christum quidem incarnatione fieri ut novum Adamum caput totius humanitatis, influxum autem Capitis esse natura posteriorem Sacrificio Crucis.

Ad n. 2.

Iam antea fuse explicavimus, cur remanere debeat, non obstantibus observationibus Em.morum Döpfner et König, commemoratio muneris triplicis messianici Christi. Item cur praecedere debeat constitutio hierarchica Ecclesiae. Nec placet pag. 6, lin. 2 loco « praeconis » dicere « magistri », nec lin. 15 loco « agmen » uti voce « populus ». Etenim vox « praeco » melius exprimit ad magisterium pertinere etiam praedicationem infidelium; et vox « agmen » connotat indolem dynamicam Ecclesiae, cuius mentio a pluribus desideratur.

Ut autem satisfiat desideriis, iam ad num. 1 expressis, Commissio Theologica proponit ut pag. 5, lin. 15-16 legatur: « Unigenitus Dei Filius ex muliere factus habitavit in nobis,[7] *ut novus Adam caput totius generis humani constitutus,* voluntati Patris obsecutus est... ».

Deinde ad melius exprimendum etiam in consi-

— 18 —

deratione de populo Dei indolem spiritualem, ut desideratur ab Em.mo Léger, Commissio Theologica proponit ut pag. 6, lin. 15-16 legatur: « ut confertum agmen procedit, quod *esca spirituali nutritus et de spirituali, consequente eum, petra potatus,* portis inferi... »; et in lin. 19: « unum singulareque *in spiritu et caritate* iugiter perdurabit ».

In notis ad num. 2 expedit, ut quaedam pauca testimonia addantur de Christi munere triplici messianico, de quibus diximus in Responsionis generalis numero 4.

Ad n. 3.

Commissio Theologica non videt, quomodo comparatio Ecclesiae Moysis cum Ecclesia Christi inepta sit, cum ipse Em.mus Ruffini cum suis concedat ecclesiam mosaicam fuisse praeparationem, typum et figuram Ecclesiae Christi. Licet ista comparatio in multis claudicet, nil obstat ut adhibeatur, praesertim si hoc fit ab ipso Apostolo. Accedit quod hac comparatione clare apparet, quomodo etiam notio « populi Dei » supponat organismum socialem visibilem.

Quod attinet ad observationem Em.mi Léger: pag. 6, lin. 26-30 non correspondere titulo ideoque expungi debere, notetur titulos in redactione ultima non iam adfuturos. Sed ut tollatur difficultas, Commissio Theologica putat melius esse mutare titulum et legere: « Israël Dei *indoles, voce Ecclesiae variisque figuris expressa* ».

Si autem R.mus Pater Sépinski existimat verba lin. 27-28 non eminere claritate, legatur: « verum etiam quod *eam debitis mediis ad finem proxime instructam,* super Petrum... ».

Commissio Theologica putat non esse accedendum ad votum Em.morum Döpfner et Alfrink, dicendi nempe Christum Ecclesiam non solum aedificasse super Petrum, sed etiam super collegium apostolorum. Etenim non necessario omnia dicenda sunt: prae aliis enim Christus aedificavit Ecclesiam

— 19 —

super seipsum. Deinde omnino alio modo Christus aedificavit Ecclesiam super Petrum quam super Collegium apostolicum. Nam, ut antea in responsione generali dictum est, Christus eandem super Petrum aedificavit, non formaliter ut Apostolum, sed ut Vicarium sui. Quando autem *Eph.* 2, 20 S. Paulus dicit fideles aedificatos esse super « fundamentum Apostolorum », additio « et prophetarum » indicat hic agi de fundamento praedicationis apostolicae.

Pag. 7, lin. 4, corrigatur mendum et legatur: « nominibus ».

Ad n. 4.

Ut clarius appareat Em.mo König et aliis, cur figura *Mystici Corporis* locum principem obtineat, Comm. Theol. proponit ut lin. 10-11 legatur: « Ex omnibus tamen figuris, *ob elementum sociale una cum mystico clarius in eo expressum,* principem locum figura corporis tenet... ».

Quid S. Paulus cogitaverit adhibens ideam Corporis, quoad singula difficulter scitur. Quod autem certo cogitavit de organismo sociali heterogeneo, in quo non omnes eisdem officiis et charismatibus gaudent, etiam Em.mus König concedet. Quod vero Patres, secundum quos explicanda est S. Scriptura, cogitaverint de clero et laicis, de continentibus et matrimonio iunctis, de membris sanis et aegrotis, etc., res est indubitata.

Quia Em.mus Léger putat non sine ratione verba tituli (qui non remanebit!) egere explicatione, placuit lin. 10 legere « Figura Corporis *Christi* ».

Lin. 12 Em.mo Ruffini displicet illud « paene ». Legatur igitur: « Christi instinctu », sine addito.

Quia Em.mus Siri ob rationes obvias desiderat, ut fiat mentio Communionis Sanctorum (quae tempore apostolico significabat unionem fidelium), legatur lin. 15-17: « etenim, quotquot in Ecclesiam baptismate ingressi et *in Sanctorum Communione* Christum induti sunt... ».

Observationi Exc.mi Yago respondendum est in

— 20 —

textu non dici unionem per baptismum inchoatam per Eucharistiam *fieri efficacem,* sed *consummari.* Quod non est idem.

Ad n. 5.

Commissio Theologica putat in hoc numero omnia essentialia haberi et hoc sensu satisfactum esse desiderio Em.mi Card. Spellman. Non autem scribi potest tractatus terminis scholasticis. Ut autem clarius appareat structura organica socialis, Commissio Theologica proponit legendum, lin. 7, pag. 8: « connexionem e vinculis socialibus, iuridicis et ministerialibus ». Cur autem vincula illa socialia anteponenda sint vinculis mysticis, in responsione generali satis est expositum. Prius Deus formavit Adamum ex limo et deinde insufflavit spiritum.

Licet membra peccato mortali affecta saepius dicantur *mortua,* quia incapacia meriti, tamen minime simpliciter sunt mortua. Gaudent virtutibus infusis fidei supernaturalis et spei supernaturalis, ut docet Tridentinum. Quare locutio « membra infirma » apud SS. Patres est frequens. Adagium S. Augustini est: « Id est in corpore Christi gratia, quod in corpore humano est sanitas ». Quare Commissio Theologica non potest consentire Em.mo Ruffini et Exc.mo Jelmini. Nec potest consentire Em.mo Döpfner: nam membra sine virtute fidei sunt nullo modo vivificata, ideoque membra sensu aequivoco seu mere putativa.

Ut satisfiat desideriis quibusdam Em.mi Card. Léger, pag. 8, lin. 17 legatur « Anima », omissa voce « velut »; lin. 18: « in unitate *constituit* et tenet »; et addatur, pag. 9, in fine numeri: « vitaeque divinae in dies magis consortia faciat ».

Ad mentem Em.mi Card. König Commissio Theologica proponit pag. 9, lin. 7-9 legendum: « sua membra ad sanctitatem gignit, *numquam membris sanctitate praestantibus caret, et insuper...* ».

Ea quae proponit Exc.mus Alter de subiectione

— 21 —

sunt optima quidem et utilia, sed providetur in capite separato de auctoritate et oboedientia.

Ad n. 6.

Quod S. Paulus distinguit charismata miraculosa et non miraculosa negari nequit. Secundum eum etiam matrimonium et continentia sunt charismata, cf. *I Cor.* 7, 7. Sed quia verba lin. 17-20 possunt clarius et magis ad rem exprimi, ut desiderat Em.mus Card. Frings, Commissio Theologica proponit scribendum:

« Cum autem S. Spiritus multa charismata Ecclesiae elargitur, quae correspondent eius indoli sociali et missioni eius divinae, in variis officiis et ministeriis, eo fine, ut qui iisdem donati sunt... ».

Cur adhibita sit lin. 11, pag. 10, vox « praeco » et non « magister », iam antea dictum est.

Desiderio Em.mi Döpfner circa vocem « prodigialis » iam satisfactum est, mutatione textus supra proposita.

Quod attinet ad observationem R.mi P. Sépinski de natura humana ut instrumento divinitatis, ea fundamento caret. Est doctrina quae invenitur apud S. Ioannem Damascenum aliosque Patres, apud S. Thomam et in Encycl. *Mystici Corporis.* Disputant et disputent theologi de explicatione adagii Damasceni: « Humanitas organon divinitatis ». Ad Concilium non spectat.

Ad n. 7.

Lin. 27 legatur, ut proponit Em.mus Frings, non « redivivus », sed longius: « post resurrectionem suam ».

Quod attinet ad observationem Em.mi Léger de pertinentia acatholicorum ad Ecclesiam, de ea in responsione generali sufficienter dictum est. Notetur tantum vocem « pertinere ad » iure merito evitatam esse in Encycl. *Mystici Corporis.* Potest enim suggerere admembrationem proprie dictam.

— 22 —

Lin. 20 in titulo legatur, ut rogavit Em.mus Card. Bea: « Ecclesia *Catholica* Romana ».

Desiderio R.mi P. Sépinski videtur satis provisum lin. 25-26 pag. 10, ubi dicitur: « sibique tamquam corpus capiti... coniunxit ».

Ut autem clarius appareat ratio cur Corpus Christi Mysticum sit Ecclesia Romana, Commissio Theologica proponit ut in fine legatur: « quamque post resurrectionem suam S. Petro et Successoribus, *qui sunt Romani Pontifices,* tradidit gubernandam, *ideoque* sola iure Catholica Romana nuncupatur Ecclesia ».

Nota 49, pag. 11 non sine momento est; et bene intellegit Commissio Theologica imprimis Cardinalem Westministeriensem valorem huius notae appretiasse.

AD OBSERVATIONES PARTICULARES CIRCA CAPUT II DE MEMBRIS ECCLESIAE MILITANTIS EIUSQUE NECESSITATE AD SALUTEM

Quod ad observationes generaliores spectat, abundanter Commissio Theologica respondit in Responsione generali.

Quoad *titulum* autem Capitis, mutetur et loco « militantis » legatur « *peregrinantis* ».

Ad n. 1.

Em.mus Card. Godfrey desiderat ut quaestio de membris et necessitate Ecclesiae melius connectatur cum praecedentibus de Ecclesiae natura. Providebitur in numero secundo. Videntur autem omnia adesse quae dicuntur in epistola S. Officii ad Archiepiscopum Bostoniensem; et de necessitate fidei ad salutem clare dicitur in fine numeri.

Em.mus Card. Gracias et alii desiderant, ut, ubi quaestio est de necessitate Ecclesiae ad salutem, in memoriam revocetur adagium « facientibus in se, Deus non denegat gratiam ». Satisfiet desiderio in fine num. 3.

— 23 —

Quod ad disputationem Em.mi Card. Döpfner attinet, de canone 87 antea sufficienter est dictum, cum theologice absolute certum sit in baptismate non solum gratiae sed etiam incorporationi obicem poni posse, ubi agitur de adultis. Em.mus etiam non satis distinguit inter subiectum et membrum Ecclesiae. Apostata a fide certe non est membrum Ecclesiae, attamen plenissimo sensu subiectum, immo si sacerdos sit, potest valide consecrare et nonnumquam absolvere a peccatis. Sunt organa ministerialia coniuncta Ecclesiae et ab ea prorsus separata: ut v. g. Iudaeus qui baptizando incorporat Ecclesiae, dat gratiam et facit baptizatum consortem divinae naturae. Quare nulla ratio est ut lin. 8 quid mutetur.

Licet pag. 4, lin. 2 vox « reapse » sit optima et etiam adhibeatur in Encycl. *Mystici Corporis*: « reapse ii soli sunt membra », tamen quia hoc loco non necessaria, omitti potest.

Ad n. 2.

Iam antea diximus cur non possimus dicere « imperfecte, inadaequate, non pleno iure, non plene » membra, quia sic conceditur quod membrum « sensu proprio » possit praedicari de apostatis, haereticis, schismaticis. Nec obstat argumentum Em.mi König ex Encycl. *Aeterni Patris*: cf. not. 9. Ibi non agitur de membris perfectis vel imperfectis, sed de unione cum Christo perfecta et imperfecta, quarum prior hic in terra non est nisi in mystico Corpore quod est Ecclesia. Ergo mutetur titulus numeri: « Quinam membra *sensu proprio* ».

Desiderio Em.mi Ruffini satisfiet abundanter in Constitutione de Beata Maria Virgine.

Ut autem occurramus desiderio expresso ab Em.mo Godfrey, quaestionem scilicet de membris arctius connectendi cum indole Ecclesiae, Commissio Theologica revisoria proponit quaedam addere ex quibus pateat quomodo unitas, indivisibilitas, infallibilitas et indefectibilitas Ecclesiae necessario postulent doctrinam catholicam de membris. Item pro-

— 24 —

ponit loco « reapse » (quae per se est vox optima) legere « *sensu vero et proprio* », quippe quibus verbis conceditur haereticos, schismaticos et apostatas sensu quodam *improprio* dici posse membra. Insuper expedire putat facere allusionem ad traditionem. In fine autem numeri accedit ad desiderium Em.mi Ruffini, vid. expungendi verbum « ex toto ». Nam hoc verbo insinuatur esse posse membra *inadaequate*. Etiam melius videbatur loqui de regeneratione antequam dicatur de professione fidei. Quare numerus reformatus in nova redactione sic sonat:

« 2. [*Quinam membra sensu proprio*]. Etsi plures relationes reales exsistunt in ordine iuridico [6] et sacramentali, immo exsistere queunt in ordine mystico,[7] quibus omnis omnino baptizatus cum Ecclesia connectatur, tamen ii soli ex antiquissima traditione vero et proprio sensu Ecclesiae membra vocantur, ex quibus ipsa Ecclesia, ut est una et indivisibilis, indefectibilis et infallibilis, in unitate fidei, sacramentorum, regiminis coalescit: iis igtur, qui regenerationis lavacro abluti, veram fidem catholicam profitentes, et Ecclesiae auctoritatem agnoscentes,[8] in compagine visibili eiusdem [9] cum Capite eius, Christo videlicet eam regente per Vicarium suum [10] iunguntur, nec ob gravissima delicta a Corporis Mystici compage seiuncti sunt.[11] (...) ».

Ut melius appareat tam necessitas gratiae quam certitudo eius, ubi adest bona voluntas, Commissio Theologica revisoria proponit has tres additiones:

1) Pag. 6, lin. 2, legatur: « qui, *Spiritu Sancto movente,* conscio et explicito desiderio... »;

2) Ibid., lin. 5 legatur: « tamen, *gratia Dei,* implicito et inscio... »;

3) In fine, pag. 7, lin. 4, addantur verba Pii X ex Alloc. *Singulari quadam*: « Gratiae autem coelestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui luce divina recreari sincero animo velint ac postulent ».

— 25 —

Ad n. 3.

Non vocatur in textu « Communio Sanctorum », quia in Ecclesia apostolica vox « sancti » adhibebatur pro fidelibus. Hac de causa communio sanctorum forsan loco primario significat « communio fidelium », seu « Ecclesia Catholica ». Difficulter autem necessitas fidei ad salutem, quae expresse asseritur in fine num. 1, magis specificatur. In num. 3 clare affirmatur non requiri fidem subiective catholicam: quaenam autem articuli fidei ex fide obiective catholica sint de necessitate salutis, disputatur inter doctos. Quare difficulter satisfieri potest desiderio Em.mi Spellman.

Lin. 5 in titulo legi potest: «Unio cum *separatis* », si quis putet vocem « acatholicus » esse offensivam.

Omnino detorquetur sensus num. 3 si ligamina quibus separati iunguntur considerantur ut subsumpta sub conceptu *voti.* Attamen lin. 3-4 non omitti potuit, illud votum: quia sine voto *saltem implicito* omnia alia omnino nihil valent. Sed quia vox voti videtur acatholicis veluti pannus ruber tauro obiectus, legi potest lin. 7-8, quod ad idem redit: « tamen desiderio, etsi inscio, ea anhelant ».

Lin. 9-13 ad mentem Em.mi Döpfner sic legi potest: « plures ob rationes coniunctam, *singulari modo* si baptizati christiano nomine gloriantur... tamen amanter in Christum credunt Deum et Salvatorem, *imprimis autem* si fide et devotione... ».

Lin. 10-11 legitur de separatis baptizatis: « quamquam carent fide catholica ». Verba provocaverunt difficultatem, quia intellecta sunt de fide obiective catholica, dum respiciunt subiective catholicam. Quare Commissio Theologica, ut clarius appareat intendi fidem catholicam subiective intellectam, proponit legendum: « quamquam *non credunt* fide catholica ». In nota autem sic legatur (plura vide in responsione generali): « Distinguendum est inter fidem divinam simpliciter, et fidem divi-

— 26 —

nam catholicam. Potest autem fides catholica considerari obiective (cf. v. g. DENZ. 1000), et subiective (cf. DENZ. 1792). Fides catholica subiectiva supponit magisterium Ecclesiae ut normam fidei et motivum credibilitatis. Baptismus non facit membrum, nisi accedat fides catholica subiectiva. Quando... ».

Quia nota decima quinta de orthodoxis est male intellecta (non cogitavit Commissio Theologica de anglicanis, qui proprie dicta Eucharistia carent, sed de vetero-catholicis, et millibus ministrorum protestantium, qui in America sive ab orthodoxis, sive a vetero-catholicis ordinantur), potius expungenda videtur.

Quod pag. 8, lin. 6-7 spectat, verba: « in quo ad salutem obtinendam tot tantisque coelestibus muneribus adiumentisque carent », desumpta sunt ex Encycl. *Mystici Corporis* et multis aliis documentis possunt confirmari. Imprimis Patriarcha Maximos legat bullam Clementis VIII, *Magnus Dominus,* et videbit rationem principalem cur Rutheni redierint ad Ecclesiam Catholicam fuisse conscientiam se non esse membra Corporis Christi quod est Ecclesia, et se caruisse multis mediis ad salutem. Quare verba nullo modo sunt mutanda.

Quod attinet ad pag. 8, lin. 2, ubi agitur de precibus Ecclesiae pro fratribus separatis, nil videtur addendum. Postea enim veniet caput separatum de Oecumenismo. Libenter autem Commissio Theologica accipit suggestionem Card. Léger ut pag. 8, lin. 4, loco « concedentes » legatur « dociles ».

Etiam Em.mus Card. Frings attingit problema oecumenicum. Desiderat ut quaedam dicantur de dignitate eorum coetuum qui licet ab Ecclesia separati, habent Sacramenta, etc. De iis quoque sermo erit in capite de Oecumenismo. Libenter autem Commissio Theologica pag. 8, lin. 5, cum Card. Frings loco « se eripere studeant » scribet « *exire student* ». Agitur enim solummodo de citatione implicita Encycl. *Mystici Corporis.*

— 27 —

Non autem pag. 7, lin. 20, loco illius « extra venerandum illud Corpus agit » scribi potest « extra venerandam illius Corporis communionem agit ». Licet Spiritus Sanctus agat semper in ordine ad Corpus Mysticum, non semper agit in Mystico Corpore.

Rogat Em.mus Card. Richaud, utrum Spiritus Sanctus in fratribus separatis inesse possit solis gratiis actualibus, an etiam, ut putat Em.mus, gratia habituali. Responsio est: « utique, etiam habituali ». Quare Commissio Theol. proponit ut lin. 18-19, pag. 7, legatur: « qui non solum donis et gratiis, *non exclusa sanctificante,* in ipso mystico Corpore operatur.

Quod ad notas spectat, earum ordo paululum mutatur, secundum mutationes in textu introductas.

AD OBSERVATIONES GENERALES CIRCA CAPITA III ET IV DE EPISCOPATU ET DE EPISCOPIS

In observationibus Em.morum et Exc.morum Commissariorum pauca dicuntur de capite tertio, quod maiori parti Commissionis Centralis *placuit* sine addito, sed generatim res est de capite quarto. Haec videntur Commissioni Theologicae revisoriae breviter respondenda:

Ad I:

Commissio Theologica omnia faciet ut schemata reformentur secundum placita in Commissione Centrali proposita, dummodo recta sunt. Quaedam etenim dicta sunt cum quibus Commissio Theologica non potest omni ex parte consentire: et hoc suis locis indicabit eadem simplicitate et reverentia, cum quibus locutus est Em.mus Card. Richaud. In schemate autem reformando sequetur normas sibi datas a Summo Pontifice.

Ad II:

Ad observationes prolatas ab Em.mis Liénart, Bea, necnon Exc.mo Rakotomalala, haec dicta sint:

— 28 —

1) S. Scriptura, ubi res est de Episcopis, est sat obscura. Exegetae disputant et disputabunt de voce « Episcopi » in N. T. Quod vero ad rem spectat, quid erant secundum nostram terminologiam Sancti Titus et Timotheus: episcopi residentiales, vel potius vicarii apostolici? Etiam in traditione antiqua Patrum plura sunt obscura. Quodsi vero Commissioni Theologicae obicitur eam munus et potestatem episcopalem considerare sub aspectu iuridico nunc exsistente: hoc solummodo eo sensu verum est, quod Commissio Theologica procedit ex constitutione divina Ecclesiae, hodie clarius apparente quam antea.

2) Omnino negandum est in Constitutione non clare et aperte doceri originem divinam potestatis Episcopalis. Hoc iam statim fit in initio capitis IV!

3) Ad observationem, potestatem nempe Collegii episcopalis nimis reduci, postea suo loco latius erit respondendum. Pro nunc sufficiat dicere Constitutionem id docere intendisse: 1. Collegium Episcoporum una cum et sub Papa, habere potestatem ordinariam, i. e. officio inhaerentem; 2. exercitium huius potestatis esse extraordinarium, quatenus a Papa dependeat.

4) Omnino concedi nequit doctrinam expositam non esse obiectivam. Omnia quoque essentialia praebet: at non potest Commissio Theologica introducere theorias pulchras quidem, sed theologice non sufficienter certas. Et quod ad Episcopos Orientales spectat, nonne eorum potestas multo magis limitatur potestate Patriarcharum, qui non sunt institutionis divinae, quam Episcopis occidentalibus esset gratum?

Ad III:

Quae desiderantur ab Em.mo Card. D'Alton, ea reapse in Constitutione adesse videntur. Successio enim formalis indicatur eo quod docetur Episcopum potestatem suam habere e missione iuridica, sibi communicata a suprema potestate Ecclesiae. De natura Episcopatus non solum in numero primo, sed etiam in sequentibus tractatur. De magisterio autem postea habebitur caput separatum.

— 29 —

Ad IV:

Ad observationes propositas ab Em.mo Card. Richaud et ab iis qui cum eo consentiunt, haec videntur respondenda:

1) Quod si rogatur, cur praetermissi sint Episcopi titulares, dicendum est in capite IV agi imprimis de potestate iurisdictionis, qua titulares carent. Quam difficile sit explicare positionem titularium clare videre est in *Voto Angelini* conscripto pro Concilio Vaticano I (cf. Schauf, *De Conciliis Oecumenicis*, pp. 84 ss.). Attamen in fine capitis IV titulares suum locum habent: et in nova redactione quaedam addentur.

2) Quod spectat ad relationem inter Sacramentum Ordinis et iurisdictionem episcopalem, multa dici possunt, sed pauca certa. In initio autem numeri 2 capitis IV Commissio Theologica proponet additionem, quae est absolute certa et ab omnibus accipi potest.

3) Verba num. 4 « nonnisi modo extraordinario » (pag. 13, lin. 7) a multis Commissariis non bene intellecta sunt. Ut iam ante dictum est ad II, sub 3°, exercitium extraordinarium non excludit potestatem ordinariam, i. e. officio natura sua inhaerentem.

4) Dicere « Episcopos certo certius esse successores ipsius Collegii Apostolici », est facile, sed eget explicatione, videlicet: Collegium Episcoporum succedit Collegio Apostolorum, quatenus illi erant pastores et doctores, non quatenus erant fundatores primarum Ecclesiarum. Generatim enim admittitur singulos Apostolos habuisse iurisdictionem in universalem Ecclesiam, subordinatam Petro.

5) Constitutio incipit non a Collegio Episcoporum, sed a singulis Episcopis, quia de Collegio

— 30 —

plura sunt, quae nondum gaudent sufficienti claritate theologica. Deinde si de collegio agitur in fine, agitur de loco honorifico; finis enim est quasi corona praecedentium.

6) De magisterio agetur in capite separato, ut iam dictum est. Deinde ex *magisterio universali* non potest concludi ad *iurisdictionem universalem.* Quando omnes Episcopi eandem veritatem docent, singuli pro suis solis fidelibus sunt magistri authentici, pro tota autem Ecclesia sunt *testes fidei.* Omnes autem simul non possunt falsum testari, quia Spiritus Sanctus assistit toti Ecclesiae; esse autem testis non est actus iurisdictionis.

Ad V:

Ad observationes Em.mi Card. Döpfner videtur respondendum, in Constitutione tractari problemata ab Em.mo indicata. Commissio Theologica omnia fecit ut problema relationis Episcoporum et Summi Pontificis obiective tractaret, et solutionem daret aequam et plenam. Sed omnino etiam necesse est, ut haec solutio obiective et aeque consideretur.

Ad VI:

Em.mus Card. Suenens duas fecit observationes. Prima spectat collegialitatem, de qua iam sufficienter dictum est. Quod ad alteram observationem attinet, diligentissime curandum est ob rationes iam saepius expositas, ut doctrinalia et disciplinaria omnino distinguantur.

Ad VII:

Em.mus Card. Albareda commemorat contradictoria in aliis Constitutionibus. Commissio Theologica ignorat de quibus Constitutionibus sit sermo. Certum est in Constitutionibus aliarum Commissionum res dogmaticas tractari non posse, nisi revideantur a Commissione Theologica, quae hac in re nil revidendum accepit.

— 31 —

Ad VIII:

Non possunt omnia fieri quae desiderat Patriarcha Cheikho: non enim Concilio scribendus est tractatus. Quaedam ab ipso desiderata habentur in Capite de Magisterio.

Ad IX:

Quod ad observationes spectat Exc.mi Perrin, primum dicetur de S. Scriptura et Patribus iam supra esse dictum. De unione autem Collegiali Episcoporum cum Papa in Constitutione reapse agitur et quae ibi habentur, si fieri potest, clarius annuntiabuntur. Quaestio historica de ordinatione sacerdotali, forsan olim a presbyteris facta, ad Concilium non spectat, cum hodie de doctrina hac in re certo constet.

Ad X:

Etiam Exc.mus Bernard loquitur de S. Scriptura et Patribus. Desiderat capita ampliora et solemniora. Capita autem videntur continere omnia necessaria. Quod vero ad modum loquendi solemniorem, qui etiam exoptatur ab Em.mo Card. Confalonieri, dubitari potest. Quando Episcopi loquuntur de semetipsis, id modo modesto et simplici faciant, maxime nunc quando in multis locis sparguntur voces Episcopos Romam venturos, ut sua iura contra centralismum Romanum vindicent.

Factis responsis generalibus, accedendum est ad observationes particulares, ex quibus multa hucusque dicta fusius illustrabuntur.

AD OBSERVATIONES PARTICULARES CIRCA CAPUT III: DE EPISCOPATU UT SACRAMENTO

Ad observationem factam ab Em.mo Döpfner circa definibilitatem doctrinae, solum hoc notetur, in Commissione Theologica neminem ex sex Patri-

— 32 —

bus O. P. vel minimam movisse difficultatem. Non opus est ululas Athenas ferre. De triplici autem potestate Christi iam antea sufficienter sermo fuit.

Ad n. 1.

Ad observationes Em.mi Ruffini dicendum est:

1) Quod Episcopatus sit Sacerdotii gradus simplici presbyteratu superiorem, clare in num. 1 dicitur.

2) Linea 4 non potest inter *docendi* et *gubernandi* poni *sanctificandi.* Nam dicitur potestatem docendi et gubernandi arcte coniungi cum potestate sanctificandi.

3) Si sacerdos simplex confert Sacramentum Confirmationis, collatio non per se est valida.

Ad lin. 5, pag. 3, Commissio Theologica revisoria proponit ut legatur: « ita instituit ut natura sua arcto vinculo », addito *natura sua,* quae verba errore typographico exciderunt.

Ad lin. 6-7 eadem Commissio Theologica proponit, ut loco verborum « in Sacramento ordinis collatae », accuratius scribatur: « quae in Sacramento ordinis confertur ». Saepius enim fit ut potestas docendi et gubernandi praecedat consecrationem.

Lin. 4-5, pag. 4, ad mentem Em.mi Léger scribatur: « Praeterea Episcopus *consecratus* ita charactere sacramentali *ordinis* ornatur... ».

Ob difficultatem motam ab Em.mo Browne, lin. 10-11 sic legendum videtur: « etiam *sola* vi Sacramenti suscepti presbyteris, *in hierarchia nempe Ordinis,* superiores esse ».

Commissio Theologica non potest accedere ad votum R.morum PP. Sépinski et Janssens ut omittantur verba de confirmatione. Si enim Episcopus recte applicet materiam et formam, semper valide confirmat, quod non valet de sacerdotibus.

Ad n. 2.

Observatio Em.mi Browne videtur nimis speciosa. In textu non dicitur « ex speciali collatione

— 33 —

R. Pontificis », sed « ex collatione R. Pontificis ». Si autem presbyter in Ordine religioso potest habere iurisdictionem ab ipso Praeposito Generali, ille Praepositus agit ex potestate sibi collata a S. Sede. Casus autem de simplici sacerdote vel etiam laico electo in Romanum Pontificem, qui ipsa acceptatione (non: electione) a Deo ipso accipit iurisdictionem, potest negligi ut prorsus exceptionalis. Sed lin. 20 scribi potest: « nisi, *directe vel indirecte,* ex collatione... ».

Additione « directe vel indirecte » videtur etiam satisfieri desiderio Exc.mi Alter. Cum hac enim additione propositio non videtur indigere argumentorum ex documentis patristicis vel ecclesiasticis depromptorum.

Ad observationes praevias circa Caput IV de Episcopis Residentialibus

In hisce observationibus nonnulla dicuntur quae iam antea in observationibus generalibus ad capita III-IV prolata sunt, quaedam autem nova.

Ad I-III:

Em.mus Câmara plura alia desiderat, quae sunt ordinis disciplinaris ideoque non intrare debent hanc Constitutionem. Facile quoque ab Em.mo Montini et duobus aliis purpuratis desideratur doctrina completa et organica de Episcopatu: sed Commissio Theologica, quae non proponere potest nisi certa, et abstinere debet a constructionibus pulchris quidem, sed tantum probabilibus, tali desiderio satisfacere nequit. Quare melius quoque videtur non mutare titulum, ut Em.mi Léger et König exoptant. Nam ubi agimus de Episcopis *residentialibus,* doctrina exacta et bene ordinata, exponi potest et reapse in schemate proponitur. Qui autem bene legit textum, videbit quam densus sit et plenus veritatum gravium.

— 34 —

Ad IV:

Em.mus Card. Confalonieri plura proposuit desideria, ad quae haec videntur observanda:

a) De Sacra Scriptura et Traditione iam diximus antea: attamen qui bene legit numerum primum videbit numerum illum esse veluti concatenationem textuum sacrorum, nec deesse solemnitatem. Mirum autem esse non debet caput, in quo agitur de iure divino constitutivo Ecclesiae, etiam indolem iuridicam prae se ferre; et gaudere debemus, quod, praecipue in Ecclesia latina, ob disputationes factas cum imperialistis protestantibus, episcopalianis et aliis huiusmodi, paulatim praeparatae sint formulae, quibus veritas apte et accurate exprimi queat. Accedit quod doctrina de Episcopis numquam clare videri potest, nisi in luce Synodus Vaticanae, agentis de Primatu Romani Pontificis.

b) Absque dubio initium sumi potest a Collegio, cum magno periculo ut ex notione Collegii et ex qualitate membri, omnia deducantur, pulchre quidem, sed sine illa certitudine, cum qua debet loqui Synodus universalis. In schemate autem proceditur ex iis quae hodie certo constant. Etenim: incipitur ab Episcopatu monarchico, clare exponitur quid possint ac debeant Episcopi singuli ut tales, ut culmen habeatur in doctrina de Episcoporum collegio eiusque potestate in Ecclesiam universam.

c) Verum est in Constitutione saepius affirmari iura Romani Pontificis, sed semper sub diverso respectu. Multi Episcopi sunt, qui rogaverunt clare exponeretur relatio Episcopos inter et Summum Pontificem. Non potest sermo fieri de correlativis, si siletur unum ex correlatis. Insuper in hisce temporibus, quibus ubique videtur insubordinatio, Episcopis carum esse debet publice demonstrare suam erga Sanctam Sedem subordinationem.

d) Verum est nos rationem habere debere mentalitatis fratrum nostrorum Orientalium. Et ut potea apparebit, hoc fiet suo loco in num. 2. Atta-

— 35 —

men si rationem eorum fratrum habemus, augemus potius dignitatem patriarchalem quam dignitatem episcopalem.

Ad V:

Agit Em.mus Döpfner de problemate quomodo potestas episcopalis ordinaria et propria concilietur cum iurisdictione universali ac immediata Summi Pontificis in universam Ecclesiam. Est autem problema iam in Vat. I solutum. Nam potestas duplex ordinaria et propria in eosdem subditos nullo modo problema est, si una potestas subordinatur alteri; et si bene prae oculis habetur distinctio inter validitatem et liceitatem actionis. Est etiam virtus prudentiae quam R. Pontifex exercere debet in regenda Ecclesia, haud aliter ac Episcopi in regenda dioecesi.

Haec ad verba introductoria. Ad singula autem haec dicenda videntur:

a) Clarissime dictum est Episcopatum esse iuris divini, etiam eius natura cum iuribus et obligationibus.

b) Ut iam antea dictum est, argumentatio quae fit ex magisterio universali Ecclesiae ad iurisdictionem Collegii Episcoporum etiam extra Concilium, est omnino illegitima.

c) Ut satisfiat desiderio Em.mi, Commissio Theologica in fine num. 3 proponet additionem, in qua dicetur, quod Episcopi regere debent ut partes Ecclesiae universalis, quod eheu saepius desideratur.

d) De difficultate omnia deducendi ex relatione *Collegii* episcopalis ad Romanum Pontificem, sufficienter dictum est.

e) Nullo modo in capite dicuntur, quae suspicationi ansam dant, quod Episcopi sint mere officiales vel delegati Pontificis. Exempla allata nil probant. E contra in Constitutione claris verbis dicitur, pag. 4, Episcopos regere « ut vicarios et legatos Christi ».

f) Desiderio Em.mi satisfiet in additione, pag. 10, ad num. 2.

— 36 —

g) Dicit Em.mus hodie generatim libenter agnosci Primatum Romani Pontificis. Transeat. Sed si rogatur, utrum *libenter* agnoscatur, Rom. Pontificem habere in omnes et singulas Ecclesias, in omnes et singulos Pastores et fideles proprie dictam episcopalem et ordinariam potestatem: Commissio Theologica ad illud *libenter* ponit punctum interrogationis. Sunt qui desiderant ut in hoc puncto Concilium Vaticanum I corrigatur.

Ad VI:

Quod si Em.mus Card. Alfrink asserit Constitutionem esse mere opinionem determinatae scholae et magis negativam quam positivam, negandum est unum et aliud. Ea quae dixerunt Kleutgen et Zinelli non ignota sunt Commissioni Theologicae; etenim redactor huius Capitis scripsit permagnum votum, in quo collegit omnia, etiam hucusque inedita, quae in Vaticano I de Episcopis dicta sunt. Non autem putandum est Patrem Kleutgen et Episcopum Zinelli repraesentare Vat. I. Accedit quod in verbis duorum praedictorum nil inest quod negetur a Commissione Theologica. Nam ut fiat decisio totius Collegii Episcoporum, uniti cum suo Capite, minime necessarium est, ut Papa eos localiter in eadem urbe congreget: idem facere potest multis aliis modis, etiamsi Episcopi localiter *dispersi* maneant. Accedit quod Em.mus non omnino recte reddit mentem Schematis: Si pag. 11 dicitur quod Episcopi non habent potestatem in universam Ecclesiam nisi ex collatione Romani Pontificis, agitur non de collegio Episcopali, sed de singulis vel de Episcopis congregatis in Concilio provinciali et aliis similibus; omnis enim potestas supra-episcopalis in Ecclesia est ultimatim a Summo Pontifice. Et quando in Schemate pag. 13 statuitur, quod potestas Corporis Episcopalis non nisi modo extraordinario ex iussu solius Capitis exercetur, non agitur de iure in se, sed de iuris exercitio: quod non est idem.

— 37 —

Ad VII:

Rogat Em.mus Coussa profundius studium de habitudine potestatis propriae et ordinariae collegii Episcoporum ad supremam, propriam, ordinariam Rom. Pontificis. Iustum desiderium. Sed non omnia possunt solvi a Commissione Theologica. Plura hac in re nondum sunt matura, v. g. nec Commissio putat se dirimere posse quaestionem disputatam de uno vel de duplici subiecto inadaequate distincto supremae potestatis. Quare Commissio voluit indicare lineas principales atque certas. Cur Patres non abundent iam satis dictum est. Et quod ubi agitur de rebus iuridicis clare definiendis etiam stilus fit aridior est obvium, licet omnino attendendum sit, ut defectus ille quantum fieri potest emendetur.

Ad VIII:

Em.mo Card. Bea notum sit haud pauca studia esse facta. Sed ut apparet v. g. ex definitionibus Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. M. V., veritas nonnumquam melius cognoscitur ex iis quae Ecclesia hodie docet quam ex fontibus sacris. Non sine ratione dedit Christus Ecclesiae S. Magisterium.

Ad IX:

Difficultas Exc.mi Patriarchae Maximos videtur provenire ex male intellecto textu non sat claro. Quod dicitur in num. 2 breviter ad hoc redit, quod successio formalis quae consistit in eo quod potestas legitima traditur, debet provenire a potestate supraepiscopali, quae in ultima instantia procedit a suprema potestate in Ecclesia: sive a Papa sive ab omnibus Episcopis unitis cum Papa. Sed fieri potest alia consideratio. Communis sententia est, quod Apostoli singuli ut tales habuerunt potestatem in universalem Ecclesiam, utique subordinatam Petro. Quare fieri potest, ut quidam modus tradendi potestatem episcopalem proveniat ab aliquo Apostolo.

— 38 —

Hac de causa textus num. 2 ita reformabitur, ut tum difficultatum Patriarchae, tum alterius habeatur ratio.

Ad X:

Ad difficultatem Exc.mi Lefebvre dicendum est quod principium solutionis datur in num. 3, pag. 11, lin. 8-11: videlicet quod omnis potestas supra-episcopalis sive personalis sive collegialis infrapapalis vel infraconciliaris est ex participatione potestatis Romani Pontificis.

Ad XI:

Desiderio Exc.mi Alter satisfiet in Capite de Magisterio.

Ad XII:

Exc.mus Hurley lamentatur de iuridismo et facit comparationem cum Constitutione de Matrimonio. Comparatio claudicat, maxime hodie, ubi plures Episcopi relinquunt primam sponsam et adhaerent alii. Sed ubi agitur de iure divino et de divina institutione Ecclesiae, etiam minima sunt maxima; usque ad iotam.

Ad XIII:

Quaestiones historicae propositae a R.mo Patre Sépinski dignae sunt studii serii, sed non proponi debent Concilio Oecumenico.

Ad XIV:

Plura proposita ab Exc.mo Dell'Acqua sunt optima sed ordinis disciplinaris. De ratione autem ab Episcopis reddenda agitur in num. 1 et de relatione singulorum Episcoporum ad totam Ecclesiam in n. 3.

— 39 —

Ad observationes particulares circa Caput IV: de Episcopis Resid.

Ad n. 1.

Proponit Em.mus Card. Ruffini ut pag. 4, lin. 4, post « legati Christi » addantur verba « in suis dioecesibus ». Videtur satis provisum verbis: « singulas sibi commissas Ecclesias ». Notetur insuper quod etiam nomades possunt habere Episcopos suo modo residentiales.

Verba pag. 6-7: « Omnis itaque Episcopus, etc. » remanere possunt. Nam quod valet de sacerdotio Aaronico, a fortiori valet de Sacerdotibus Novi Testamenti. Insuper dicitur « cf. *Hebr.* ... » addito « confer », quod significat verba non omnino ad litteram citari.

Ut satisfiat desiderio Em.mi Card. König legatur, pag. 5, lin. 1: « in unitate cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate »; et pag. 6, lin. 13-14: « punire possunt necnon aliquando debent, *etsi cum magna prudentia et in caritate* ».

Em.mus Card. Confalonieri pag. 5, lin. 1-2, praefert legere, secundum can. 108: « subordinate Romano Pontifici ». Notandum quod can. 329, par. 1, legitur: « Episcopi... cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis ».

Em.mus König rogat cur in schemate nihil dicatur de territorio. Ratio est quia grex est magis biblice dictum et insuper in eodem territorio possunt esse duo Episcopi diversi ritus, immo nomades possunt habere veros Episcopos.

Ad n. 2.

Ut satisfiat desideriis variis expressis a pluribus Cardinalibus: ut mutetur titulus, melius appareat nexus inter potestatem Ordinis et iurisdictionis, satisfiat desideriis Orientalium, Commissio Theologica revisoria proponit sic legendum:

— 40 —

« 2. [*Primatus et Episcopatus*]. Etsi sacra ordinatio summi gradus sacerdotii natura sua ad exercitium iurisdictionis episcopalis ordinatur, tamen Episcopi iurisdictionem suam actualem non ipsa ordinatione sacra, sed missione iuridica, et quidem non ab Ecclesia, ut est congregatio fidelium, vel a fidelibus etiam quam plurimis congregatis, neque a potestate civili, sed a regimine Ecclesiae supremo accipiunt.[7] Quae missio fieri potest per legitimas consuetudines, a suprema et universali potestate Ecclesiae non revocatas, vel per leges ab eadem auctoritate latas vel agnitas, aut directe per ipsum Successorem Petri, quo renuente ergo Episcopi in officium assumi nequeunt, et a quo etiam deponi, transferri, restitui possunt.[8] ».

In nota 7 autem, omissis intermediis, legatur: « Non agitur expresse de quaestione an potestas singulorum Episcoporum sit immediate a Deo an a suprema potestate Ecclesiae ».

Praecedentibus videtur etiam satisfactum optatis Em.mi Confalonieri; et ad mentem eiusdem legatur, pag. 9, lin. 1-2: « Romani Pontificis, ut ipse *exercitium* eorum iurisdictionis ordinariae ampliare... ».

Desideriis expressis ab Em.mo König de collegialitate et natura divina Episcopatus providebitur in num. 3 et num. 4.

Exc.mus Patriarcha Maximos accusat Commissionem Theologicam insinuationum tendentiosarum. Notandum quod in documentis Ecclesiae nonnulla apertis verbis docentur, alia magis implicite. Quod autem Episcopi immediate accipiunt potestatem a Summo Pontifice, Pius Pp. XII bis explicite docuit: tum in Encycl. *Mystici Corporis,* tum die 18 febr. 1942 in allocutione ad parochos, et hac in re potest provocare ad Tertullianum (*Scorp.* 10), Optat. Milev. (*De Schismate Donat.* 8, 3), S. Ambrosium (*Epist.* 11, 4), S. Leonem Magnum (*Epist.* 42), Innocentium I (*Epist.* 29, 1), Benedictum XIV (*De Synodo,* I, cap. 4, n. 2), qui suo tempore iam loquebatur

— 41 —

« de rationi et auctoritati conformiore sententia ». Vide etiam Pium VI (*Super soliditate,* 28 nov. 1786: Denz. 1500). Accedit Aquinas (*Summa Theol.* II-II, q. 39, art. 3 et *in Mat.* cap. 16, n. 2, in fine) et S. Robertus Bellarminus (*De Romano Pontifice* IV, 24), ut mittam alios.

Secundae observationi Patriarchae satis provisum est novo initio num. 2. In tertia observatione notat Patriarcha potestatem Papae non esse arbitrariam. Sed haec arbitrarietas non tangit quaestionem *validitatis,* sed *liceitatis.* Si Papa omnino arbitrarie diminuit exercitium potestatis Episcopi, valide agit, sed rationem reddere debebit Deo. Haec etiam valent suo modo pro Episcopis. Sed non videntur tangenda in Constitutione.

Dicit Patriarcha et consentit R.mus P. Sépinski, immo consentit Commissio Theologica revisoria, verba allata pag. 10 S. Gregorii Magni ex epistola ad Eulogium post praecedentia esse fere ironiam; hac de causa ut illa ironia tollatur et etiam satisfiat desideriis Em.mi Card. Döpfner antea expressis, Commissio Theologica proponit ut in fine pag. 9, lin. 3-6, et in initio pag. 10 legatur:

« ... Habet enim Romanus Pontifex super omnes alias ordinarias potestates principatum, et potestatem iurisdictionis immediatam et episcopalem, *cum in omnes et singulas ecclesias,* tum in omnes et singulos pastores atque fideles. Longe autem a vero aberrant, qui asseverant, Episcopos habere tantum delegatam potestatem, non vero ordinariam, ipsi officio episcopali coniunctam; vel per potestatem supremam pontificiam aboleri vel absorberi vel auferri posse ipsam Episcoporum potestatem; vel eam non esse iuris divini atque reapse propriam, ideoque eam ad ipsius Ecclesiae constitutionem non pertinere, sed in aliud mutari posse. Minime igitur auctoritate Vicarii Christi iura Episcoporum minuuntur, cum e contra a supremo et universali Pastore asserantur, roborentur et vindicentur secundum illud sancti Gregorii... ».

— 42 —

In fine notae 9 legatur: Quod iurisdictionis ordinariae exercitium Episcoporum ampliari vel restringi potest, probatur ex legibus communibus quibus limitatur, probatur exemptionibus, etc.

Pag. 10 ad notam 10 addatur: *C.I.C.* can. 218, § 2.

Ad n. 3.

Ad observationem primam generalem Em.mi Ruffini respondeatur, quantum sinit humana fragilitas, in numeris 3 et 4 provisum iri desideriis expressis. Ad alteram observationem dicendum est collegium Episcoporum habere sine interventu speciali S. Pontificis non exercitium quidem iurisdictionis in totam Ecclesiam, attamen obligari ad sollicitudinem pro Ecclesia vi Episcopatus. Quae sollicitudo maxime apparet in eo quod ad puritatem fidei attendunt, et regunt suam ecclesiam, ut partem totius Ecclesiae, igitur in harmonia cum aliis Ordinariis.

Ad observationem Em.mi Card. Confalonieri qui pag. 12, lin. 2-3 vult legere: « quae quidem potestas iurisdictionis non est, *sed soliditatis robur* » dicendum est additionem esse pulchram, sed ambiguam, et false intellegi posse, ut patet ex casu ipsius Cypriani. Quare proponit Commissio Theologica ut legatur, pag. 12, lin. 3:

« ... attamen *non sine quadam responsabilitate in communione fraterna* summopere confert ad Ecclesiae universalis emolumentum... et deinde ut in fine numeri addatur:

Maxime autem bene regendo propriam suam ecclesiam ut partem Ecclesiae universalis, ad bonum totius Mystici Corporis, quod teste S. Basilio etiam est Corpus Ecclesiarum,[15] contribuunt ».

Ideoque in nova nota 15 scribatur: « [15] S. Basil., *In Isaiam* 15, 296: *PG* 30, 637, collato S. Gregor. Magn., *Moral.* 4, 7, 12: *PL* 75, 643. Similia apud Clementem Alexandrinum, Cyrillum Alexandrinum, Iohannem Damascenum, alios ».

Observationis Em.mi Card. Coussa ratio iam

— 43 —

habita est in nova redactione num. 2, et insuper pag. 11, lin. 11, loco « ex collatione Romani Pontificis », legatur: « ex participatione potestatis Romani Pontificis ». Nam quidquid est de collatione, omnis potestas supra-episcopalis est participatio quaedam Primatus Petri.

Observationi Em.mi Card. Jullien iam responsum est in responsione ad observationem Em.mi Confalonieri. Quod ad observationes Exc.mi Patriarchae Maximos attinet:

1) De Christo fundamento iam uberrime dictum est in cap. I de natura Ecclesiae, sed utiliter legi potest, pag. 11, lin. 5: « Est successor Petri, *ut ipsius Christi vicarius* ».

2) Alterius observationis iam ratio habita est legendo lin. 11, pag. 11: « participatione », non vero « collatione ».

3) Quae dicuntur a Patriarcha in fine, videntur ignorantia elenchi. Nullo modo dicitur in Constitutione, quae afferuntur a Patriarcha.

Ad n. 4.

Ad observationes Em.mi Card. Frings respondere liceat:

1) Ubique in hoc numero, tum in titulo, tum in textu, lin. 3, 7, et pag. 14, lin. 2, 3, 5, loco « Corporis » dicetur « *Collegii* ».

2) In hoc numero loquitur de iurisdictione, postea agetur de Magisterio. Non igitur expedit hoc loco mutatio ab Em.mo facta.

3) Verba pag. 13, lin. 8: « ex iussu solius Capitis et ad nutum exclusivum eiusdem exercetur », sunt absolute vera, et uti iam diximus, bonum est nostris temporibus, ut Episcopi, de semetipsis loquentes, exemplum dent suae subordinationis. Si verba videntur nimis cruda, forsan dici potest: « et in perfecta subordinatione ad Iesu Christi Vicarium in terris, quando, quomodo et quousque eidem id in Domino videtur expedire, legitime exercetur ».

4) Non videtur dici posse quod Collegium

— 44 —

Episcopale potestatem suam modo ordinario exerceat, ut apparebit ex responsione ad considerationem factam ab Em.mo Card. Siri.

Card. Siri exercitium quoque ordinarium deducere vult ex duplici fonte. Primo, ex sic dicto magisterio ordinario Ecclesiae. Ut iam antea dixi, non habetur exercitium potestatis magisterialis collegii episcopalis ut talis, sed ex eo quod singuli in suis ecclesiis magisteriali potestate idem docent, collegium episcopale pro tota Ecclesia fit *testis* infallibilis veritatis. Quod non est idem. Nec regit argumentum ex Collegio Apostolorum. Apostoli, ut apostoli, habuerunt potestatem aliquam universalem in Ecclesiam quam Episcopi non possident.

Desiderio primo Em.mi Confalonieri satisfiet, dicendo lin. 7, pag. 13: « *etsi ordinaria, utpote officio inhaerens* ». Quod autem verba ultima « assumptus sit » spectat, ea electa sunt ut melius porta aperiatur etiam Episcopis non residentialibus.

Ad observationem Em.mi König de incipiendo a Collegio episcopali iam saepius dictum est. Etiam secundae observationi satisfactum dicendo: « etsi ordinaria, utpote officio inhaerens ». In nota verum 16, nunc 17, non dicitur quod institutum non sit permanens, sed quod actio ut actio iuridica non sit permanens. Melius autem dicatur: « ex institutione divina permanens ».

Non placet Commissioni Theologicae legere cum Em.mo Coussa, pag. 13, lin. 7-8 « ad normam iuris ». Non agimus de iure positivo, sed de iure divino immutabili. Argumentum quoque ex primis Conciliis oecumenicis contra verba « ex iussu et ad nutum Capitis », non valet. Maior pars primorum Conciliorum non erant proprie oecumenica, nisi considerentur in termino.

Ut satisfiat desiderio Em.mi Card. Browne et simul Patriarchae Maximos, Commissio Theologica proponit ut pag. ultima loco « directe vel indirecte », legatur « *dedita opera vel consensu tacito* ». Verba « explicite vel implicite » nimis sapiunt scholam.

— 45 —

Quia in num. ultimo tot ac tantae correctiones factae sunt, ut prae arboribus iam silva non videatur, Commissio Theologica addita quoque allusione ad magisterium universale, sic definitive legendum proponit:

« 4. [*Collegium Episcoporum*]. Collegium Episcoporum, quod Collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo collegium Apostolorum continuo perseverat, et de missione Iesu Christi eiusdemque doctrina et legibus continuo testatur, una cum capite suo, Romano Pontifice et numquam sine hoc capite, unum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur.[16] Potestas tamen huius Collegii, etsi ordinaria utpote officio inhaerens, non nisi modo extraordinario [17] et devota subiectione ad Iesu Christi vicarium in terris, quando, quomodo et quousque eidem id in Domino videtur expedire, legitime exercetur.[18] Quod vero ad constitutionem augusti huius Collegii attinet, omnes Episcopi residentiales in pace cum Sede Apostolica viventes suo iure eiusdem membra sunt,[19] et nemo Episcoporum, sive residentialium sive aliorum, ad hoc Collegium pertinere potest, nisi dedita opera vel tacito consensu a Successore Petri, Christi Vicario et Capite Collegii in idem assumptus sit.[20] ».

AD OBSERVATIONES CIRCA CAPUT V DE STATIBUS EVANGELICAE ACQUIRENDAE PERFECTIONIS

Ad observationem generalem factam ab Em.mo Jullien, Exc.mis Perrin et Felici, respondendum est, ob rationes saepius allatas, omnino requiri ut constitutiones dogmaticae separatae maneant a disciplinaribus et mere pastoralibus.

Ad n. 1.

Desideriis Em.mi Montini uberrime satisfactum est in Constitutione de Ordine morali, maxime in sua redactione emendata.

— 46 —

Ad n. 2.

Lin. 12, ad mentem Em.mi Ruffini, legatur « *multos* » ubi erat « fideles ».

Lin. 15-16, secundum placita Exc.mi Jelmini, scribatur: « *unde* ipsorum et apostolatus roboratur et meritum geminatur ».

Lin. 25-27, inverso ordine, ut desiderat Exc.mus Jelmini, et scribendo « *saepe quoque* », ut vult Em.mus Léger, ubi erat « etiam », sic scribatur: « sive oratione et contemplatione, sive labore apostolico, sive operibus misericordiae spiritualis et corporalis, saepe quoque in vita ducenda communi... ».

Non placet primo loco poni contemplationem et dein orationem: tolleretur climax.

Lin 28, legatur, ut desiderat Em.mus Ruffini cum aliis: « *clarius* exprimere cupiunt », addita nempe voce « clarius ».

Pag. 5, lin. 7 ad mentem eorumdem expungatur « quodammodo » et substituatur: « *in dies melius* ».

Ad n. 3.

Pag. 6, lin. 1-3, scribatur ut proponunt Em.mus Card. Valeri et R.mus P. Sépinski: « Haec observatio melior est ex voto quam ex promissione, cum ligamine perpetuo quam cum vinculo temporaneo assumpta... ».

N. B.: Tollantur pag. 5, lin. 25, et pag. 6, lin. 22, illa 1) et 2), utpote nimis scholastica.

Pag. 6, lin. 16, scribatur, ut desiderat Em.mus Léger: « *ut falsas declarat* ».

Non potest Commissio Theologica accedere ad lectionem novam propositam ab Em.mo Léger de « exemptione aeterna », ne videamus tangere potestatem Romani Pontificis.

Ut satisfiat quantum fieri potest variis desideriis, diversimode a variis expressis, proponit Commissio Theologica ut pag. 7, lin. 1-6, scribatur:

« Attamen etiam exempti ut tales Ordinarios locorum revereri debent in officio ecclesiastico ex peculiari suae vitae forma defluente adimplendo. Illud enim in eo est, ut... ».

— 47 —

Hac redactione: 1) non intramus in disciplinaria; 2) diximus: « exempti ut tales », quia non raro fit ut exempti inserviunt Ordinario ut parochi vel cooperatores: ut huiusmodi plane subiecti sunt Ordinario loci; 3) omisimus « iuxta mentem ipsius Romani Pontificis atque legum proprii instituti mensuram »: non enim sunt necessaria.

Pag. 6, lin. 3, loco « temporali », ut recte observavit Exc.mus Jelmini, scribendum est « *temporaneo* ». Idem Exc.mus vult ut eodem loco addatur « publice quam privatim ». Res fuit disputata in Commissione Theologica, et verba fuerunt omissa ob quaedam dicta a Pio Pp. XII. Quia Exc.mus Jelmini unicus est, qui additionem desiderat, melius videtur ut textus maneat ut iacet.

Ad observationes factas circa Caput VI de Ecclesia, quod est de Laicis

Ad observationes generales.

Observationes generales ad sequentia reduci possunt:

1) Em.mus Card. Pizzardo dolet cum aliis nil dici de actione catholica. Contrarium est verum: de ea agitur in num. 6, pag. 8, sub *b*). Non tamen adhibetur ibidem vox « actio catholica », quia diversis temporibus aliter adhibita et etiam nunc sub lite iacens.

2) Rogatur ut decretum uniatur cum decretis factis a Commissione pro Laicis. Quod videtur omnino repudiandum. Clare debent separari dogmatica a disciplinaribus. Rogatur ut laudentur laici. Summa laus est quod suum locum obtinent in Constitutione de Ecclesia.

3) Ex una parte Exc.mus Šeper cum pluribus aliis laudat decretum, quia numquam in alio tam pulchre et compendiose de laicis dictum est. Ex al-

— 48 —

tera parte schema dicitur, etsi in eo optima dicantur, non satis solemne, nimis breve et incompletum. Commissio Theolog. autem putat a multis laicis modernis non amari nimiam solemnitatem; nec potest scribere tractatum completum, sed debet ponere fundamentum pro iis quae proponuntur a Commissione pro Laicis. Certe non potest agi de variis formis quibus Actio Catholica exercetur.

4) Rogatur ut maior laus tribuatur laicis. Commissio Theologica huic desiderio satisfaciet, cum moderamine tamen. Nam tunc et alii laudari debent; maximopere sorores nostrae religiosae, quarum devotio et zelus apostolicus non solum exemplum est laicis, sed etiam sacerdotibus et Episcopis.

5) Commissio Theologica non sine mirore quodam audivit de laicis agi in *Codice Iuris Canonici* tantummodo can. 682. In codice permulta inveniuntur in quibus agitur de iuribus et officiis fidelium: tam laicis quam religiosis et sacerdotibus.

Ad n. 1.

Quia Exc.mus Šeper cum aliis putat lin. 6 vocem « igitur offendere logicam, nec statim inchoandum esse ab officiis, Comm. Theol. proponit ut lin. 6-7 legatur: « In ea omnibus fidelibus onus honorificum incumbit adlaborandi, ut divinum salutis... ».

Ut satisfiat iustae observationi Exc.mi Jelmini, legatur lin. 21: « ut totum onus aedificandi corporis », addito « *aedificandi corporis* ».

Ad n. 2.

In observationibus generalibus 17 Commissarii rogaverunt, ut textus revideatur « attentis votis Em.morum et Exc.morum Patrum ». Quam difficile hoc sit patet ex observationibus circa duplex sacerdotium. Plures putant vel non loquendum esse de duplici sacerdotio vel saltem magis urgendam essentialem differentiam. Alii insinuant sacerdotium universale et hierarchicum non essentialiter, sed gradu tantum differre. Card. autem Cento putat non esse

— 49 —

periculum loquendi de utroque sacerdotio, si bene distinguuntur: unum, i. e. ministeriale ut verum et proprium; aliud, i. e. universale ut analogicum. Certe ii omnes qui desiderant ut hoc caput habeat formam solemniorem, aegre ferent si non explicite de sacerdotio universali agatur, in quo casu optimum videtur consilium R.mi Abbatis Gut, ut de duplici sacerdotio expressius sermo fiat.

Proponit ergo Commissio Theologica ut legatur, p. 4, lin. 17-20:

« Hoc in corpore omnia quidem membra baptismate et confirmatione Christo Sacerdoti ita dicantur, ut oratione, eleemosyna et abnegatione sui Deo spiritualia sacrificia offerant, atque poscentibus rationem reddant de ea quae in nobis est spes salutis aeternae (cf. *I Petr.* 3, 15), immo in Sacrificio Missae Corpus Christi, verbis consecrationis in altare positum, per manus ministri sacrificantis Deo offerant; attamen in eodem corpore proprii quoque nominis sacerdotes sunt, qui sacramento ordinis consecrati, pro hominibus in iis... exercent ».

In hac nova redactione:

1) Clarius apparet quod sacerdotium universale convenit omnibus fidelibus, laicis et hierarchicis.

2) Exprimitur sacerdotium *metaphoricum* oratione, eleemosyna, ieiunio, sacrificiis nempe spiritualibus, de quibus S. Scriptura abundat.

3) Exprimitur deinde sacerdotium *ratione doctrinae* (cf. *Mal.* 2, 7).

4) Exprimitur tertium sacerdotium *analogicum* ratione oblationis in Sacrificio Missae. Laicus non *sacrificat* sed *offert*. Haec oblatio autem comparata cum oblatione sacerdotis est analogica, utpote in suo esse totaliter ab oblatione sacerdotis dependens.

5) Clare dicitur quod sacerdotes hierarchici sunt proprio nomine sacerdotes. Indirecte hoc negatur de laicis.

6) Sacerdotium universale et hierarchicum ita essentia differunt, ut Sacramentum baptismi et ordi-

— 50 —

nis. Minime sacerdotium confundendum cum charactere, quod perdurat in damnatis et ideo est signum praeternaturale, non proprie supernaturale in anima. Sed etiam characteres licet in notione generica conveniant, differentia specifica essentialiter differunt.

Ad n. 3.

Comparatio cum sacerdotibus et laicis non solummodo est utilis, sed etiam necessaria, quia omne quod habet laicus etiam habent religiosi et sacerdotes. Nil tamen obstat ut accipiatur formula ab Em.mo Léger proposita, dummodo dicatur « in saeculo commorante *solis* communibus normis vitae christianae reguntur ». Si non additur « solis », definitio valet etiam de clero saeculari. Legatur igitur lin. 4-12:

« 3. [*Quinam nomine laicorum veniant*]. Sacrosancta Synodus hic sub nomine laicorum intellegit fideles, qui baptismate ad populum Dei appositi, attamen in saeculo commorantes, solis communibus normis vitae christianae reguntur. Animum scilicet dirigit ad fideles illos, qui neque ad sacerdotium hierarchicum, neque ad statum religiosum, ab Ecclesia sancitum, *ex populo Dei* vocati sunt, sed peculiari modo per opera quoque saecularia... ».

N. B.: Loco « ab Ecclesia » scripsimus « *ex populo Dei* », quia verbis « ex populo Dei » non attingimus quaestiones disputatas, et melius obtinemus, quod intendit Em.mus Card. Léger. Omisimus ex redactione Em.mi Léger verba « quique communi conditione a caeteris hominibus non distinguuntur », quia idem iam positive dictum fuit in praecedentibus, et verba provocant confusionem.

Quod spectat ad lin. 14-17, desiderat Em.mus Léger, ut prius dicatur de sanctificatione mundi, deinde de malitia mundi oppugnanda. Idem, ni fallitur Commissio Theologica obtinetur scribendo lin. 16 « *immo* vocatione », loco « et vocatione ».

Non placet suggestio Em.mi Browne, ut lin. 7

— 51 —

scribatur « statum clericalem », et non « sacerdotium ministeriale ». Agimus enim de laico theologice considerato... Non videtur autem quomodo per meram tonsuram aliquis theologice a mere fidelibus distinguatur. Idem valet de ordinibus minoribus. Quodsi v. g. S. Concilium satisfaceret desiderio plurium, ut membra Actionis Catholicae acciperent tonsuram vel aliquem ordinem inferiorem, manerent sensu theologico laici ut alii.

Ad n. 4.

Quia Em.mus Suenens et Exc.mus Šeper desiderant ut dicatur fusius de iuribus, Commissio Theologica proponit ut post lin. 20 addatur:

« Ius habent, ut secundum capacitates suas opus salutare Ecclesiae etiam operose participent. Ius habent ut de fide sua verbo et scriptis testimonium reddant ».

Nulla videtur ratio, ut lin. 23 illud « reverenter » tollatur. Haud raro hodie deficit reverentia.

Pag. 6, lin. 14, Em.mus Ruffini obicit contra illud « suo modo ». Videtur retinendum: nam ille modum in antecedentibus est sufficienter explicatus.

Ad n. 5.

Licet hodie vox « *apostolatus* » sensu quodam valde elastico in improprio adhibeatur, tamen quia versamur in Constitutione *dogmatica,* omnino commendatur, ut desiderat Em.mus Card. Léger, adhibere vocem apostolatus non nisi in sensu proprio. In hunc sensum mutatur totus num. 5, sic legendo: (loco lin. 21-33):

« 5. [*De vita salutifera Ecclesiae a laicis active participata*]. Cum teste Apostolo (*Eph.* 4, 16) Ecclesia corpus compactum et connexum sit per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, etiam laicis collaborandum est, ut totum corpus augmentum faciat in aedificationem sui in caritate. Immo eorum operositas, licet nec auctoritatem pastorum

— 52 —

implicet, nec peculiarem vitae statum religiosum ferat, tamen ex eodem fonte fluit ac omnis operositas in Ecclesia, sive nobilior sit, sive humilior; ex superabundantia nempe gratiarum Christi Capitis. Gratia enim Christi, caritas Dei et communicatio Spiritus Sancti (cf. *II Cor.* 13, 13) omnes fideles attingit, eosque ad activitatem in totius Corporis Mystici bonum et incrementum impellit ».

Pag. 6, lin. 34, ob rationes modo expositas, legatur non « missio » sed « *socius labor* ».

Optime dicit Em.mus Ruffini ea, quae dicuntur pag. 6, lin. ultima, et pag. 7, lin. prima, valere de omnibus fidelibus, etiam non laicis! Optime: et hac de causa valent etiam de laicis, sicut antea notavimus de Sacerdotio universali.

Pag. 7, claritatis causa legatur lin. 2-4: « Laici proinde *in Ecclesia* non exclusive curis temporalibus deputantur, sed pretiosissimam *in ea* actionem exercent ».

Ea quae leguntur pag. 7, lin. 11-16 de matrimonio, maneant ut iacent. Aliis etiam quae desiderat Exc.mus Jelmini provisum est in Schemate *de Castitate, Matrimonio,* etc.

Eadem pag., lin. 30, corrigatur error et legatur « *exeant* », non vero « exeat »: refertur enim ad *activitas* et *progressus.*

Lin. 31-32 corrigatur exaggeratio et legatur moderatius: « ob statum suum laicalem principem locum occupant ».

Pag. 8, lin. 4, legatur: « *ad universalem progressum* in christiana libertate conferant ».

Ad n. 6.

Ob rationes expositas legatur lin. 13 in titulo: « *De collaborationis laicorum principalibus formis* », et numerus incipiatur sic: « Socia laicorum operositas, spectata... ».

Eadem de causa scribatur lin. 19: « *collaborationis* », non vero « apostolatus ».

Pag. 8, lin. 28 ss., sermo fit de ea re, quae

— 53 —

hodie vocatur Actio Catholica. Ut clare appareat in hac forma collaborationis haberi proprie dictam missionem et proprie dictum apostolatum, legatur lin. 32: « missione canonica, *qua accepta laici participant apostolatum hierarchicum Ecclesiae. Ideo...* ».

Pag. 9, lin. 1 fiat post « opera missionalia » additio et legatur: « sive ad promovenda opera missionalia, *sive ad alia bona, quae altare tangunt, obtinenda vel confirmanda* ». Additio requiritur, tum quia enumeratio praecedens est incompleta, tum ad indicandum actionem catholicam idem obiectum habere atque actionem Ecclesiae, quae potest ut obiectum habere etiam materiam mixtam, ut sunt v. g. scholae, et res temporales quatenus tangunt religionem.

Quia ut recte observat Em.mus Suenens, actio caritative distinguenda est, lin. 1 incipiatur a capite cum verbis: « Cum vero pia Mater Ecclesia non solum verbo, sed etiam exemplo... ».

Quia Em.mus Ruffini recte notat actionem socialem Ecclesiae procedere etiam ex caritate, legatur lin. 11: « digno vivere valeant, Ecclesia, *miserens super turbas* (cf. *Mc.* 8, 2), ius et officium habet... ».

N. B.: Quae in num. 6 habentur non pertinent ad Commissionem de Laicis, quia ea tantum recapitulantur, quae fluunt ex ipsa constitutione divina Ecclesiae.

Ad n. 7.

Ut desiderat Em.mus Léger, legatur in titulo numeri: « *De sana autonomia civitatis terrenae* ».

Pag. 10 ad mentem Exc.mi Jelmini corrigatur textus et legatur, lin. 4-5: « separationi *earundem* vel immo », addito « earundem ».

Nil obstat ut etiam lin. 8-9 loco verborum « probari potest sana quaedam laicitas » legatur: « *probari debet indoles laica* ».

— 54 —

Ad n. 8.

Ut fiat laudes, ut initio promissum est, attamen cum debito moderamine, inchoetur numerus ultimus hoc modo:

« Sancta Synodus, sibi cum magna gratitudine conscia de ingentibus bonis, etiam ope laicorum ad continuam Corporis Christi aedificationem obtentis, omnes utriusque sexus fideles... ».

Mutationes faciendae in Commentario.

Ob mutatum textum quaedam mutationes fieri debent in addito commentario:

Pag. 11, n. 2, legatur in fine primae paragraphi: « hostiam spiritualem, cum metaphoricam tum eucharisticam offerendi, et testimonium ferendi. Est insuper textus sic redactus, ut appareat indoles tum metaphorica, tum analogica sacerdotii universalis ».

In eiusdem n. 2 § 3, tollantur lin. 2-4: « Quaestio utrum... non dirimitur ».

Ibidem, lin. 10, legatur: « aliqua mediatio, instructio fidelium (cf. *Mal.* 2, 7), etc. ».

Pag. 12, n. 4, lin. 2, legatur: « Ius habent *inter alia,* ad media ».

Pag. 13, n. 5, in titulo legatur « collaborationis » non vero « apostolatus ».

Pag. 14, n. 6, in titulo fiat eadem mutatio. N. 6, § 3, lin. 3-6 sic legatur: « huiusmodi in quattuor categorias generales distribuuntur, ex quibus oriuntur formae mixtae ».

Num. 6, § 4, lin. 5, incipiatur a capite et legatur: « Secunda series spectat ad opera misericordiae, quae inalienabiliter conveniunt Ecclesiae, quia praedicationem evangelicam in actu constituunt ».

Num. 7, pag. 14, mutatio titulo delatur: « De sana autonomia Civitatis terrenae ».

Ibidem lin. 2-3 tollantur verba: « secundum terminologiam a Pio XII habitam ».

Pag. 15, ut patet, expungatur *N. B.*

— 55 —

* * *

His omnibus perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis edicere an textus schematis huius Constitutionis (capp. I-VI) sit sufficienter emendatus vel minus; et, quatenus negative, an et quaenam adhuc desiderentur emendationes.

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS CONSTITUTIONIS
DE ECCLESIA
Pars II

ET

DE EMENDATIONE SCHEMATIS CONSTITUTIONIS
DE BEATA MARIA VIRGINE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

— 3 —

De emendatione schematis constitutionis
DE ECCLESIA
(Pars II)

I

Responsio ad observationes generales circa caput VII, de Magisterio

1. Non defuerunt Commissarii, qui caput de Magisterio, etsi perfectibile, affecerunt laudibus. E.mus autem Card. Frings rogat, num necessarium sit omnia haec statuere in Concilio, dum melius esset plus sermonem facere de bonitate Dei et persona Iesu Christi.

Respondendum est, Commissionem Theologicam omnes has quaestiones pertractasse, tum quia id desideratur a multis pastoribus, tum quia in hac materia non desunt errores, tandem quia hodie quodvis magisterium ordinarium a multis flocci habetur. Duodecim Episcopi, qui sunt membra Commissionis Theologicae, minime putaverunt caput de magisterio esse superfluum vel abbreviandum.

Immo, si bene legimus, E.mus Cardinalis voluerit, ut tota Constitutio de Ecclesia limitaretur ad tria: definitionem Ecclesiae, relationem inter Papam et Collegium Episcoporum, relationem Ecclesiam inter et Statum. Attamen dubitari nequit, quin hoc modo contradicatur votis multorum Patrum.

2. Omnino autem diversae opinionis est E.mus Card. Döpfner, cum quibusdam aliis exsistimans totam doctrinam Capitis retinendam esse, adhibito modo loquendi magis paterno, quod certe suis locis fieri potest, maxime in capite de auctoritate.

Mirum sane est, si credimus actis missis ad Commissionem Theologicam, quinque Commissarios consentire, tum E.mo Frings, tum E.mo Döpfner.

— 4 —

3. Etiam E.mus Card. Liénart desiderat, ut Caput de Magisterio decurtetur et de novo non sine mirore audimus eidem adhaerere E.mum Card. Döpfner cum suis.

E.mus Liénart leviter irritari se fatetur ob iteratam instantiam ad auctoritatem Summi Pontificis. Iam in responsione ad partem primam Const. de Ecclesia de hac re sufficienter dictum est; et deinde difficulter sermo fit de rebus correlatis, si unum ex correlatis silentio praeteritur. Nec valere videtur iterata allusio ad Episcopos Orientales, quippe qui subiecti sunt suis Patriarchis, quorum potestas nil aliud est nisi quaedam participatio potestatis primitialis Romani Pontificis.

4. E.mus Card. McIntyre desiderat, ut schema condensetur; quod idem saepe voluit Secretarius Commissionis Theologicae. Sed si tantopere tum ab Episcopis Commissionis Theologicae, tum a membris Commissionis Centralis urgetur dictio paterna et pastoralis, difficulter fieri potest condensatio, quae secum ferret breviorem scholae loquendi rationem: ut apparuit clare ex observationibus factis circa caput de Episcopis residentialibus, quod reapse est condensatum.

5. Em.mus Câmara desiderat additionem: videlicet Episcopos, maxime si sunt unius regionis vel nationis concordare debere inter se. Licet lamentatio non serio careat fundamento, ad Commissionem Theologicam non spectat, quae tamen in capite de Episcopis residentialibus statuit principium, dicendo scilicet Episcopos regere debere suam dioecesim ut partem totius Ecclesiae.

6. Quia versamur in rebus generalioribus, iuvat heic expedire quaestionem, quae saepius redit in num. 2, videlicet de Magisterio *authentico non infallibili.*

Illud magisterium competit Romano Pontifici,

— 5 —

munere ordinario loquenti sive per se sive per organis magisterialibus, sed etiam singulis Episcopis distributive pro suis subditis. Minime autem ex fallibilitate huius magisterii (maxime in singulis Episcopis) concludi potest ad fallibilitatem vel infallibilitatem non absolutam illius ordinarii et universalis magisterii Ecclesiae, de quo loquitur Conc. Vaticanum primum (Denz. 1792), sicut videntur suggerere E.mi Browne et König. Magisterium autem authenticum, etiam non infallibile, postulat obsequium voluntatis et intellectus: voluntatis, quia agnoscere debemus illud magisterium, utpote nomine Christi docens (Episcopi sunt vicarii Christi pro suis subditis); intellectus quia debemus dare assensum in veritatem propositam, licet non absolutum: ut in humanis quotidie fit et quotidie fieri debet, ubi adest quidem *possibilitas* erroris, nulla autem veri nominis *probabilitas.*

7. Tandem Commissio Theologica gratias agit R.mo Patri Sépinski, de erroribus typographicis suis locis diligenter correctis.

II

Responsio ad observationes particulares circa idem Caput VII, de Magisterio

Ad n. 1.

1. Pag. 3, ad lin. 6, E.mus Card. König desiderat ut specificetur illa « indefectibilitas ». Hoc nondum potest fieri hoc loco uno verbo: fit autem in sequentibus.

2. E.mus Card. Léger desiderat, ut lin. 10 in fine primae pericopae clare enuntietur finalis ratio magisterii Ecclesiae. Quare Commissio Theologica Revisoria proponit, ut ad mentem E.mi addatur: « Indefectibilitas igitur magisterii authentici idcirco Ecclesiae data est, ut indefectibilitas totius Ecclesiae, a Deo promissa, in tuto collocaretur ».

— 6 —

3. Ad lin. 13-15, E.mi LÉGER et DÖPFNER volunt additionem de evangelio praedicando omni creaturae. Attamen rei iam provisum est in lin. 2-3, et insuper in verbis « fideliter exponat » continetur praedicatio Evangelii et amplius. Quare additio videtur non necessaria.

4. Ad lin. 6-7, pag. 4, E.mus KÖNIG iure observat, fideles in re fidei non tantum passive sese habere, sed etiam active. Quare Commissio Theologica proponit ut lin. 4, post « apte intellegant », addatur: « in utrosque, ut de fide sua testimonium reddant ».

Idem Cardinalis exoptat ut lin. 16-17 explicentur verba Lirinensis: « eodem sensu eademque sententia ». Quare Commissio Theologica suggerit, ut post ea addatur: « id est, quin umquam a prioribus recedatur, vel iisdem contradicatur ».

Ad n. 3 [*nova red. 2*].

Proponit Commissio Theologica, ut iam ante desiderabatur in eadem Commissione, praemittere numero de *subiecto* numerum de *obiecto* magisterii: sic etiam totum Caput fit clarius.

1. E.mus Card. RUFFINI proponit varias distinctiones quae exhibentur in manualibus. In Constitutione autem non convenit adhibere terminologiam scholae, et Commissio Theologica putat in redactione Commissionis omnia essentialia invenire, nisi quod pag. 7, lin. 2, post « licet non » addi possit: « expressis verbis vel implicitis ». Omnino autem commemoranda est lex naturalis, ob errores hodiernos.

Lex autem naturalis reapse assumpta est in lege evangelica eo ipso quod Dominus docet facere voluntatem Patris qui in caelis est. Voluntas enim illa nobis etiam innotescit lege naturali. Tamen Commissio Theologica accedit ad votum E.mi FRINGS et R.mi SÉPINSKI, ut nempe omittantur verba « quae in revelata assumpta est », tum quia res

— 7 —

explicata est in Constitutione de Ordine Morali, tum quia hoc loco malae interpretationi subesse possunt haec verba.

2. E.mus Card. LÉGER proponit novam redactionem lin. 13-16, pag. 7. Commissio Theologica autem putat redactionem ut iacet esse praeferendam, quia clarius opponitur falso laicismo.

Ad n. 2 [*in nov. red. 3*].

Multae sunt factae suggestiones quoad tres paragraphos priores pag. 4 et 5.

1. Libenter accedit Commissio Theologica ad suggestionem E.morum MONTINI et aliorum, incipiendi nempe ab unitate Magisterii, etsi in variis subiectis residentis.

2. Libenter quoque satisfacit voto E.mi KÖNIG clare indicandi, cur magisterium S. Pontificis ex *sese* infallibilis sit. Ratio est quia R. Pontifex isque solus est Vicarius Christi pro tota Ecclesia, et qua talis a Christo non tantum doctor constitutus fidelium, sed etiam Pastorum.

3. Eadem de causa nullo modo placere potest Commissioni Theologicae suggestio facta ab E.mo DÖPFNER incipiendi a Collegio Apostolico.

4. Commissioni Theologicae quoque gratum est reformare lin. 35-39, pag. 4, secundum placita E.morum DÖPFNER et MONTINI. Loco autem loquendi de « sententia privata Rom. Pontificis » praefert loqui de « sententia Rom. Pontificis ut personae privatae ».

5. E.mus LÉGER proponit, ut prius agatur de magisterio ordinario Romani Pontificis et deinde de magisterio infallibili. Intellegit Commissio Theologica rationem ab E.mo allatam, despectum nempe hodie non infrequentem ordinarii magisterii. Attamen mature omnibus consideratis, Commissio Theo-

— 8 —

logica putat melius esse incipere a re non tantum altiori, sed etiam explicatu faciliori.

6. Rogat E.mus KÖNIG ad pag. 4, lin. 34, num definitio sit semper opportuna, et ad Ecclesiae bonum. Respondendum est maiorem cognitionem cum certitudine, semper esse bonum, licet disputari possit num in momento determinato etiam *maius* bonum dici debeat.

Hisce praenotatis, Commissio Theologica proponit novam redactionem initii capitis tertii (olim secundi), inde a lin. 18 pag. 4, usque ad verba tria priora lineae primae pag. 5 (*N. B.*: ob novam dispositionem mutentur numeri notarum in num. 2 et 3):

« 3. [*De subiecto magisterii authentici*]. Authentici magisterii munus, charismate veritatis munitum, ex divina institutione in Ecclesia exsistens, quamvis a pluribus personis vel organis exerceatur, semper unum et indivisibile est. Ab uno enim eodemque supremo Magistro, Christo Domino, constitutum est; Eiusdemque auctoritatem repraesentat, et ab uno Spiritu Veritatis ei assistitur, ut in exercendo munere suo Illius veritatem doceat. Imprimis autem a Romano Pontifice exercetur, cum idem pro universa Ecclesia ipsius Divini Magistri personam gerat, et ab Eodem non doctor fidelium dumtaxat, sed etiam Fratrum suorum in Episcopatu fidei confirmator constitutus sit dicente Domino: " Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos " (*Lc.* 22, 32).[13]

Est igitur Romanus Pontifex pro universa Ecclesia catholica veritatis supremus magister, illique praecipue officium et ius competit integre custodiendi, defendendi et infallibiliter proponendi doctrinam salutis pro christifidelibus universis. Quod cum facit, cum nempe pro suprema sua apostolica auctoritate nomine Iesu Christi ex cathedra in rebus fidei et morum loquitur, ipsius sententia ex sese, utpote nomine Christi prolata, non autem ex consensu fidelium vel aliorum Episcoporum, infallibilis ideoque et irreformabilis est,[14] atque divina operante Providentia fidem Ecclesiae saltem implicitam exprimit vel tuetur eiusque bonum promovet.[15] Tunc autem Romanus Pontifex, etsi propria auctoritate doceat, non tamen ut persona privata suam sententiam proponit, sed tamquam universale Ecclesiae Pastor et Doctor et Collegii Episcoporum Caput, divinam exponit vel tuetur veritatem, ... ».

— 9 —

Hisce propositis de paragraphis duabus prioribus num. 3 (olim 2), agendum est de tribus ultimis, pag. 5 et 6.

7. Pag. 5, lin. 12-31, res est de assensu debito magisterio ordinario S. Pontificis. Dum E.mus LÉGER proponit: « fidelis assensus praestandus est », E.mus. DÖPFNER desiderat maiorem explicationem illius obsequii. Commissio Theologica proponit: « religiosum voluntatis et intellectus obsequium praestandum est, quo nempe magisterium eius supremum reverenter agnoscatur, et sententiae ab eo propositae sincere adhaereatur, idque... ».

Eadem pag., lin. 26-30 dicitur, semel data decisione a Summo Pontifice, quaestionem decisam iam non esse liberae disceptationis.

8. E.mus FRINGS proponit legendum: « quaestionem decisam nonnisi gravi de causa inter theologos in disputationem trahi non posse ». E.mi quoque BROWNE et KÖNIG sentiunt difficultatem, dum E.mus DÖPFNER provocans ad quaestionem de Commate Ioanneo putat dubio exorto maiorem esse libertatem.

Notandum est quaestionem de Commate Ioanneo (cfr. DENZ. 2198) nullam praebere difficultatem. Etenim decretum illud Commissionis Biblicae non est de « vero » sed de « tuto ». Quod hodie est verum, cras non potest esse falsum. Quod autem hodie non est « tutum », postea potest esse tutissimum. Ut difficultatibus occurratur Commissio Theologica proponit loco « liberae disceptationis » (quae

— 10 —

verba desumpta sunt ex Encycl. *Humani Generis*), scribere « *publicae* disceptationis ». Ulterius autem Commissio Theologica credit procedi non posse: ut enim recte observavit E.mus LÉGER, defendendum est magisterium ordinarium Summi Pontificis, et verbis propositis ab E.mo FRINGS « nonnisi gravi de causa » facile aperiri potuerit porta abusibus.

9. Pag. 5, lin. 31, E.mus Card. RUFFINI putat verba « communionem habentes cum R. Pontifice » esse aequivoca, haud aliter ac verba pag. 6, lin. 31-32. Notandum autem est haec verba adhiberi in Constitutione, in qua antea iam luce clarius dictum est unicam Ecclesiam veram Christi esse Catholicam Romanam, ideoque eadem male intellegi non posse.

10. Pag. 5, lin. 35, legatur, ut vult R.mus P. SÉPINSKI, « competunt » in plurali, et lin. 36, loco « populo », scribatur « gregi ».

11. Pag. 6, lin. 6, iuxta placita E.mi Card. LÉGER, pro « subditis », legatur « fidelibus ».

12. Lin. 9-10 non placuit aliquibus Commissariis dicendi modus. E.mus FRINGS proponit « non sine eius auctoritate »; Exc.mus COORAY loco « auctoritatis » vult « regiminis »; E.mus LÉGER proponit: « Cum vero corpus episcopale in oecumenico Concilio adunatur una cum capite suo, Summo Pontifice, numquam sine hoc capite, Episcopi fiunt... ». Re mature considerata, Commissio Theologica proponit: « Cum vero in Oecumenico Concilio collegium episcopale adunatur una cum Capite suo Romano Pontifice, numquam autem sine eo eique subordinatum, Episcopi synodaliter congregati fiunt... ».

13. E.mus FRINGS difficultatem movet contra verba lin. 13-15: infallibilitatem enim Conciliorum nonnulla saecula ante definitionem infallibilitatis Romani Pontificis fuisse de fide credendam. Reapse autem infallibilitas Romani Pontificis fuit ante saeculum solemniter definita, sed iam diu antea erat de fide catholice credenda. Infallibilitas autem Conciliorum hucusque nondum fuit obiectum definitionis.

— 11 —

14. Lin. 20 desiderat R.mus P. SÉPINSKI, ut tollatur « singuli ». Non placet. Episcopi enim singuli pro suis gregibus sunt vicarii Christi et magistri authentici, et hac de causa singuli fiunt *testes* fidei pro tota Ecclesia.

15. Ad lin. 26-29, ubi agitur de magisterio ordinario et universali Ecclesiae, E.mi BROWNE et KÖNIG observant ad hunc locum simile quid valere ac ad lin. 26 pag. praecedentis, ubi res erat de magisterio ordinario Papae. Commissio Theologica autem putat hunc parallelismum, ut iam antea dictum est, minime concedi posse. Sic enim magisterium ordinarium et universale, de quo Vat. I (DENZ. 1792), reapse fieret fallibile et reformabile. Non sine ratione Commissio Theologica tantopere sibi insistendum esse putabat in quaestione de infantibus morientibus sine baptismo.

16. Lin. 31-32 maneat « in communione » ob rationes antea dictas.

17. E.mus Card. SILVA HENRIQUEZ vult ut dicatur de infallibilitate passiva. Sufficienter dictum est additione in initio num. 1, et lin. 6, pag. 4.

Ad n. 4 [*num. 3 factus est num. 2, ut dictum est*].

1. E.mus SILVA HENRIQUEZ vult ut pag. 7, lin. 32, expungantur verba: « non sine Spiritus Sancti adiutorio ». Eis enim vel dici quod omnibus notum sit, vel nimia asseri. Putat tamen Commissio Theologica agi de re gravi et hac de causa legendum proponit: « non tamen sine Spiritus Sancti adiutorio, qui charismata sua distribuit variis organis pro loco quem in Mystico Corpore occupant ».

2. De difficultatibus E.mi DÖPFNER vel potius de quaestionibus ab eo positis circa magisterium fallibile, de quo lin. 34-38, iam antea diximus.

— 12 —

Ad n. 5.

1. Lin. 3 E.mus RUFFINI rogat ut de theologis dicatur eos habere auctoritatem quatenus sunt instrumenta (rationabilia quidem) magisterii authentici. Videtur in textu satis provisum. Gaudet autem Commissio Theologica theologos esse *rationalia* instrumenta.

2. E.mus Card. RICHAUD monet, ad theologos quod spectat, ut agatur cum prudentia: esse enim etiam audaces qui sese opponant magisterio Episcoporum. Immo S. Pontificis: et hac de causa monitum initio pag. 9, quod videtur sufficere.

3. Ad lin. 30-33 movet E.mus KÖNIG dubium ob interpretationem Geneseos decursu temporis mutatam. E.mus autem BROWNE putat ibidem doctrinam proponi bonam, sed deesse claritatem dictionis. Commissio Theologica autem non videt pondus argumentationis ex mutata interpretatione Geneseos, quae si facta est, certe non facta est sine gravibus et probatis rationibus. Non autem videt rationem corrigendi textum. In lin. 30-33 res est de iis quae nunc communi consensu a theologis docentur; in sequentibus lin. 33-40 res est de iis in quibus habetur consensus unanimis per plura saecula. Nec putat Commissio Theologica accedere posse ad sententiam E.mi FRINGS, qui vult ut verba lin. 35-39: « docentur... fidei periculo » expungantur.

4. E.mus SILVA HENRIQUEZ desiderat ut dicatur de Patribus et mysticis. Sed videtur satis provisum in Constitutione de Deposito, ubi agitur de evolutione doctrinae, et in Constitutione de Fontibus.

5. Pag. 9, expungantur verba lin. 5-6: « et se etiam... prohibitione ». Verba enim ut iacent sunt mere disciplinaria. Habent tamen adspectum doctrinale, et hac de causa ad rem erit redeundum in fine capitis, ubi de erroribus censurandis.

— 13 —

Ad n. 6.

1. Lin. 31 legatur « culturam religiosam », addito « religiosam ». Non omnino idem est ac « vita christiana virtuosa », quae verba proponuntur ab E.mo FRINGS.

2. Ut removeatur ambiguitas, quam timet E.mus SILVA HENRIQUEZ, lin. 39 legatur in plurali: « divina adiutoria, quibus... ».

3. Pag. 10, lin. 1, scribatur « cooperari » ut recte notat R.mus SÉPINSKI.

Ad n. 7.

Observationes desunt. Iuvat tamen in titulo, lin. 7-8, legere: « cum Ecclesiae magisterio ».

Ad n. 8 [antea 7, alinea 2].

1. Ut desiderat E.mus SILVA HENRIQUEZ, lin. 27 fiat novus numerus et scribatur: 8. [*De erroribus praecavendis*].

2. Lin. 30 non videtur omitti posse verbum « facile », ut vult E.mus RUFFINI. Licet theologus, carens charactere episcopali, non sit magister authenticus, qui possit imponere fidem, tamen esse potest magister simpliciter. Immo plures gaudent titulo « magistri ».

De infallibilitate passiva ut repercussione magisterii iam sufficienter dictum est: non autem constituit *magisterium* de quo in capite agitur.

Proponit autem Commissio Theologica revisoria ut in fine pag. 10 addatur, post « decisionibus »: « Tandem noverint omnes permitti non posse opinionem, qua falso contenditur, laicos studiis sacris incumbentes, quippe quia non gererent munus officiale ecclesiasticum, non subesse invigilantiae praecautionibusque magisterii sacri ».

Huic errori innititur affirmatio laicos non subesse praeviae librorum censurae et aliis huiusmodi.

— 14 —

3. Ut finis responsioni imponatur, desiderat E.mus SILVA HENRIQUEZ, ut aperte declaretur neminem, nisi sacro magisterio ornatum, alium fidelem doctrinae causa condemnare posse: Res est verissima. Sed aliud est damnare personam, aliud damnare doctrinam. Et hoc theologo licet: ipsius enim est doctrinam theologicam qualificare seu ei dare censuram theologicam.

Res non est sine momento. Hodie sparguntur multi errores. Et si theologus sentiens cum Ecclesia dicit: « Haec doctrina est falsa, etc., utpote contra Concilium tale vel tale », imponitur ei silentium dicendo: « Tibi arrogas potestatem, quae solis Episcopis competit ». Et sic habetur libertas spargendi falsum, et denegatur libertas verum defendentibus.

Quod ad notas spectat, mutentur numeri a n. 10 ad n. 22 inclusive. In n. autem 9 addatur: « coll. VINC. LIRIN. *Commonitor,* 23: *PL* 50, 668.

In Commentario, p. 16, transponantur num. 2 et 3.

III

RESPONSIO AD OBSERVATIONES CIRCA CAPUT VIII, DE AUCTORITATE ET OBOEDIENTIA

Ad observationes generales iam responsum datum est in tractandis observationibus ad caput praecedens.

Ad n. 1.

1. E.mus Card. SILVA HENRIQUEZ rogat, ut lin. 3 post vocem « custodiendae », addatur, « et propagandae ». Nil obstat.

2. E.mus Card. RUFFINI scandalizatur verbis « male exercita », lin. 7. Vult ut expungantur. Commissio Theologica proponit: « minus recte exercita », quae est dictio mitior.

— 15 —

3. Nulla ratio est, cur mutetur lin. 15. Quod enim omnis potestas legitima est a Deo, negari nequit. Non agitur hic de modo quo a Deo descendat.

4. In lin. 17-18 nulla fit oppositio inter scientiam superioris et voluntatem Dei. Dicitur tantum, rationem cur religiose oboediendum sit unice esse in eo quod in voluntate superioris agnoscamus voluntatem Dei. Ut autem melius appareat sensus, etiam ad mentem E.mi SILVA HENRIQUEZ, lin. 18 post « praepositorum » addi potest: « quae in auctoritatis exercitio requiruntur ».

Ad n. 2.

1. Iure merito observavit R.mus P. SÉPINSKI in transitu a pag. 3 ad pag. 4 legendum esse « fratribus », non vero « fratrum ».

Pag. 4, lin. 14, ad placita eiusdem legatur: « proponitur », ubi est « portenditur ».

2. E.mus SILVA HENRIQUEZ desiderat, ut ante errores dicatur de conformitate cum Christo ut fine oboedientiae. Videtur autem sufficienter provisum lin. 1-20.

3. E.mus Card. KÖNIG non videtur laborare iisdem scrupulis ac E.mus RUFFINI (cfr. num. 1, lin. 7), sed desiderat ut dicetur clare de erroribus superiorum, in praxi falso interpretantium suam potestatem. Sed, etsi modo mitiori, videtur provisum in num. 3, pag. 5, inde a lin. 4.

Lin. 32 post « nisi » addatur « praepositi ».

Ad n. 3.

1. Ut satisfiat desiderio E.mi Card. BROWNE, olim praepositi generalis, lin. 17 post « debent » addatur: « si in Domino opportunum videbitur ».

2. Lin. 19 post « audire » addi potest, ad satisfaciendum desiderio E.mi FRINGS, ut etiam quaedam verba dicantur de « initiativis subditorum »: nec

— 16 —

prohibere, ut locus sit coeptis, a subditis vel suggestis, vel etiam ab iisdem sponte inchoatis.

3. Lin. 20 ad mentem E.mi SILVA HENRIQUEZ vox « etiam » transponatur post vocem « sciant ».

4. Ut etiam dicatur de oratione pro superioribus fundenda, et de libertate filiorum Dei, quae ab oboedientia christiana minime excluditur, ut recte notavit E.mus FRINGS, addatur pag. 5, lin. 32, post citationem ex epistola ad Ephesios: « Nec omittant precibus suis praepositos Deo commendare, ut iidem quasi rationem pro animabus subditorum reddituri, munus suum adimplere queant cum gaudio et non gementes (cfr. *Hebr.* 13, 17). Quod si gaudio fit, subditi quoque experientur, quomodo oboedientia, quae excludant omnem timorem proprie servilem, aequo passu procedat cum vera libertate filiorum Dei ».

5. Pag. 6, lin. 10-19, agitur de publica denuntiatione. E.mus FRINGS desiderat, ut etiam dicatur de denuntiationibus anonymis. Quaestio est difficilis. Duplex est denuntiatio anonyma: altera ubi denuntians omnino ignoratur; altera, ubi denuntians notus quidem est superioribus, sed non cognoscitur a denuntiato. Utraque denuntiatio potest esse licita: non enim maioris momenti est, quis denuntiet, sed utrum denuntiatio sit vera et factis obiectivis probetur. Res videtur nimis complicata, ut tractetur in Constitutione.

Pag. 6, lin. 17, post « denuntiatio » addatur « talis formae ».

Ad n. 4.

1. Lin. 25, post « populi », addatur ad mentem E.mi RUFFINI: « universi ».

2. Lin. 28 loco « quam » scribatur cum R.mo SÉPINSKI: « nisi ».

3. E.mus LÉGER desiderat ut citentur verba Pii XII de opinione publica, ad quae refertur in

— 17 —

nota 10. Commissio Theologica hoc non fecit, quia verba ista ansam dederunt malae interpretationi.

4. Verum est quod dicit Exc.mus O'CONNOR, videlicet in societate civili et in ecclesiis separatis magni haberi opinionem publicam. Revera: non autem semper ad aedificationem, sed etiam ad destructionem. Quare melius est tractare de opinione publica ut de re, quae postulat magnam prudentiam.

5. Rogat E.mus LÉGER ut dicantur quaedam de caritate fraterna in disputando, et de nemine impediendo, ut suam opinionem libere proferat. Clarum est non agi de credendis, sed de agendis. Proponit igitur Commissio Theologica Revisoria, ut pag. 7, post lin. 13, haec addantur: « Ubi verum de rebus in Ecclesia agendis habeantur variae opiniones, quae singulae sua gaudeant probabilitate, necdum a competente auctoritate decisio facta est, nemo competens impediendus est, ne quid sentiat libere exponat; in re autem controversa discutienda regnet caritas, qua quis unice quid melius sit quaerat, non vero ut propria praevaleat sententia ».

Commissio Theologica nescit utrum accedere possit ad sententiam E.mi Card. RUFFINI, qui vult ut lin. 22 deleatur illud « inconsulte ». Forsan addi potuerit: « et sine causa omnium gravissima ».

N. B.: Caput IX De relatione inter Ecclesiam et Statum necnon de tolerantia religiosa emendabitur separatim una cum schemate de libertate religiosa.

IV

AD OBSERVATIONES CIRCA CAPUT X, DE NECESSITATE ECCLESIAE ANNUNTIANDI EVANGELIUM.

Ad Generalia.

1. Ut desiderant E.mus Card. FRINGS et R.mus P. SÉPINSKI, mutatus est modus loquendi in num. 2, inde a pag. 4, lin. 14, usque ad pag. 5, lin. 10.

— 18 —

2. Ea quae dicuntur ab E.mo Card. RUFFINI et 7 aliis Commissariis verissima sunt. Reapse:

a) Apostoli habuerunt potestatem universalem iurisdictionis in totam Ecclesiam, etiam ut singuli. Episcopi vero ut singuli habent solummodo potestatem in suum gregem. Quod si Benedictus XV dicit opus propagationis fidei continuandum esse per Apostolorum successores, intellegit imprimis et proxime Episcopos et Vicarios Apostolicos in missionibus degentes: cfr. *Maximum illud*: *A.A.S.* 11 (1919), pp. 440 et 442.

b) Etiam locutio « in solidum », saltem si sumitur sensu proprio, defendi nequit.

c) Etiam vox « sponsores » est ambigua, et si sensu proprio sumitur, difficultas iustificatur.

d) Reapse est aliqua contradictio cum iis quae mox dicuntur de Romano Pontifice.

Quare Commissio Theologica proponit:

a) Ut lin. 21, pag. 4, loco « ius et officium » dicatur universalius « cura ».

b) Ut lin. 25, pag. 4, loco « in solidum » dicatur « in commune ».

c) Ut lin. 26-27, pag. 4, loco « sponsores » scribatur: « sint solliciti ».

Quae omnia eo facilius acceptari possunt, quia iustificantur dictis S. Coelestini in sua Epistola ad Conc. Ephesinum.

3. Licet theorice, et forsan etiam practice, distinctio inter civitatem catholicam et acatholicam exsistat, tamen Commissio Theologica accedit ad votum E.mi Card. LÉGER, ut eadem in textu omittatur, et loco « potestatis » civilis, scribatur « societatis » civilis. Nam ultimatim potestas supponitur repraesentare civitatem.

Ad n. 1.

Nulla observatio et nulla mutatio.

— 19 —

Ad n. 2.

1. Lin. 30, loco « mundi » scribatur « universi », ut desiderat E.mus LÉGER.

2. Pag. 4, inde a lin. 10 textus, ob rationes antea datas, sic reformetur: « Quare adimpletioni huius missionis Ecclesiae pro toto universo divinitus collatae nulla communitas civilis sese legitime opponere posse exsistimet.[6] Doctrina enim catholica nihil continet quod non sit rationi naturali summe congruens, dignitati humanae maxime conveniens, et vitam hominum tam individualem quam socialem ita perficiens, ut cives, si reapse Spiritu Christi imbuti bono communi dent operam, id in civitate sint quod in corpore est anima.[7] Multo minus societas civilis exercitium huius missionis a se impediri posse arbitretur, ut sibi commoda procuret temporalia. Sic enim transeundum est per bona temporalia, ut non amittantur aeterna.[8]

Nec solum a vero, sed etiam a bono proprii populi sui aberrant, qui putent praedicationi evangelicae opponi posse iustum legitimumque... ».

3. Pag. 5, lin. 5-9, ob rationes antea indicatas sic scribi potuerit mitius: « Civilibus ergo societatibus, si impedire tentarent, quominus libere exerceret ius suum et officium sanctissimum, Ecclesia non cedere posset, sed usque ad sanguinem resistere deberet... ».

Ad n. 3.

1. Ob rationes datas lin. 21, loco verborum « ius et officium » scribatur « Cura ».

2. Lin. 24, ob easdem rationes scribatur « in commune » ubi habetur « in solidum ».

3. Lin. 26, post « Episcopi », addatur: « et non solum Episcopi et Vicarii Apostolici in missionibus degentes ».

— 20 —

4. Lin. 27-28, semper ob rationes indicatas, loco « sunt sponsores » legatur: « sint solliciti ».

5. Lin. 31, deleatur « solis ». Nam certo etiam Concilium Oecumenicum aliquid hac in re efficere potest.

Ad notas.

Ob textum reformatum, pag. 4, lin. 10-28, post notam 6 inserantur duae aliae:

[7] Cf. *Epist. ad Diognetum* cap. 6: *PG* 2, 1176.

[8] Cf. Orat. Dom. III post Pentecosten.

Consequenter numeri notarum 7-16 fiunt 9-18.

Ad notam 12 (antea 10) ante citationem Pii XII scribatur: S. COELESTINUS, *loc. cit.*; BENEDICTUS XV, Encycl. *Maximum illud,* loc. cit., pp. 440 et 442.

In nota 13 (antea 11) referentia nunc sit ad notam 11. Eodem modo in nota 16 (14), ad notam 15, et in nota 18 (16), ad notas 15 et 17.

V

AD OBSERVATIONES CIRCA CAPUT XI, DE OECUMENISMO

Ad Generalia.

1. Nonnulli Commissarii libenter hoc caput combinatum viderint cum Schemate Pastorali oblato a Secretariatu pro Unione. Videntur tamen quaedam obstare:

a) Unum schema dogmaticum est; alterum pastorale et disciplinare. Ob rationes autem saepius datas separentur doctrinalia ab aliis. Non expedit ut irreformabilia misceantur cum mutabilibus secundum tempora et loca.

b) Schema Secretariatus est Constitutio separata; Schema theologicum *pars* Constitutionis et quidem Constitutionis *de Ecclesia.* Quare non convenit ut in tali Schemate initio loco theologicorum fiat expositio historica, ut rogat Exc.mus O'CONNOR.

— 21 —

c) In schemate Commissionis Theologicae, ut debet, speciali modo ratio habeatur oportet errorum sparsorum in circulis oecumenicis.

2. Ubique in schemate tollentur voces « dissidentes », utpote ingratae orthodoxis. Saepius autem, ut vult E.mus Card. SILVA HENRIQUEZ, dicetur « Ecclesia Catholica », ubi antea erat « Ecclesia » simpliciter.

Ad n. 1.

Observationi factae ab Exc.mo O'CONNOR iam responsum est supra.

Ad n. 2.

1. Lin. 22 scribatur: « Ecclesia catholica ».

2. Lin. 23, ut obsecundetur votis E.mi RUFFINI et aliorum, vid. ut non in eadem linea ponantur protestantes et orthodoxi, scribatur: « fratres separati, imprimis rituum orientalium ».

Post autem definitionem Primatus et Infallibilitatis Romani Pontificis non videtur expedire expressa distinctio inter haereticos et schismaticos, ut rogant E.mi COUSSA et BROWNE.

3. Pag. 4, lin. 8 legatur « ut signum et fontem », addito « et fontem ». Licet ea quae habentur de Eucharistia in Schemate Secretariatus pro Unione sint pulchra: tamen ea quae in num. 2 Commissionis Theologicae leguntur de Eucharistia sunt omnino retinenda. Agitur implicite contra eos qui dicunt omnia iam esse obtenta, si habeatur intercommunio eucharistica. Refellitur hic error tum ex Actibus Apostolorum, tum ex modo agendi primitivae Ecclesiae.

Ad n. 3.

1. Lin. 20, in titulo legatur: « Ecclesia catholica » et « separatos ».

— 22 —

2. Lin. 21-22 legatur: « Ecclesia Catholica porro sciens christianos separatos ».

Ad n. 4.

1. In titulo legatur iterum: « Ecclesia Catholica », et « separatas ».

2. Lin. 31-35 legatur secundum suggestionem E.mi SILVA HENRIQUEZ: « Christiani autem separati incitamenta inveniunt, ut ad Ecclesiae unitatem accedant, non modo singuli in seipsis, verum etiam inter se uniti in propriis suis communitatibus. In iis enim... ».

3. Pag. 5, lin. 5 scribatur: « hereditas », ut vult R.mus P. SÉPINSKI. Item lin. 19.

Ad n. 5.

1. In titulo legatur: « Ecclesiae Catholicae ».

2. Lin. 30, pag. 5 usque ad lin. 3, pag. 6 legatur modo mitiori, ut desiderat E.mus Card. BROWNE: « Quae autem manifestatio unitatis ut voluntati Christi conformis sit, adamussim secundum ipsius Christi voluntatem efformanda est in unitate fidei, communionis sacramentorum et regiminis. Quare qui voluntati Christi ex toto corde oboedire et in gradu " oecumenicitatis " crescere intendant., Spiritus Christi ductu magis ac magis accedant necesse est ad Ecclesiam eam, quae licet domus Dei sit una et indivisibilis, tamen diversis mansionibus gaudet in universo mundo, in unitate fidei, regiminis et communionis sub uno Vicario Christi ».

3. Pag. 6, lin. 5 legatur cum E.mo SILVA HENRIQUEZ: « varias ob causas difficillimam evasisse », loco verborum « difficillimam esse ».

Ad n. 6.

1. In titulo legatur: « Ecclesiam Catholicam ».

2. Item lin. 10: « Ecclesia Catholica ».

— 23 —

3. Lin. 12-13, loco « dissidentibus » scribatur « seiunctis ». Item lin. 17, loco « dissidentes », ponatur « separatae ».

Ad n. 7.

1. Pag. 7, lin. 9, loco « dissidentium » legatur: « fratrum seiunctorum ». Item lin. 16 loco « dissidentes » ponatur: « fratres separatos ».

Lin. 17 scribatur « ipsa membra » loco « ipsi filii ».

Lin. 20 addatur post « in fide »: « et communione ».

2. Ob difficultatem motam ab E.mo COUSSA, ac si ageretur de re intrinsece mala, ideoque numquam permittenda, scribatur lin. 28, loco verborum « assensus fidei Ecclesiae », sensu largiori: « quodammodo professio fidei ». Sic etiam solvitur dubium E.mi RUFFINI.

3. Pag. 8, lin. 2, loco « dissidentium » ponatur « separatorum ». Ibidem corrigatur error typographicus et scribatur, ut vult R.mus P. SÉPINSKI, « quibusnam » loco « quibusdam ».

4. Ad lin. 3, ubi agitur de conditionibus quas Ecclesia ponere possit ad accipiendos separatos ad Sacramenta, rogat E.mus RUFFINI, num voce « Ecclesiae » intelligatur S. Sedes an Episcopi. Quia Commissio Theologica non potest solvere huiusmodi quaestiones, eleganter scripsit « Ecclesia ».

Lin. 7, loco « dissidentium » ponatur « seiunctorum »; item lin. 10, loco « dissidentis » legatur « separatae ».

Lin. 16, loco verborum « sit contra » elegantius scribatur: « offendat ».

Lin. 28, loco « dissidentis » ponatur « seiunctae ».

Pag. 9, lin. 1, loco « dissidentis » scribatur « separatae »; item lin. 14-15, loco « dissidentium »

— 24 —

ponatur « separatorum »; haud aliter lin. 18, loco « dissidentis » ponatur « seiunctae ».

Lin. 20, cum debitis gratiis dandis Patri SÉPINSKI, corrigatur error et scribatur « Ecclesia ».

Lin. 32, pro « dissidentibus » legatur « separatis ».

Ad n. 8.

In titulo scribatur « separatos » loco « dissidentes ».

Item pag. 10, lin. 2, loco « dissidentibus » scribatur « separatis ».

Lin. 6, magis latine scribatur « suspiciones » loco « suspicationes ».

Lin. 16-17, ut tollatur difficultas E.mi SILVA HENRIQUEZ, legatur: « unamque Ecclesiam, magis in dies locum suum obtineat in cura animarum necesse est ».

Lin. 20, loco « dissidentibus »: « seiunctis ».

Ad notas.

Pag. 10, lin. 5, pro dissidentes: « separatos ».

Ob difficultatem motam ab E.mo BROWNE contra vocem « factio » scribatur, pag. 11, lin. 6: « Propter Protestantes addictos », et lin. 8 deleatur: « Omnes fautores harum factionum », et legatur brevius: « Qui omnes ».

Lin. 9-10 corrigatur « habent » et scribatur « habeant ».

Pag. 11, post medium, sub n. 4, scribatur ad evitandum offensionem: 4. « In " Consilio Oecumenico Ecclesiarum " desideratur unitas circa doctrinam et modum practicum agendi quoad intercommunionem, quae opinionum discrepantia intime cohaeret cum problemate de unitate Ecclesiae; quare utile erit... ».

— 25 —

* * *

His omnibus rite perpensis ne dedignentur E.mi Patres, sua qua pollent sapientia, significare an textus huius schematis (capp. VII, VIII, X, XI) sit sufficienter emendatus vel minus; quatenus negative, ne dedignentur edicere quaenam adhuc desiderentur emendationes.

— 26 —

De emendatione schematis constitutionis
DE BEATA V. MARIA

I

Ad observationes generales

1. Ponitur quaestio an non possibile sit ita componere schema, ut in tota sua amplitudine tradatur doctrina de dispositione Dei circa Deiparam, hausta ex S. Scriptura, Patribus, Traditione et Ecclesiae Magisterio. Sciendum est Commissionem Theologicam initio sese limitare voluisse ad caput breve de B. M. Virgine, ponendum sive in Constitutione de Ecclesia, sive in Constitutione de Deposito, imprimis ad demonstrandum B. M. V. non habere positionem periphericam in oeconomia divina salutis, et consequenter nec etiam in cultu. Postea pluribus praeplacuit separatim de B. M. V. agere, attamen intra debitos limites.

Quia Commissionis Theologicae non est tractatus conscribere vel etiam encomia componere, sed proponere doctrinam Ecclesiae, secundum exigentias et necessitates hodiernas, Constitutio, ut iacet, videtur plane satisfacere quaesitis. Patres synodaliter coniuncti clare exponere debent quid Ecclesia nunc de munere, privilegiis, cultu Mariano teneat. Hoc autem in Schemate proposito videtur factum modo vero et completo. Immo magis completo quam spectatis circumstantiis hodiernis, requiritur.

2. Sunt fere 18 Commissarii qui putant non esse opportunum loqui de Mediatione B. M. V. Quo iure inter eos enumerentur E.mi Cardinales Bea et Browne non ita clarum est. Commissio autem Theologica revisoria putat minime expedire ut sileatur mediatio. Etenim:

— 27 —

a) Pluribus Episcopis et magno numero fidelium tale silentium scandalo esset, utpote proveniens ex quodam complexu inferioritatis erga Protestantes.

b) Hodie plures Protestantes sunt qui admittunt mediationem B. M. V. ex virtute Christi; aliis autem haud inutile est clara quaedam expositio, quomodo etiam secundum Scripturas mediatio B. M. V. minime obstet Iesu Christo, Deo et hominum Mediatori.

c) Certe non agendum esset de Mediatione B. M. V., si ageretur de titulo recenter invento. Sed iam in aetate patristica (cfr. notam 16) habetur titulus « Mediatrix », idque explicitis verbis, nec ab uno alterove, sed a multis adhibitus. In medio aevo mediatio Virginis propugnatur a Ss. Bonaventura, Alberto Magno, Thoma, aliisque et nostris temporibus festum Mediatricis introductum est, et non paucae sunt Ecclesiae vel altaria sub titulo B. M. Mediatricis.

d) Hodie reservare titulum Mediatoris soli Christo, esset quasi confessio implicita, Ecclesiam per plura saecula in rebus fidei errasse.

3. Facta est observatio praevalere documenta pontificia et non satis honorari Patres. Notandum est citari Pontifices ubi agitur de progressu doctrinae. Deinde saepius citatur S. Augustinus, saltem ter Epiphanius, Damascenus, Ambrosius, Leo Magnus. Accedunt Iustinus, Germanus, Andreas Cretensis, Nicephorus Constant., Concilia Ephesinum et Nicaenum multique sancti Ecclesiae Doctores. Quod autem ad S. Ephraem attinet, non est culpa Commissionis Theologicae, quod hisce temporibus agitatur quaestio de authentia operum, Sancto diacono attributorum.

4. E.mus Card. Richaud movet leve dubium, circa certitudinem doctrinae vid. B. M. Virginem tempore Annuntiationis novisse se parituram Filium,

— 28 —

qui esset Deus. Contra E.mus Card. SUENENS cum duobus Collegis desiderat ut hac de re fiat clara declaratio, contra nonnullos theologos dicentes, Mariam characterem stricte divinum Filii sui ignorasse. Quare nulla ratio est, ut pag. 12 in praenotandis lin. 6-8 sub *b*) fiat mutatio. Veritas deinde videtur sat clare expressa pag. 4, num. 2, verbis: « libera acceptatio ... *ut Filius Dei eius quoque Filius,* ac Novus Adam Salvatorque fieret ».

II

AD OBSERVATIONES PARTICULARES

Ad n. 1.

1. Lin. 13, ante citationem Lucae, addatur: « *Mt.* 1, 18-25 », ut proponit E.mus Card. SILVA HENRIQUEZ.

2. Ad lin. 16 E.mus Card. LÉGER movet dubium de voce « Sponsa ». Idea iam est paulina et ioannea, cfr. *Eph.* 5, 25 ss. et *Apoc.* 21, 2-9 et 22, 17. Immo tum Ioannes Baptista tum ipse Dominus considerant praedicationem Christi ut sponsalia. Accedit traditio constans.

3. E.mi KÖNIG, DÖPFNER, SUENENS, VALERI, voluerint explicationem quamdam ad lin. 18-19 de evolutione doctrinae. Sed videtur sufficienter provisum in Constitutione de Deposito, ubi in cap. 5 agitur de doctrinae progressu.

4. Lin. 29, post « Synodus » ponatur virgula, ut rogat R.mus SÉPINSKI.

5. Verum est iam antea actum esse, nempe lin. 15-20, de magisterio, et ideo E.mi LÉGER et DÖPFNER putant verba lin. 30-31 omitti posse. Attamen licet etiam lin. 30-31 agatur de magisterio: minime sub eodem respectu.

Cum verba pag. 4, lin. 9 « in utroque sexu » sint aequivoca, quia tum de redemptione activa,

— 29 —

tum de passiva intellegi possint, scribatur ad mentem S. Augustini: « ope utriusque sexus ». Eodem modo sentiunt Iustinus, Irenaeus, Tertullianus.

Ut satisfiat variis desideriis scribatur lin. 12-13: « ... libera acceptatio accessisset (cfr. *Lc.* 1, 38),[8] ut Filius Dei incarnatione eius quoque Filius ac Novus Adam Salvatorque mundi fieret... ».

Ut evitetur vox *concors,* quae variis linguis de principe consorte adhibetur, scribatur lin. 16-17: « verum etiam, ut consortium cum eo et sub eo in humani generis redemptione peragenda haberet ».

6. E.mus SILVA HENRIQUEZ desiderat ut omittantur lin. 22-24 verba « eundemque... obtulit », quippe quia false intellegi possent. Doctrina autem aperte habetur in fine Encycl. *Mystici Corporis*: immo additio « per Ipsum » clare indicatur, B. Virginem obtulisse Filium in virtute ipsius Christi.

Lin. 25 habetur « indicatur ». Vox illa electa est, ne intretur in quaestionem, num Virgo in Cruce mater spirituali hominum *constituta* sit, vel tantummodo *proclamata.*

Lin. 30-31 scribatur ad mentem E.mi SILVA HENRIQUEZ, loco « impetravit », modo magis neutro: « imploravit ».

7. Ob dubia mota ab E.mo Card. COUSSA, legatur lin. 36-37, cum terminologia magis orientali: « caelestium gratiarum administra et dispensatrix iure meritoque salutatur ».

Ad n. 3.

1. Pag. 5, lin. 16, R.mus P. SÉPINSKI proponit ut omittantur verba: « immo Sacris Litteris adversari ». Nulla videtur esse ratio.

2. Pag. 6, lin. 11, idem Pater suggerit ut loco « omnium gratiarum » dicatur tantum « gratiarum », omisso « omnium ». Non videtur vox « omnium » omittenda. Aliter res sese haberet, si additum esset « solo titulo intercessionis ».

— 30 —

3. Ut satisfiat desiderio E.mi Card. Ruffini, legatur pag. 6, lin. 14: « Advocata nostra et misericordiae Mater », omissis verbis « Mediatrix nostra ».

Ad n. 4.

1. Rogant E.mus Quiroga y Palacios et Exc.mus Cooray, ut tollantur lin. 7-10 verba de morte B. M. Virginis. Nulla est ratio ea expungendi, quia qualificatio theologica ibi data reapse est minima.

Non est ratio lin. 12 quaedam addere de B. M. Regina. Provisum est in fine num. 2.

2. Lin. 28-37, ad mentem E.morum Léger et Döpfner, scribatur: « Omnino quoque oportebat... in cinerem resolvi non pateretur ».

Sic positive exprimitur, quod antea dictum erat modo magis negativo.

Ad n. 5.

3. Ut satisfiat desiderio E.mi Silva Henriquez, legatur pag. 8, lin. 28-31: « Admonet Episcopos, ut sedulo invigilent theologis divinique verbi praeconibus... considerandae abstineant ».

4. Hisce verbis sufficienter videtur provisum desiderio E.mi Card. Cento, provocantis (in observationibus generalibus) ad monita S. Petri Canisii et Pii Pp. XII.

Lin. 34 legatur paululum fortius, ut speratur ad mentem E.mi Coussa: « consistere, et prorsus respuere omnem vanam credulitatem: eam contra ex vera fide... ».

5. Pag. 9, lin. 7, tollatur vox « dissidentes » et scribatur: « fratres separatos ».

Lin. 7-8 ad mentem E.morum Léger et Döpfner loco « arcano impulsu » ponatur: « fervido impulsu ».

Non est cur ad mentem E.mi Silva Henriquez

— 31 —

tollantur lin. 11-14. Est forma quaedam mitissima condemnationis.

Ad n. 6.

1. Quod ad ultimas lineas huius numeri pag. 9, lin. 37 usque ad pag. 10, lin. 3, proponunt E.mi Döpfner et König ut potius quam de Vicario Christi dicatur de ipso Christo Mediatore. Nil autem videtur mutandum: nam agitur de reditu separatorum ad Ecclesiam, cui non obstat doctrina de Christo Rege, sed doctrina de Petro Regis Vicario.

2. R.mus autem P. Sépinski desiderat ut lin. 38, loco « approbatum », scribatur « definitum ». Obstat autem quod in Concilio Ephesino non fuit *definitio* propria maternitatis. Commissio Theologica igitur proponit « sancitum », et ut inde a lin. 37 sic legatur, cum clausula mitiore: « ... qui Christi Vicarium in terris, beati Petri Successorem, quem in Ephesina Synodo, ubi sollemniter dogma maternitatis divinae sancitum fuit, unanimi plausu " Custodem fidei " merito salutarunt, tamquam communem Patrem amanter agnoscat ».

Ad Praenotanda.

Pag. 11, lin. 11 ab infra legatur: « ut ex ipso Schemate clare apparet ».

Ad Notas.

Pag. 17, lin. 18 ab infra legatur in citatione S. Leonis « mente », non « mentem ».

Pag. 19, lin. 15, scribatur: « amoris sui holocausto », addito « sui ».

In fine notae 11 ante notam 12 addatur: « Afferri quoque potuerint, praeter testimonia Ss. Roberti Bellarmini et Petri Canisii, permultae aliorum theologorum auctoritates ».

Pag. 19, nota 12, lin. 5, legatur « reliquisse ».

Pag. 23, lin. 11, legatur « additur ».

— 32 —

Pag. 28, lin. 8, cum accentu acuto scribatur « Ecuménico ».

Pag. 28, lin. 5 ab infra, scribatur: « Cfr. ».

Pag. 30, not. 27, scribatur lin. 3: « Mariae ».

Pag. 37, alinea 3, legatur XXIII, non XIII.

Pag. 40, lin. 7, tollatur « reapse ».

* * *

His omnibus rite perpensis ne dedignentur E.mi Patres, sua qua pollent sapientia, edicere an textus huius schematis sit sufficienter emendatus, et, quatenus negative, quaenam desiderentur emendationes.

7

EM.MUS IOSEPH CARD. FRINGS

Archiepiescopus Coloniensis

Köln, den 16. Juli 1962

Eminenz!

Für Ihre Einladung zu den Sitzungen der Pontificia Sub-Commissio Centralis de Schematibus emendandis, vom 16.-18. Juli 1962, danke ich Ihnen sehr. Wie ich Ihnen schon im Juni sagte, ist es mir infolge meiner vielfältigen Verpflichtungen in der Diözese nicht möglich, dazu nach Rom zu kommen. Da das mir seinerzeit in Aussicht gestellte Material Ihrer Einlandung nicht Beilag, bin ich auch nicht in der Lage, mich schriftlich su äußern.

Mit dem Ausdruck meiner tiefen Verehrung bin ich Ew. Eminenz in Xsto ergebenster

IOS. Card. FRINGS

Sr. Eminenz
dem Hochwürdigsten Herrn
Carlo Card. CONFALONIERI

8

EM.MUS ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Praeses commissionis theologicae
pro Concilio Oecumenico Vaticano II

PONTIFICIA COMMISSIO THEOLOGICA
PRO CONCILIO OECUMENICO VATICANO II

Prot. N. 9/62:32

E Civitate Vaticana, die 17 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Dopo aver comunicato a Vostra Eminenza Reverendissima, qualche giorno fa, le risposte di questa Pont. Commissione Teologica alle osservazioni della Commissione Centrale circa la prima parte della Costituzione *De Eccle-*

sia,[1] mi pregio ora di comunicarLe le risposte della medesima Commissione Teologica circa la seconda parte dello Schema «De Ecclesia» e circa lo Schema «De Beata Maria Virgine».

Confidando che questo lavoro sia di qualche utilità a codesta Sottocommissione degli Emendamenti, ben volentieri mi valgo dell'occasione per baciarLe umilissimamente le Mani e con profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero
ALFREDO Card. OTTAVIANI, *pres.*

A Sua Eminenza Reverendissima
il Signor Cardinale Carlo CONFALONIERI
Presidente della Pont. Sottocommissione degli emendamenti

---

[1] Responsiones commissionis theologicae ad observationes commissionis centralis quoad primam partem schematis constitutionis *De Ecclesia* ab em.mo card. Ottaviani missae sunt die 3 iulii 1962.

B) *PROCESSUS VERBALIS*

Il giorno 17 luglio 1962 alle ore 10 nell'abitazione dell'Em.mo Card. Clemente Micara, al Palazzo della Cancelleria, si è riunita la Sottocommissione degli Emendamenti con la partecipazione degli Em.mi Cardinali Clemente Micara, Giacomo Luigi Copello, Carlo Confalonieri e Michele Browne. Presiede il Card. Carlo Confalonieri, Presidente della Sottocommissione. Funge da segretario Mons. Vincenzo Fagiolo, segretario della Sottocommissione.

È all'ordine del giorno l'emendamento dello schema della Costituzione dogmatica *De Ecclesia* e per lo scopo è stata stampata la relativa posizione, distribuita agli Em.mi Cardinali, compresi i tre assenti, che sono stati regolarmente invitati alla seduta, alla quale però non hanno potuto partecipare a motivo dei loro impegni in diocesi (Cardd. Frings, Léger e Siri).

Il Card. Presidente, dopo la preghiera di rito, saluta gli Em.mi Porporati e quindi inizia l'esame dell'emendamento dello schema dicendo:

«Leggendo le risposte, date dalla Commissione Teologica alle osservazioni dei Padri della Centrale, si nota subito lo spirito polemico, con il quale la detta Commissione prende posizione e difende le proprie posizioni, e l'autosufficienza nel voler trattare la materia, escludendo qualsiasi forma di collaborazione da parte di altre Commissioni».

Il Card. Copello conferma lo stesso giudizio e dice che anche lui ha trovato forte il modo e il tono delle risposte.

Lo stesso giudizio viene confermato dal Card. Browne.

Riprende la parola *il Card. Presidente*, dicendo: «Lo schema della Costituzione dogmatica *De Ecclesia* comprende undici capitoli; il primo di essi è *De Ecclesiae militantis natura*. Prima però di passare alle osservazioni specifiche fatte dai Padri ai singoli capitoli dello schema, va notato che ci sono state numerose osservazioni generali, a tutto lo schema; come pure è da notare che la Commissione Teologica, prima di rispondere alle singole osservazioni ha premesso dei punti di chiarificazione a giustificazione del suo operato: sono contenute alla pag. 6 ss. della posizione stampata.[1] Anche — anzi soprattutto — in queste precisazioni della Commissione Teologica si nota lo spirito polemico e tale fino a far velo alle menti di coloro o di chi le ha scritte: si dice a pag. 6-7 che la Commissione Teologica — che ha preparato lo schema — è composta di 60 persone di diverse regioni, riti, scuole, con tendenze diverse, come se tali circostanze non si riscontrassero anche fra i componenti della Commissione

---

[1] Cf. Pars I, pp. 189 ss.

Centrale; e, peggio, si giunge a tacciare di incompetenza la Commissione Centrale, dicendo: 'In Commissione Centrali autem dirimi non possunt, quia caret tum competentia iuridica tum practica. Nam nulla gaudet auctoritate doctrinali, et in ea quidem est maxima libertas criticae, attamen seria replicatio ad obiectiones est impossibilis' (p. 12):[2] è il colmo a cui è giunto senza alcun senso di moderazione il redattore di queste risposte (che da tutto l'insieme appare essere il Segretario della Commissione), permettendosi di tacciare di incompetenza la Commissione Centrale».

Il Card. Micara e con lui gli altri lamentano ugualmente l'ordine della Commissione Teologica ristretta.

Il Card. Presidente riprende l'esposizione delle note generali secondo l'ordine della posizione stampata, fino alla pag. 16.[3]

Il Card. Presidente passa quindi all'esame del primo capitolo: *De Ecclesiae militantis natura*, osservando che il titolo è stato cambiato con «peregrinantis», al posto di «militantis».

Il Card. Browne non ritiene felice il cambiamento, perché il termine «Ecclesia militans» è tradizionale.

Anche *il Card. Micara* sostiene di preferire il termine «militantis», perché già nell'uso e nell'insegnamento anche del catechismo, ed anche perché nelle traduzioni volgari, per es. in quella italiana, il termine «peregrinantis» non sarebbe felice.

Si associa *il Card. Copello.*

Il Card. Confalonieri dice di conservare il termine «militantis», ma di aggiungere nel testo di tanto in tanto «seu peregrinantis».

Viene approvato.

Al n. 3 «Israel Dei indoles, voce Ecclesiae variisque figuris expressa», la Commissione Teologica ha creduto di non accedere al voto degli em.mi Cardinali Döpfner e Alfrink di poter dire che la Chiesa è stata edificata da Gesù Cristo «non solum super Petrum, sed etiam super collegium Apostolorum». Il Cardinal Presidente osserva che l'espressione è stata già usata da Leone XIII.

Al n. 5 «Enucleatio figurae corporis», p. 9 lin. 15, non piace al *Card. Browne* la parola «consortia»: preferirebbe «unita». Viene accettata la proposta.

Sugli altri numeri non vengono fatte osservazioni, per cui, dopo l'esposizione del *Card. Presidente*, il testo viene dichiarato sufficientemente emendato.

Il Card. Presidente passa quindi all'esame del secondo capitolo «De Membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem», enunciando le osservazioni fatte dai Padri della Commissione Centrale e le risposte ad esse date dalla Commissione Teologica.

Al n. 2: «Quinam Membra sensu proprio», *il Card. Browne* osserva che

---

[2] Cf. p. 192.

[3] Cf. p. 194.

l'emendamento introdotto nel testo, linn. 12 di pag. 4; e 4 di pag. 5, è troppo lungo, troppo complesso e poco chiaro, per cui il testo ha bisogno di una nuova redazione. Fino a «coalescit», pare che possa andare, vale a dire: «Etsi plures relationes reales existunt in ordine iuridico et sacramentali, immo existere queunt in ordine mystico, quibus omnis omnino baptizatus cum Ecclesia connectatur, tamen ii soli ex antiquissima traditione vero et proprio sensu Ecclesiae membra vocantur et quibus ipsa Ecclesia, ut est una et indivisibilis, indefectibilis et infallibilis, in unitate Fidei, sacramentorum et regiminis, coalescit», avvertendo di mettere *et* dopo «sacramentorum» e una virgola dopo «regiminis». Fare quindi un secondo periodo: «Ii igitur membra Ecclesiae dicendi sunt qui, regenerationis lavacro abluti, veram fidem catholicam profitendo et Ecclesiae auctoritatem agnoscentes, in compagine visibili eiusdem cum Capite eius, Christo videlicet eam regente per Vicarium suum, iunguntur, nec ob gravissima delicta a Corporis Mystici compage seiuncti sunt».

L'emendamento viene approvato.

Non vengono fatte altre osservazioni a questo capitolo, per cui resta approvato il testo emendato.

Il Card. Presidente passa quindi all'esame del cap. III «De Episcopatu ut supremo gradu sacramenti Ordinis et de Sacerdotio», avvertendo che su di esso non si sono avute osservazioni di rilievo da parte della Commissione Centrale, per cui le correzioni sono state poche. Ma queste sono però importanti per quanto si dirà al capitolo seguente. Alla lin. 5 di pag. 3 è stato aggiunto «natura sua» dopo: «instituit ut...», e alla lin. 6 «quae» prima di «in Sacramento», e alla lin. 7 «confertur» dopo «Ordinis», cosicché la frase ora suona: «... potestatem authentice docendi et gubernandi in Ecclesia ita instituit ut natura sua arcto vinculo coniungeretur potestati sanctificandi quae in Sacramento Ordinis confertur».

Ricorda quindi le aggiunte fatte a pag. 4. Non vengono fatte osservazioni al testo che resta perciò approvato.

Il Card. Presidente passa all'esame del cap. IV «De Episcopis residentialibus», ricordando come di consueto le osservazioni fatte dai Padri della Commissione Centrale e le risposte ad esse date dalla Commissione Teologica. A proposito della risposta data dalla Commissione alla osservazione del Patriarca Cheikho, che desidera una più ampia trattazione, che suona: «Non possunt omnia fieri quae desiderat Patriarcha Cheikho: non enim a Concilio scribendus est tractatus», il *Card. Presidente* osserva che è però necessario che il Concilio tratti con solennità e completezza la Costituzione «De Ecclesia»: la dottrina su questo punto va approfondita, chiarita e solennemente presentata.

Il Card. Browne osserva: «Io credo che i Membri della Commissione Teologica abbiano voluto presentare soltanto ciò che è chiaro. Tra essi c'erano uomini di primo piano. Certo che molte cose verranno fuori nelle discussioni conciliari ed i teologi dovranno essere pronti per aiutare e chiarire, fornendo testi e spiegazioni».

Il Card. Presidente: «È giusto; il Concilio, servendosi dell'opera dei teologi, dovrà cercare di migliorare, arricchire e approfondire la dottrina de Ecclesia».

Il Card. Browne: Bisogna fare in modo che non si determinino reazioni contro Roma. Oggi c'è in corso una forte reazione contro la Curia Romana.

Il Card. Copello: «A causa della lentezza con cui si trattano le pratiche».

Il Card. Presidente: «E dal modo con cui vengono ricevuti i Vescovi».

Il Card. Browne: «Ma la reazione è anche dottrinale a causa di alcune decisioni prese dal S. Officio; reazione però ingiustificata perché il S. Officio procede con cautela. La causa è piuttosto da attribuire ad una crisi di obbedienza verso Roma».

Il Card. Presidente: «Credo che a diminuirla gioverebbe una più equa e chiara oggettività dei nostri atteggiamenti».

Il Card. Browne: «C'è in atto un movimento di pensiero pericoloso; si parla ingiustamente di abusi di autorità da parte di Roma».

Il Card. Copello: «Cerchiamo tutti di raccogliere l'invito del Papa, rinnovandoci, e ciò contribuirà a diminuire i lamentati disordini dottrinali e morali».

Il Card. Presidente inizia l'esame dei singoli punti e numeri; il primo numero passa senza osservazioni.

Al n. 2: «Primatus et Episcopatus», *il Card. Presidente* osserva che, come già è stato detto nel capitolo precedente, sia meglio attenersi alla dizione ed al concetto espresso al n. 1 del terzo capitolo, dove si dice: «... potestatem authentice docendi et gubernandi in Ecclesia ita instituit ut *natura sua* arcto vinculo coniungeretur potestati sanctificandi quae in sacramento Ordinis confertur»; per cui in progresso di dottrina proporrei di dire: n. 2 — «Primatus et Espiscopatus» — Etsi sacra ordinatio summi gradus sacerdotii *cum munere sanctificationis munera quoque magisterii et regiminis, quibus iurisdictio constat*, natura sua confert, tamen Episcopi huius iurisdictionis actuale exercitium non ipsa ordinatione sacra, sed missione iuridica, et quidem non ab Ecclesia, ut est congregatio fidelium, vel a fidelibus, etiam quam plurimis congregatis, neque a potestate civili, sed a regimine Ecclesiae supremo accipiunt».

L'emendamento viene accettato. Il resto del n. 2 passa senza osservazioni.

Al n. 3: «Relatio Episcoporum ad totam Ecclesiam», *il Card. Presidente* propone che al rigo 3 si legga: «... attamen, ut in communione fraterna soliditatis robur», al posto di: «non sine quadam responsabilitate», e in fine del numero, al posto di «maxime autem», «De cetero sanctum est, quod...» e di aggiungere «efficienter», prima di «contribuunt».

È San Gregorio Magno, il Concilio Vaticano I e Pio XII a parlare di «soliditatis robur». Acconsentono i Cardd. Micara, Copello e Browne, il quale raccomanda precisione e chiarezza.

Al n. 4 *il Card. Presidente* osserva che il testo nella parte finale non è chiaro, anzi sembra contradditorio, perché si dice: «... Episcopi residentiales in pace cum Sede Apostolica viventes suo iure...» e poi si sostiene che è necessario che: «... a successore Petri... assumptus sit».

Il Card. Browne: «Anche per me non è chiaro; bisogna rendere il testo più chiaro».

Non viene però presentato un testo nuovo. Non ci sono altre osservazioni.

Il Card. Presidente passa quindi al cap. V: *De statibus evangelicae adquirendae perfectionis*, facendo notare le correzioni fatte al testo dietro le osservazioni della Commissione Centrale e proponendo che alla pag. 7, lin. 1 si legga: «Attamen etiam exempti, ut tales *Ordinariis locorum reverentiam et iuxta canonicas leges oboedientiam praestare debent* in officio ecclesiastico ex peculiari suae vitae forma defluente adimplendo. Illud enim in...».

La proposta viene accettata.

Nessun'altra osservazione viene fatta a questo capitolo, che resta perciò approvato.

Il Card. Presidente passa quindi all'esame del cap. VI: *De laicis*, iniziando dalle osservazioni generali, che espone singolarmente, comunicando le risposte ad esse date dalla Commissione Teologica, secondo quanto risulta dalla posizione stampata, pp. 47-48.[4]

Circa le osservazioni particolari niente di rilevante al n. 1 e al n. 2.

Al n. 3: — «Quinam nomine laicorum veniant» — il Card. Browne osserva che la correzione fatta alla linea 10 ss.: «... animum scilicet dirigit ad fideles illos, qui neque *ad sacerdotium hierarchicum*, neque ad statum religiosum, ab Ecclesia...», non è esatta, perché il «sacerdotium hierarchicum» non è comprensivo di tutti i casi; meglio si direbbe: «ad statum clericalem» in modo da comprendere anche i diaconi ed i suddiaconi.

Il *Card. Presidente* accetta l'osservazione, ma suggerisce di dire: «neque ad *hierarchiam Ordinis*».

Il Card. Browne approva e con lui gli altri.

Al n. 4: De iuribus et officiis laicorum, *il Card. Presidente* suggerisce di mutare le parole della linea 20: «solo nomine christiano», in «sola vi nomine christiani».

La proposta viene accettata.

Al n. 5: «De vita salutifera Ecclesiae a laicis active participata», *il Card. Presidente* osserva che si ha l'impressione che di proposito si sia voluto togliere la dizione «actio catholica» e l'altra «apostolatus laicorum», e propone di aggiungere almeno come specificazione questi termini: nel testo corretto (a metà) dire: «Immo eorum operositas, *quae apostolatus laicorum nomen habet*, licet...».

La proposta viene approvata.

Al n. 6: «De collaborationis laicorum principalibus formis», *il Card. Presidente* fa la stessa proposta: Socia laicorum operositas, *seu apostolatus*...

---

[4] Cf. pp. 209-210.

Il Card. Browne accetta anche qui la proposta, ma purché, dice, non si intenda con ciò escludere le forme di apostolato diverse dall'azione cattolica.

Allo stesso numero *il Card. Presidente* propone di aggiungere dopo la parola: «... qua accepta laici participent apostolatum hierarchicum Ecclesiae — della linea 32 — qui nomine actionis catholicae usu venit».

Viene accettata la proposta.

Non vengono fatte altre osservazioni ed il testo resta perciò approvato con gli emendamenti introdottivi.

Il Card. Presidente passa quindi all'esame del cap. VII: *De Ecclesiae Magisterio*, ricordando le osservazioni generali e particolari nonché le singole risposte date ad esse dalla Commissione Teologica.

Non viene proposta alcuna correzione, per cui il testo è approvato con gli emendamenti in esso già introdotti.

Anche il cap. VIII: *De auctoritate et oboedientia in Ecclesia*, viene approvato con gli emendamenti in esso introdotti, senza che siano state avanzate altre proposte o fatte osservazioni.

Sul cap. IX: *De relationibus inter Ecclesiam et Statum, necnon de tolerantia religiosa*, *il Card. Presidente* comunica che la nostra Sottocommissione non prenderà decisione alcuna, perché è stata costituita una Commissione a parte, formata dal Card. Ottaviani, dal Card. Bea e dal Card. Ciriaci, che dovranno concordare e definire quanto in materia è stato presentato dalla Commissione Teologica e dal Segretariato per l'unione dei cristiani. Di tutto il fascicolo resta soltanto la parte generale sui rapporti tra Chiesa e Stato.

Il cap. X: *De necessitate Ecclesiae annuntiandi evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum*, passa senza osservazioni, per cui il relativo testo resta approvato con gli emendamenti in esso introdotti.

Al cap. XI: *De Oecumenismo*, viene fatta concordemente la proposta di concordare questo schema con quanto si dice in altri schemi sull'ecumenismo: meglio fare uno schema unico ben concordato.

Resta così emendato tutto lo schema della Costituzione dogmatica De Ecclesia.

Prima di chiudere la discussione *il Card. Presidente* desidera però fare una dichiarazione personale: «Chiedo che sia messo a verbale che non si può approvare, anzi che va riprovato il tono polemico con cui la Commissione Teologica ristretta ha risposto alle osservazioni fatte dai Padri della Commissione Centrale allo schema, specialmente nei primi capitoli: tono polemico, spesso accompagnato da intolleranza e da autosufficienza in materia che va ancora approfondita e sviluppata e che perciò richiede collaborazione e dicussione serena ed oggettiva.

Tale dichiarazione la faccio a titolo personale e non chiedo che gli Eminentissimi Membri di questa Sottocommissione si associno».

Il Card. Micara approva, mentre *i Cardd. Copello* e *Browne* non dicono nulla.

Il Card. Presidente passa quindi all'esame dello schema «*De Beata Maria Virigine, Matre Dei et Matre hominum*», riferendo le proposte fatte sullo schema dai Padri della Commissione Centrale e gli emendamenti introdotti al testo.

Il Card. Copello osserva che nulla si dice della mediazione della Madonna.

Il Card. Presidente risponde che, dietro suggerimento di alcuni Padri della Centrale, sono state attenuate le espressioni, che direttamente affermavano la mediazione mariana. Se il Concilio riterrà opportuno affermare solennemente tale prerogativa della Madonna, si vedrà.

Non vengono fatte altre osservazioni, per cui il testo resta approvato con le correzioni in esso già introdotte.

Fatta la preghiera di rito, viene tolta la seduta.

EM.MUS IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Valais (Suisse), 29 luglio 1962

Em.mo e Rev.mo Signor Mio Oss.mo,

Mi reco a dovere accludere i due «voti» miei, relativi agli argomenti trattati nelle due sedute della Sottocommissione Centrale per gli Emendamenti, nei giorni 16 e 17 c.m. e dalle quali io sono stato assente.

Mi è qui giunta notizia di un terzo plico contenente i fascicoli relativi ad altri argomenti sottoposti alla stessa nostra Sotto Commissione. Nei prossimi giorni, ritornato in Sede, esaminerò subito le questioni e farò pervenire con tutta sollecitudine il mio umile voto.

Ringrazio ancora Vostra Eminenza per avermi tanto benevolmente concesso di non interrompere le mie necessarie e brevi vacanze di Luglio, restando assente dalle sedute di questo mese.

Profitto volentieri della occasione per esprimere a Vostra Eminenza il mio sincero e profondo ricordo, col quale, baciando umilmente le mani, mi professo

della Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo obb.mo servitor vero

GIUSEPPE Card. SIRI
Arciv. di Genova

A Sua Eminenza R.ma
il Sig. Card. Carlo CONFALONIERI
Presidente della Pontificia
Sottocommissione Centrale per gli emendamenti

ADNEXUM

ANIMADVERSIONES QUOAD SCHEMA CONSTITUTIONIS
DE ECCLESIA

17 iulii 1962

Omnia acceptantur quae Commissio Theologica, post votum Commissionis Centralis, sive emendavit, sive emendare renuit. Haec tantum observantur quae sequuntur, salvo semper meliore iudicio prolato ab aliis Eminentissimis Membris Commissionis de schematibus emendandis.

Capite I, n. 4, pag. 7, lin. 10 et seqq. Dicitur, desiderio adhaerendo Em.mi König, « Ob elementum sociale una cum mystico clarius in eo expressum, *principem locum tenet figura corporis*, qua Christi instinctu Paulus usus est ».

Timet infrascriptus opinans ne in hac affirmatione ratio sufficienter habeatur sive tituli « Regnum Dei » sive figurae « Vineae », (quibus ipse Dominus noster Iesus Christus usus est) (*Io.* XV, 1 ss.).

Capite II, n. 3, pag. 7, linn. 14-17. Cum recensentur rationes, quibus — non obstantibus haeresi vel schismate — fratres « separati » habent cum « Pia Matre Ecclesia coniunctionem, etiam de hac ratione sermo fit: 'orationum, espiationum et beneficiorum spiritualium communio' ».

Haec affirmatio videtur *nimia*. Etenim:

a) certe sunt inter fratres separatos, qui — verificatis condicionibus — excommunicatione plectuntur. Ideo affirmatio prolata in schemate et nuper relata apparet *nimis lata* ratione *subiectorum*;

b) cum in « beneficiis spiritualibus » (terminus est comprehensivus), de quibus praedicatur « communio » inter Piam Matrem Ecclesiam et « separatos », omnia bona supernaturalia, si quis vult potest complecti, affirmatio apparet *nimis lata*, ratione *obiectorum*.

Proponitur ergo ut prudentius dicatur hoc modo: « ... orationum, expiationum et beneficiorum spiritualium *aliqua saltem* communio ».

IOSEPH Card. SIRI

ANNOTATIO EX OFFICIO

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 314/SE

E Civitate Vaticana, die 30 luglio 1962

DE ECCLESIA

Nella riunione del 17 luglio 1962 gli Eminentissimi Membri della Sottocommissione Centrale degli Emendamenti hanno preso in esame le proposte avanzate dai Membri della Commissione Centrale e le risposte ad esse date dalla Commissione Teologica, in vista degli emendamenti da apportare allo Schema della Costituzione dogmatica *De Ecclesia*.

In proposito già la Commissione Teologica, accettando alcune osservazioni dei Membri della Commissione Centrale, aveva proceduto alla correzione di diversi testi dello Schema.

Alla Sottocommissione incombeva quindi il compito di dirimere le questioni sui passi rimasti controversi.

All'uopo la Segreteria della Sottocommissione aveva preparato una posizione stampata, che fu inviata agli Eminentissimi Cardinali, con l'invito a partecipare alla seduta comune.

La discussione che si ebbe nella riunione degli Eminentissimi Membri fu particolarmente attenta e approfondita sui punti relativi al « De Membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem », al « De Episcopatu ut supremo gradu sacramenti ordinis et de sacerdotio », al « De Episcopis residentialibus ».

Su quest'ultimo capitolo in particolare la Sottocommissione fermò la sua attenzione, cercando di trovare una soluzione adeguata alla complessa e difficile questione della natura e dell'origine dei poteri dei Vescovi.

La norma, concordata dopo approfondito esame ed in base alle varie posizioni che erano state assunte dai Membri della Commissione Centrale, è stata così formulata: « etsi sacra ordinatio summi gradus sacerdotii cum munere sanctificationis munera quoque magisterii et regiminis, quibus iurisdictio constat, natura sua confert, tamen Episcopi huius iurisdictionis actuale exercitium non ipsa ordinatione sacra sed missione iuridica, et quidem non ab Ecclesia, ut est congregatio fidelium, vel a fidelibus, etiam quam plurimis congregatis, neque a potestate civili, sed a regimine Ecclesiae supremo accipiunt ».

Nel concretare le sue risoluzioni e nel formulare le sue proposte di emendamenti la Sottocommissione ha inteso soltanto di contribuire alla soluzione

delle gravi questioni che sono alla base dello Schema in oggetto, senza assumere posizioni di intransigenza.

Trattandosi nel caso di materia che è ancora in via di approfondimento da parte dei Teologi e non ancora chiaramente delineata da parte della Gerarchia, la Sottocommissione non ha potuto condividere l'atteggiamento polemico ed intransigente assunto dalla Commissione Teologica nel rispondere alle osservazioni dei Padri della Commissione centrale.

Tra le altre proposte di emendamenti avanzate dalla Sottocommissione ed inserite nel testo corretto, è stato messo a verbale che sarebbe quanto mai opportuno che l'ultimo capitolo dello Schema, intitolato «De Oecumenismo», sia concordato ed unificato con il relativo Schema presentato dal Segretariato dell'Unione dei Cristiani e con quello preparato dalla Commissione per le Chiese Orientali.

Dissente però su ciò la Commissione Teologica, la quale desidera che la parte dogmatica resti separata da quelle disciplinare.

SESSIO XIII

(18 Iulii 1962)

A) *DOCUMENTA*

1

Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 237/SE

E Civitate Vaticana, die 9 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere qui unite all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 9 e 10 maggio s.,[1] in vista degli emendamenti da apportare agli schemi *De alumnorum statuum perfectionis institutione* (Cap. XVI-XXV)[2] e *De statibus perfectionis adquirendae* (Sectio III e IV).[3]

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 1139-1156; 1168-1180; 1324 ss.

[2] *Schema de statibus perfectionis adquirendae.* Pars secunda, sectio secunda: *De alumnorum statuum perfectionis institutione*, capita XVI-XVIII, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 15; capita XIX-XXII, 1962, p. 12; capita XXIII-XXV, 1962, p. 11: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, p. 1116-1132; vol. III, pars I, pp. 468-484.

[3] *Schema de statibus perfectionis adquirendae.* Pars secunda, sectio tertia: *De vocationibus religiosis promovendis et de alumnorum admissione ad professionem et ad ordines*, capita XXVI-XXVIII, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 17: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 1156-1162; vol. III, pars I, pp. 484-490.

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre già comunicate a codesta Commissione in data 31 marzo 1962, questa Sottocommissione desidera sapere quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine.

Già ringraziando, bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di distinto ossequio mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo obbl.mo um.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Card. Valerio VALERI
Presidente della Commissione dei Religiosi

Sectio quarta, *De quibusdam quaestionibus particularibus status perfectionis*, capita XXIX-XXXI, 1962, pp. 8: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars III, pp. 1162-1165; vol. III, pars I, pp.490-493.

2

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 274/SE

E Civitate Vaticana, die 22 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere qui unite all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi, e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute del giorno 15 c.m.,[1] in vista degli emendamenti

---

[1] Patrum observationes typis editae sunt in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 359-383; 842 ss.

da apportare agli schemi *De statibus perfectionis adquirendae*, sectio I, capp. I, II, III, IV, V,[2] e sectio IV, cap. XXXII.[3]

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre già comunicate a codesta Commissione in data 31 marzo 1962, questa Sottocommissione desidera sapere quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine.

Già ringraziando bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Al Signor Cardinale Valerio VALERI
Presidente della Pont. Comm. dei Religiosi

---

[2] *Schema de statibus perfectionis adquirendae*. Pars prima, sectio prima: *Constitutio de statibus perfectionis adquirendae*, capita I, II, III, IV, V, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 30; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 337-352; vol. III, pars I, pp. 433-448.

[3] *Schema de statibus perfectionis adquirendae*. Pars secunda, sectio quarta: *De quibusdam quaestionibus particularibus status perfectionis*, caput XXXII: *De Missionibus*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 8: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 352-354; vol. III, pars I, pp. 493-495.

3

EM.MUS VALERIUS CARD. VALERI

Praeses commissionis de Religiosis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE RELIGIOSIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 048/62

E Civitate Vaticana, die 5 iulii 1962

Eminentissime Domine,

Litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae diei 9 Iunii 1962 (Num. Prot. 237/SE)[1] grato animo accepi, una cum Observationibus Em.morum, Exc.morum ac Rev.morum Patrum Commissionis Centralis Praeparatoriae Concilii Oecumenici Vaticani II, in sessionibus 9 et 10 mensis Maii u.e. prolatis, super quinque schemata Commissionis de Religiosis, nempe:

De alumnorum institutione: capita XVI-XVIII;

De alumnorum institutione: capita XIX-XXII;

De alumnorum institutione: capita XXIII-XXV;

De vocatione religiosa et de admissione: capita XXVI-XXVIII;

De quibusdam quaestionibus particularibus: capita XXIX-XXXI.

His observationibus a Rev.mo P. Secretario aliisque selectis membris Commissionis diligenter examinatis, honori mihi duco Eminentiae Tuae responsa remittere quae ipsi pro munere suo facienda aestimaverunt.

Quae dum communico, qua par est observantia magnoque cum sensu venerationis laetus me obtestor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum in Christo Iesu
VALERIUS Card. VALERI, *praes.*

Em.mo ac Rev.mo Domino
Domino Cardinali Carlo CONFALONIERI
Praesidi Subcommissionis de schematibus emendandis

---

[1] Cf. pp. 244-245.

4

REV.MUS D. VINCENTIUS FAGIOLO

Secretarius subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 298-299/SE

E Civitate Vaticana, die 9 luglio 1962

Em.mo e Rev.mo Signor Mio Oss.mo,

Mi pregio comunicare all'Eminenza Vostra Reverendissima che il giorno 18 luglio c. avrà luogo l'Adunanza della Sottocommissione, per gli emendamenti da apportare al testo del Decreto *De Religiosis*, che non è stato ancora emendato.

Sarà Relatore l'Eminentissimo Card. Michele Browne.

Mi è gradito l'incontro, per confermarmi con sensi di distinto ossequio

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
dev.mo
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

Agli Eminentissimi Signori Cardinali
Cardd. Clemente MICARA, Giuseppe SIRI,
Giacomo L. COPELLO, Paolo Emilio LÉGER,
Giuseppe FRINGS e Michele BROWNE

5

EM.MUS VALERIUS Card. VALERI
Praeses commissionis de Religiosis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE RELIGIOSIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 052/62

E Civitate Vaticana, die 17 iulii 1962

Eminentissime Domine,

Litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae diei 22 Iunii 1962 (Num. Prot. 274/SE)[1] grato animo accepi, una cum Observationibus Em.morum, Exc.morum ac Rev.morum Patrum Commissionis Centralis Praeparatoriae Concilii Oecumenici Vaticani II, in sessione diei 15 mensis Iunii u.e. prolatis, super duobus schematibus Commissionis de Religiosis, nempe:

Constitutio de statibus perfectionis adquirendae, capita I, II, III, IV, V; *De Missionibus*, caput XXXII.

His observationibus a Rev.mo P. Secretario aliisque selectis membris Commissionis diligenter examinatis, honori mihi duco Eminentiae Tuae responsa remittere quae ipsi pro munere suo facienda aestimaverunt.

Pariter restituuntur exemplaria originalia ipsarum Observationum Commissionis Centralis.

Quae dum communico, qua par est observantia magnoque cum sensu venerationis laetus me obtestor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum in Christo Iesu
VALERIUM Card. VALERI, *praes.*

Em.mo ac Rev.mo Domino
Domino Cardinali Carlo CONFALONIERI
Praesidi Subcommissionis de schematibus emendandis

[1] Cf. pp. 245-246.

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI

DE RELIGIOSIS

PARS I

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

— 5 —

DE EMENDATIONE SCHEMATIS

DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE SEU DE RELIGIOSIS

(Capp. I-V)

Pont. Commissio de Religiosis fere tractatum de Religiosis paravit, cuius sectio prima primae partis inscribitur *Constitutio de statibus perfectionis adquirendae* et quinque capitibus constat.

Die 15 iunii 1962 Pont. Commissio Centralis Constitutionem examinavit.

Transmissis observationibus Patrum Commissionis Centralis ad Commissionem de Religiosis die 22 iunii eiusdem anni, haec Commissio suas dedit amplissimas responsiones die 17 iulii 1962.

Nunc textus huius schematis emendandus est a nostra Subcommissione.

Observationes generales et responsa eis data

I. *Observ.*: Pizzardo: « In quaestionibus incidit de rebus controversis et nondum solutis ».

Respondetur: Commissio nostra consulte voluit vitare in schemate quaestiones controversas nondum sufficienter maturas ad aliquod Decretum Conciliare de iis ferendum, et illas tantum retinuit quae, saltem sub forma in schemate ipsis data, omne prudens dubium excludebant.

Ut textus noster, magno labore et proficua collaboratione Membrorum Commissionis confectus, convenienter mutari posset, necessarium nobis esset accipere concretas animadversiones circa singula puncta quae videntur controversa et nondum soluta.

II. *Observ.*: Aloisi Masella: « Praesens schema videtur aliquantulum prolixum cum multis distinctionibus et subdistinctionibus et in quaestiones incidit de rebus controversis quarum solutiones non semper pacificae sunt ».

Respondetur: i) Prolixitas schematis cum multis distinctionibus et subdistinctionibus est de ipsa *Ratione materiae* hic per-

tractatae. In sua relatione ad Schema introducendum, Em.mus D. Cardinalis Valeri exposuit quomodo *Status perfectionis,* inde a Concilio Tridentino, evolverit in plures formas, tum fundamentales ut sunt tres species status perfectionis ab Ecclesia agnitae, nempe: Religiones, Societates et Instituta Saecularia: tum secundarias speciatim in institutis vitae activae. In hac complexa materia ad perspicuum ordinem inducendum, necessarium est non tantum aliquem generalem praebere conspectum status perfectionis, sed etiam eiusdem diversa elementa constitutiva clare distinguere et organice coordinare. Inde divisiones et subdivisiones sine quibus tota res obscura et confusa remaneret.

De *necessitate* praesentis Constitutionis haud dubiis verbis disseruit Em.mus Cardinalis Valeri, Relator Schematis.

ii) Quoad res controversas, iam responsum datum est in praecedenti (p. 1).

III. *Observ.*: Cicognani (concordat König): « Placet. Attamen, multo brevior sit expositio materiae; clarior principiorum enunciatio; magis proprius usus verborum (praesertim vocis " perfectio " et " status "), iuxta Documenta Pontificia quae rectam doctrinam tradunt ».

Respondetur: i) Perdifficile, etsi omnino non impossibile, esset materiam *brevius* exponere quin omittantur res vel explicationes necessariae ad congruentem materiae intellectum assequendum. Commissio pro viribus textum studuit coarctare sine tamen damno integritatis et claritatis argumenti.

Ceteroquin, de maiori minorive extensione expositionis idem fere videtur dicendum ac de materia retinenda vel remittenda, ut pluries dictum est in praecedentibus responsis: non est facile unam obtinere sententiam circa ea quae *in concreto* sunt supprimenda vel addenda. De facto, plerumque proferuntur hac de re tantum *generales* observationes quin singula emendanda indicentur et multo minus qua ratione essent emendanda!

ii) In schemate elaborando, Commissio plene adhaesit variis documentis pontificiis, etiam quoad usum verborum « perfectionis » et « status »: hic, non dicitur in quo, relate ad ista verba, schema peccat, neque aliunde apparet.

IV. *Observ.*: Liénart: « Exopto quod, de statibus perfectionis, Concilio proponantur tantum principia fundamentalia, doctrinae et vitae religiosae spectantia, non autem iuridica ».

Respondetur: Ut Em.mus Cardinalis Valeri in sua relatione explicavit, praesens Schema est indole *iuridicum,* cuius *necessitatem* perspicuis verbis vindicavit (cfr. Resp. ad Observ. II), nonobstante quod Commissio Theologica de *Statu perfectionis* locuta fuerit in Constitutione de Ecclesia: quia haec ultima est indole *theologica.*

Concilium evidenter non limitatur ad res mere theologicas. In variis schematibus a diversis Commissionibus praeparatoriis praesentatis, plurima sunt argumenta indole iuridica et merito quidem: cum agatur de ordinatione ecclesiastica, impossibile est vitare aspectum iuridicum Ecclesiae. Pariter dicendum, cum agatur de Institutis religiosis renovandis: eorum ordinationes iuridicae ignorari nequeunt.

V. *Observ.*: Spellman: « Hoc in schemate a Commissione de Religiosis sapientissime et lucidissime confecto, tota doctrina de statibus perfectionis adquirendae secundum fundamentalem eorum substantiam quae in verbis Christi posita est et secundum rationes iuridicas quae ab Ecclesia dependent ita proponitur ut variorum statuum perfectionis christianae necessitatibus prout tempora nostra suadent aptiore modo salubriter provideatur. Valde optandum est ut futura commissio ad novam editionem Codicis Iuris Canonici redigendam totam ecclesiasticam ordinationem statuum perfectionis accurate secundum provisiones huius Schematis recognoscat atque apte renovetur ».

Respondetur: Grati sumus Em.mo Cardinali Relatori pro tanta aestimatione schematis, quod utique, cum pluribus aliis in archivis Commissionis servatis, futurae Codicis Iuris Canonici revisioni inservire poterit.

VI. *Observ.*: Frings: « Non placet quia nimis longum et parum dilucidum ».

Respondetur: Ut patet ex observatione praecedenti aliisque subsequentibus, non omnes ita sentiunt. Em.mus Cardinalis Montini sic exorditur: « Laudanda est Commissio de Religiosis quae nobis de perfectione loquens exemplum voluit perfectionis exhibere! » (cfr. infra pag. 16). Em.mus Cardinalis Richaud scribit: « Hoc primum schema placet iuxta modum, nam luculenter divisiones et applanationes praebet pro practica inspectione Statuum perfectionis » (cfr. infra pag. 17).

Circa adsertam obscuritatem schematis, haec non videtur confundenda cum ipsius materiae complexitate. Re vera, plurima puncta tractanda fuerunt, et quidem in se ipsis satis implexa. Unde nihil mirum si brevi formula problemata solvere non potuimus. Ex alia parte, periculosum valde fuisset brevitatem et

— 8 —

claritatem cum detrimento veritatis quaerere (cfr. supra in responso ad Observ. III).

VII. *Observ.*: RUFFINI (concordant: Liénart, McGuigan, Quiroga, Léger, Garibi, Godfrey, Marella, Gori, Antezana, McKeefry, Hurley, Graner, Rakotomalala, Bea): « Exopto ut aperte affirmetur et illustretur maxima utilitas etiam *socialis* status perfectionis adquirendae ».

Respondentur: 1) Schema non caret omni animadversione ad *utilitatem socialem* Institutorum Status Perfectionis. Art. 28 loquitur de duplici officio status perfectionis erga Ecclesiam cui iuvat, sive ad eius notam *sanctitatis* praedicandam, sive ad *eam dilatandam* « prece actuosaque opera ».

Insuper, in Schemate de « Ipsa vita religiosa renovanda » Cap. XI, haec leguntur: « Neminem latere potest quanta excellentia praestent Instituta status perfectionis quorum sodales... non solum propriae animae sanctificationi et saluti consulunt, sed *universae* quoque Ecclesiae *civilique* societati, quibus tantam per saecula attulerunt et adhuc afferunt utilitatem » (cfr. pag. 7, art. 1).

ii) In praesenti schemate elaborando, primus textus Commissioni nostrae subiectus fuerat, qui compendiose tantum in praesenti schemate refertur, initio art. 29 (pag. 26) his verbis: « Compertum est quanta alacritate et heroica fidelitate Status perfectionis membra, adlaboraverint in Ecclesia aedificanda ac dilatanda, scilicet, perpetua Dei servitio mancipatione, exemplo virtutum, eximia sanctitate ardentissimoque zelo ».

iii) Forte quod in obsequio Observationi Em.mi Cardinalis, articulus praevii textus (qui gratia brevitatis suppressus est!) restitui possit, emendato etiam initio articuli 29 ad sensum quoque praevii textus ut inter utrumque articulum perfecta habeatur connexio.

IV) Si ita *placuerit,* sic res habeatur: *In pag. 26, sub capite V*:

29. [*De utilitate sociali Institutorum status perfectionis adquirendae*]. Quanta claritate et heroica fidelitate Statum perfectionis membra, specialiter utriusque sexus Religiosi, munus aedificandi ac dilatandi Ecclesiam, perpetua Dei servitio mancipatione, exemplo virtutum, eximia sanctitate, ardentissimo zelo, adimpleverint, omnibus compertum est. Etenim historia sanctitatis et apostolatus catholici singulis suis paginis luculenter nos edocet innumeros esse Sanctos qui in eremis, caenobiis, et septis

— 9 —

Religionum floruerunt et florent; atque ab iis in omnes terrae partes profectos heroicos apostolos, evangelium praedicaturos, — crebro etiam martyrii sanguine signaturos — omni creaturae iuxta mandatum Domini.[1] Sed neque satis: quisnam enim ignorat quantum etiam humanae culturae et civili progressioni contulerint, et nunc conferunt, Religiosi aliive statum perfectionis sectatores innumeris institutis scientificis et beneficis, conditis in iuvamen eorum, praesertim, qui mediis oeconomicis sunt destituti? [2]

29. B) [*Excellentia intrinseca status perfectionis*]. Hactenus dicta luculenter demonstrant summam excellentiam atque altissimum pretium status perfectionis iuxta verissimum principium a Domino prolatum, nempe, ex fructibus, arboris bonitatem dignosci.[1]

Verumtamen, si rem directe velimus inspicere, maxima illorum praestantia et dignitas ex sequentibus considerationibus ab illorum natura et fine desumptis, luce meridiana clarescent. Profecto, Status Perfectionis adquirendae prout in Ecclesia est ordinatus, aptissimum medium sese praebet... etc. (*ut in schemate*: *p. 26, lin. 10*).

VIII. *Observ.*: RUFFINI (concordant: Liénart, etc. ut in VII praecedenti): « Capta occasione, propono ut schema redigatur de perfectione acquirenda a Sacerdotibus dioecesanis, quibus frequenter praebentur occasiones observandi consilia evangelica. Non pauci ex eis observant, in exemplum, praeter castitatem perfectam, etiam summam paupertatem et oboedientiam, interdum heroicam ».

Respondetur: i) Nihil obstat quominus huiusmodi schema redigatur de *perfectione acquirenda* a Sacerdotibus dioecesanis, quod tamen ad nostram Commissionem non pertinet facere, ut advertit Em.mus Card. Cento, Observ. XIV. Liceat tamen monere quod hac in re valde caute erit procedendum, ne fiat confusio inter *perfectionem* ad quam acquirendam sacerdotes omnes tenentur et *statum* (iuridicum) *perfectionis adquirendae* prout

[1] Cfr. *Mc.* XVI, 15.

[2] Cfr. PIUS XI, Ep. Ap. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: *A.S.S.* Vol. XVI (1924), p. 133 ss.; PIUS XII, Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia, A.A.S.* Vol. XXXIX (1947), pag. 114 ss.; IOANNES XXIII, « Allocutio » in Collegio S. Anselmi d. 25 sept. 1959: *A.A.S.*, Vol. LI (1955), pag. 707.

[1] Cfr. *Matth.* VII, 16.

— 10 —

ab Ecclesia *iuridice* (et non tantum theologice) *recognitum*. Haec distinctio accurate et non semel in schemate inculcatur et quidem valde opportune; nam nimis frequenter audiuntur observationes vel sententiae quae ad hanc distinctionem *essentialem* et *inderogabilem* haud sufficienter attendunt.

ii) Ad hanc rem aliquatenus elucidandam, sufficiat hic advertere, quod *status perfectionis adquirendae,* ab Ecclesia iuridice recognitus, non specificatur a *fine*: qui est *perfectio christiana, omnibus fidelibus,* et proinde etiam sacerdotibus proposita; sed a *mediis* quae sunt sibi *propria,* nempe, *consilia evangelica obligatione publica suscepta observanda.*

Ad statum hunc perfectionis constituendum, non sufficit tendentia in perfectionem christianam, neque qualiscumque observantia Consiliorum evangelicorum; sed observantia: *obligatoria,* et quidem *obligatione publica,* scilicet, ab Ecclesia ordinata, sancita et acceptata. Ideo, non sufficit « spiritus » consiliorum neque obligatio eorumdem ex simplici *voto privato.* Haec si mente teneantur, nulla esse potest confusio inter diversos *status vitae,* etsi ad sanctitatem ordinatos, neque ipsi assimilari possunt *statui iuridico perfectionis adquirendae* ab Ecclesia definito et recognito.

iii) Tandem, cum dicitur statum perfectionis esse medium aptissimum Sanctitatis acquirendae, minime contenditur esse medium necessarium et exclusivum: in aliis statibus non tantum sanctitas est possibilis et etiam apta media sanctitatis inveniuntur, licet non eadem, vel non eadem disciplina ordinata, ac in statu perfectionis. Ideo proponitur infra, in Resp. V ad Art. 33 ut in hoc art. (pag. 30, lin. 27-28) sequentia verba addantur: « ... licet clerici aliis specialibus mediis sanctificationis haud tamen sibi exclusivis fruantur quibus in proprio statu... etc. ».

IX. *Observ.*: Siri: « Titulus " De Statibus perfectionis " videtur mutandus ».

Respondetur: Titulus integer est: « De Statibus perfectionis adquirendae ».

In quem alium mutari posset? Est in litteratura Ecclesiastica, immo, theologica, inde a saeculo xiii, maxime post S. Thomam, et rem adaequate exprimit. In quem titulum aptiorem mutari posset, non apparet. Quidam proposuit: « status Consiliorum Evangelicorum ». Quid lucri in mutatione? Non pauca essent dilucidanda ne huiusmodi *novus titulus* confusionem gignat in mente plurium!

— 11 —

X. *Observ.*: Siri: « Ne excludantur anachoretae ».

Respondetur: i) Commissio minime voluit excludere *Anachoretas* ab Ecclesia; tantum, renuit eorum statum tamquam statum perfectionis *publicum* in Ecclesia recognoscere, dicens in art. 11: « At vero status perfectionis evangelicae... praesefert... professionem seu susceptionem consiliorum evangelicorum in aliqua societate ab auctoritate ecclesiastica approbata, *adeo, ut nunc vita anachoretica individualis inter status perfectionis minime recenseatur...* ».

ii) Ad rem rite assequendam, considerari debet quod *vita eremitica* seu *solitaria* extra consortium aliarum personarum, *triplici sensu sumitur:*

a) *sensu stricto*: est vita *solitaria in deserto,* i. e. ab omni consortio humano remota: et haec merito vocatur *anachoretica,* cuius pater est S. Antonius;

b) *sensu lato*: est vita solitaria *in aliquo tamen coenobio*: sive sit per *modum exceptionis*: ut habetur in sic dictis « *reclus* », qui a communitate vivunt omnino separati, soli, licet in eodem monasterio ac ceteri; per *modum communem*: ut sunt Carthusiani, in singulis cellis degentes, in eodem tamen monasterio;

c) *sensu latiore*: est vita semi-solitaria eorum qui licet habitualiter seclusi in monasterio vivant, attamen admittunt quandam participationem communitatis; immo, exercitium externum sacri ministerii moderatum.

iii) De duabus ultimis formis vitae eremiticae, quae vere est *cenobitica,* nihil dicitur in schemate; et isti eremitae ad statum perfectionis pertinent, non specialiter ratione vitae solitariae quam ducunt; sed eorum participatione *societati* cui pertinent, quaeque ab Ecclesia approbatur ut societas status perfectionis.

iv) Quoad autem vitam eremiticam *anachoreticam*: dicendum eam non esse nunc recognitam ut statum publicum perfectionis. Attamen, non prohibetur veram vitam *anachoreticam ducere,* et de facto adsunt anachoretae in Ecclesia Latina, sed omnino pauciores, quasi rarissimae exceptiones; ideoque non oportet de his paucis *legislationem* specialem inducere: pergant suam vitam anachoreticam *iure privato,* sub ductu et vigilantia proprii Ordinarii quin ad gradum status publici evehantur.

v) De cetero, omnes cognoscunt difficultates huius vitae anachoreticae quae requirit, iuxta S. Thomam (II. II q. 188. n. 8) virum omni sub *respectu* omnino sibi sufficientem, quia caret omni subsidio sociali; et valde difficile quoque esset tradere normas huius vitae vere expeditas, quae singulis casibus, multum

inter se diversis, convenire possent. Propterea, Commissio aestimavit hanc rem non esse *maturam* ad legem de ea condendam.

vi) Codex Ecclesiae « Orientalis » recognoscit *Eremitas* (can. 4); sed non dicit eos esse *Anachoretas*, nullam specialem legislationem vel particulares normas pro eis statuit, immo « Canones de *Religiosis* etiam eremitas obligant, nisi contrarium constet ex natura rei vel ex approbatis uniuscuiusque Religionis statutis » (can. 4). Unde, non sunt anachoretae, sed sodales alicuius Religionis (cfr. infra pp. 38-39, ad art. 11, III).

XI. *Observ.*: SIRI: « Brevius sit: plura remittentur ad reformationem Codicis ».

Respondetur: De hac re iam actum est in *responsis* praecedentibus: II et III (cfr. supra pp. 5 et 6) praeter alia pluries repetita in schematibus praecedentibus de materia retinenda vel remittenda.

XII. *Observ.*: LÉGER (concordant: Liénart, McGuigan, Quiroga, Montini, Bea, Antezana, Beras, McKeefry, Hurley, Perrin, Šeper, Bazin): « A) Praesens schema quadam ambiguitate laborat: utrum intenditur schema doctrinale aut schema iuridicum. Omnimodo valde indiget inspiratione theologica et spirituali.

B) Observationes generales faciam et maxime de prooemio et capite primo, quae, ut mihi videtur, doctrinam de statibus perfectionis proponere intendit, quaeque meo iudicio, non placent.

Momentum personae Iesu Christi ut fons et exemplar vitae religiosae vix recordatur. Iesus solummodo proponitur ut Magister et Conditor vitae religiosae. Dicendum est quod Christus est centrum vitae religiosae sicut et vitae christianae et actuosa eius praesentia semper vivificat et facit vitam religiosam.

C) Theoria vitae religiosae aedificatur ex notione " perfectionis acquirendae ". Vita religiosa potius construenda est super ipsam caritatem in qua perfectio consistit. Praeterea vita religiosa fundata in notione " perfectionis acquirendae " magis apparet ut opus hominis quam ut opus gratuitae gratiae Dei. Certum est quod Sacra Scriptura (Evangelia et Epistolae) vitam christianam (et consequenter vitam religiosam) non praesentant sub aspectu " perfectionis acquirendae " sed sub aspectu imitationis Christi, quae convenit omnibus conditionibus socialibus humanis.

D) Consilia evangelica praesentantur sub aspectu negativo et ascetico (cfr. numerum decimum). Tamen primo habent valorem positivum: sunt signa libertatis et vitae angelicae. Praeterea nihil dicitur in textu de significatione exschatologica vitae religiosae et praesertim coelibatus.

E) Nihil dicitur de theologica relatione inter Episcopos et religiosos.

F) " Errores refellendi " disceptandi sunt forma magis positiva: v. g. agetur potius de " primatu vitae interioris " (n. 24) de " servitio hominum ob Christum eiusque Evangelium " (n. 25).

G) In summa, dicam quod conceptio maxime iuridica vitae religiosae proponitur, quae conceptio exprimere nequit id quod divitius habetur in vita religiosa. Dum nimis negligitur perspectiva biblica et conceptio patristica; nullus invenitur textus traditionis patristicae quae, maxime illa orientalis, constituit validiorem elaborationem theologicam ad naturam status religiosi exprimendam. Hae sunt rationes cur, meo humili iudicio, hoc primum caput non servandum est sicut nunc est ».

Respondetur: ad A) Schema *doctrinale* potest esse indole vel *theologicum* vel *iuridicum*.

Dicitur « doctrinale », per oppositionem ad « *disciplinare* ». Si haec recte distinguantur, nulla est ambiguitas quod praesens schema sit *doctrinale, utique, iuridicum;* dum in Secunda parte integri schematis de « Statibus Perfectionis Adquirendae », agitur potius de « *disciplina* in vita et opera in Institutis renovanda ». Indoles *doctrinalis* ex una parte, et *disciplinaris* ex altera parte, ex ipsa comparatione textus Primae et Secundae Partis absque dubio manifesta est.

Praesens schema consulte restringitur ad aspectum *iuridicum*, ut explicavit Em.mus Cardinalis Valeri in sua Relatione: quia expositio *theologica* Status Perfectionis praesentata est a Commissione Theologica. *Necessitas* autem huiusmodi Constitutionis Doctrinalis indole iuridica maxime nititur in *evolutione* ipsorum Institutorum, qui sunt omnino *ordinis iuridici*, licet radices habeant in Evangelio: hoc succincte quoque inculcatur in art. 3: « Profecto, illa mirabilis Institutorum perfectionis inde a Concilio Tridentino renovata efflorescentia actuosaque operositas, ingens ubique praevalens vitae et laboris conditionum mutatio necnon ineluctabiles apostolatus moderni multiplices exigentiae, enixe postulant *ut ecclesiastica ordinatio statuum perfectionis accurate iterum recognoscatur...* ».

Hoc Commissio intendit, et nihil aliud. Non intendit *integram* Constitutionem, theologicam, spiritualem et iuridicam, dare de Statibus perfectionis: tum quia partim hoc fiebat a Commissione

— 14 —

Theologica, ut iam dictum est, tum etiam quia pleraque iam sufficienter noscuntur et pacifice acceptantur, quin fuerit necessarium ut Concilium in iis interveniat. De cetero, haec omnia tractare, excederet limites Concilio permissos, quod nonnulli vellent adhuc reducere!

Ad B) « Momentum personae Iesu Christi » succincte, pro indole schematis, sed sufficienter revocatur, et quidem non tantum ut « Magister et Conditor vitae religiosae » sed etiam *exemplar* omnis sanctitatis. Sic enim legitur art. 1: « Omnis sanctitatis Divinus Magister et *exemplar Christus Dominus...* ». Cum non agatur de tractatu theologico exarando, hoc fundamentum sufficiebat ponere. Nemo negat Christum esse centrum vitae religiosae sicut et vitae christianae: sed non est hic locus hoc argumentum evolvendi.

Ad C) Totum schema est de *statu perfectionis,* cuius finis est utique *perfectio christiana* quae essentialiter in ipsa dilectione Dei et proximi consistit; sed simul, hic status est *constans tendentia* ad hanc perfectionem assequendam, ope professionis consiliorum evangelicorum, ut docemur a can. 593 quo, « omnes et singuli religiosi... debent, non solum quae nuncupaverunt vota fideliter integreque servare sed etiam secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere atque ita *ad perfectionem sui status contendere* ». Ideoque, non est simpliciter status perfectionis, sed perfectionis *adquirendae;* et in hoc specifice distinguitur a statu perfectionis *exercendae,* qui est proprius Episcoporum: est limpida doctrina Aquinatis, quae succincte refertur in Articulo 12 praesentis schematis (cfr. infra pp. 29-30).

Consequenter, nulla est oppositio inter *perfectionem,* quae est finis status perfectionis, et *perfectionem adquirendam,* quae est modalitas sub qua talis finis sese praesentat: etiam pro fidelibus, perfectio est semper aliquid « acquirendum »: « si vis perfectus esse » unde ad perfectionem contendere... Hoc minime excludit quod perfectio assequenda sit vera *imitatio Christi,* ut minus recte insinuatur in observatione: sunt aspectus diversi, ad rei claritatem, necessario et accurate distinguendi, sed non propterea unum alteri opponendi.

Ad D) Consilia evangelica, de se et in se spectata, sunt quaedam *disciplina vitae* et quidem negativa, quatenus secumferunt *renuntiationem* bonis externis, illecebris carnis affectusque humani et propriae libertati: inde eorum effectus directus, quoad perfectionem assequendam est etiam *negativus,* i. e. *liberare* animum a triplici concupiscentia. Haec est pernota doctrina Doctoris Angelici et communis theologorum; unde nihil mirum quod in schemate referatur.

— 15 —

Praeter autem hanc *disciplinam negativam* Consiliorum, sunt *virtutes* iisdem correspondentes: haec proculdubio sunt *positivae,* eorumque exercitium, quod precise disciplina negativa Consiliorum facilius reddit, ad ipsam *imitationem* Christi et *perfectam* Dei et proximi *dilectionem* ducit.

Forte quod articulus 10 (pag. 13) hoc sensu *compleri* posset, addendo in *fine*: « ...et holocaustum Eidem gratissimum offert. Praeterea, fidelis horum consiliorum observantia efficaciter ducit ad oboedientiam, castitatem et paupertatem ipsius Divini Exemplaris sanctitatis sedule imitandam atque animum fortiter impellit ad Deum et proximum magna cum sui abnegatione quam perfectissime diligendum ».

Haec videntur observationi Em.mi Relatoris respondere. De cetero, cum significatio vocis « eschatologica » sit multiplex, non apparet quo sensu Em.mus Relator illud adhibuerit.

Ad E) In Articulo 12, sermo est de « Differentia status perfectionis adquirendae a statu *Episcoporum* ».

De relatione autem inter Episcopos et religiosos sermo est in textu *Concordato* utriusque Commissionis de Episcopis et de Religiosis; haec quaestio de relatione connectitur cum alia de *exemptione* ibidem exposita.

Ad F) i) In obsequio observationi Em.mi Relatoris, in art. 24, pag. 21, ad lineam 27 addi posset: « ... ad finem generalem instituti status perfectionis assequendum *et in aestimatione vitaque sodalium primatum omnino tenere debent.* Quare refellendus... ».

ii) Art. 25 e contra videtur sufficienter doctrinam positivam referre de « servitio hominum ob Christum eiusque Evangelium ». Etenim, in pag. 22, linea 15, legitur: « ... illis statibus perfectionis quorum proprium est varia externa opera apostolatus necnon misericordiae corporalis in proximo exercere *propter amorem Iesu Christi, qui omnes voluit ad se trahere et in pauperibus et infirmis repraesentari praedilexit* ».

Et in fine eiusdem articuli, pag. 23, similia habentur: « Sodales igitur statuum perfectionis, cum externis incumbunt operibus; prae oculis semper ferant et assidue colant ea omnia ordinis supernaturalis, cum ceteris ordinis materialis, quae actionis beneficae adaugeant efficaciam. *Verum, imprimis, Iesu Christi amorem in cordibus suis intentissime foveant cuius ductu, pro miseris et egenis vel propriam vitam ponere ne formident* ».

Ad G) Sicut haec observatio praecedentes compendiose (« in

— 16 —

summa ») refert, ita quoque ex praecedentibus responsis responsum obtinere videtur.

XIII. *Observ.*: MONTINI: « A) Laudanda est Commissio de Religiosis quae nobis de perfectione loquens exemplum voluit perfectionis exhibere! Nimis tamen diffusa, ad Concilii utilitatem quod attinet, expositio 32 capitibus confecta, eo vel magis quia multa quae ab hac Commissione dicuntur, a Theologica quoque proposita sunt.

B) Adprobo nihilominus duo schemata examini subiecta, ratione habita animadversionum a Card. Léger factarum de conceptu iuridico perfectionis religiosae, qui totum schema informat quique integrandum est cum consideratione theologica divitiis Sacrae Scripturae ac Patrum suffulta; nec non a Procuratore Patriarchae Melchitarum de vita eremitica ut religiosa consideranda.

C) Adhaereo insuper his quae Em.mus Card. Ruffini sueta subtilitate notavit. Eiusdem Cardinalis voto adhaereo ut conficiatur quoque schema de perfectione acquirenda et exercenda a clero dioecesano, praesertim ab illo qui servitio pastorali animarum addicitur; prae oculis utique habeatur quod Card. Browne nunc animadvertit ».

Respondetur: Ad A) Grati sumus Em.mo Principi pro eo quod in laudem Commissionis de Religiosis dixit, « ... quae nobis de perfectione loquens exemplum voluit perfectionis exhibere! ».

Ad diffusionem autem Schematis quod attinet, iam sufficienter in variis responsis actum est, cum de materia retinenda vel remittenda aut coarctanda sermo fuit.

Proculdubio, munus erit Subcommissionis Centralis materiae mixtae argumenta communia cum materia aliarum Commissionum harmonice componere.

Ad B) Provisum est in responsis ad Observationes Em.mi Card. Léger, ad quas hic refertur.

Ad C) Pariter provisum est in responso ad Observationem Em.mi Card. Ruffini ad quas hic refertur, et in responso ad observationes Em.mi Card. Siri.

XIV. *Observ.*: CENTO: « Placet iuxta modum, dummodo, idest, ratio habeatur de observationibus quas protulere Patres sodales. Generatim, non rigida statuenda est definitio inter vitam contemplativam et vitam activam, cum loquimur de statibus perfectionis. Nescio utrum unus status huius generis concipi

— 17 —

possit in quo contemplatio fons non sit vitalis activitatis externae.

Optimam propositionem fecit Em.mus Card. Ruffini circa perfectionem a clero saeculari seu dioecesano attingendam. Locus autem non est ipse, sed potius ubi Commissio competens loquitur de Disciplina Cleri ».

Respondetur: i) Nullo modo in schemate habetur vel ex eo deduci potest quod possit esse status « ... in quo contemplatio fons non sit vitalis activitatis externae ».

Sed distinguenda est contemplatio *interna* seu *theologica* ad quam exercendam *omnes* invitantur, a vita contemplationis *canonicae* quae *propria* est disciplinae indole monasticae, iuxta doctrinam Constitutionis Apostolicae « Sponsa Christi », cuius articulus II, § 2 sic sonat:

« Vitae contemplativae *canonicae* nomine intelligitur non illa interna et theologica ad quam animae omnes in Religionibus imo et in saeculo viventes invitantur, quamque apud se singulae ducere ubique valent; sed exterior *disciplinae religiosae* professio, quae, sive ex clausura, sive ex pietatis, orationis mortificationisque exercitiis, sive denique ex laboribus quibus Moniales incumbere debent, in interiorem contemplationem ita ordinatur, ut eiusdem studio, tota vita totaque actio et facile valeat et efficaciter debeat imbui ».

Haec doctrina iterum inculcata est a Pp. Pio XII in tribus allocutionibus radiophonicis ad Moniales, anno 1957, ut notavit Em.mus Cardinalis Valeri in sua Relatione ad schema.

Concludendum est multa esse Instituta vitae activae quae vitam contemplativam *canonicam* excludunt; nullum esse quod contemplationem *internam* seu *theologicam* excludit: id quod consonat omnino doctrinae schematis. Oblivio huius distinctionis ansam confusione faciliter praebere potest.

ii) De propositione circa perfectionem a clero saeculari attingendam, iam actum est in Responso ad Observationem VIII (Ruffini) supra pp. 9-10, et ad Observ. X (Siri), supra pp. 11-12.

XV. *Observ.*: KÖNIG: « Sit schema brevius ad mentem Card. Cicognani et patrum qui in disceptatione locuti sunt ».

Respondetur: De extensione schematis iam actum est in Observatione III (Cicognani) (supra pp. 6-7).

XVI. *Observ.*: RICHAUD: « Hoc primum schema placet iuxta modum, nam loculenter divisiones et applanationes praebet pro practica inspectione Statuum perfectionis ».

— 18 —

Respondetur: Grati sumus Em.mo Relatori pro tali iudicio de organica divisione materiae in schemate.

XVII. *Observ.*: DÖPFNER (concordant: Tisserant, Tappouni, McGuigan, Léger, Garibi, Marella, Alfrink, Di Jorio, Gori, Antezana, Beras, McKeefry, Hurley, Perrin, Šeper, Bazin): « Hoc schema bene exponit multa quae ad essentiam et naturam statuum perfectionis pertinent. At expositio nimis longa videtur. Plura possent magisterio ordinario et legislationi S. Sedis relinqui. Alia autem nec quoad rem sunt natura, ut solemniter doceantur a Synodo. Unde ante omnia commendo, ut totum schema de statibus perfectionis adquirendae, antequam Concilio proponatur, in formam valde breviorem ac magis concinnam redigatur, ita ut solummodo principia contineat fundamentalia. Hodie certe non solummodo ex funesta rerum novarum cupiditate, sed solido labore theologico et sensu ecclesiastico multa de vita christiana eiusque statibus tractantur, quae in nostro schemate non satis considerantur ».

Respondetur: De extensione schematis iam datum est in Responso ad Observ. III (Cicognani) (sup. pp. 6-7).

Hic autem, ex *una parte,* « expositio nimis longa » dicitur: et in fine *improbatur* quod « ... multa de vita christiana eiusque statibus tractantur, quae in nostro schemate non satis considerantur ».

Sane, Commissio nostra non sibi proposuit, neque sibi proponere poterat integrum tractatum « de vita christiana eiusque statibus »; ut supra dictum, pro munere suo, schema doctrinale *iuridicum* praecipue exaravit, ad ea sola quae temporibus nostris premere videbantur coarctandum. Ideo, non apparet, quid esset demendum vel addendum sine damno totius schematis.

XVIII. *Observ.*: MARELLA: « Placet cum additamento ab Em.mo Ruffini proposito, scilicet de publice asserenda utilitate sociali Statuum perfectionis acquirendae ».

Respondetur: De hoc actum est in Responso ad Observ. VII (Ruffini: supr. p. 8).

XIX. *Observ.*: SILVA (concordat Šeper): « Maxime oporteret quaedam defectus declarare qui nonnumquam in aliquibus religionibus sparguntur ut: spiritus nimis conservativus vel indigentia sensus adaptationis ad novorum temporum adiuncta: vel extenuata fidelitas ad finem proprii Instituti ».

— 19 —

Respondetur: Haec directe spectant ad *vitam religiosam renovandam,* de qua in altera parte Schematis, ubi ad defectus hic recensitos sufficienter quoque advertitur.

XX. *Observ.*: COUSSA: « Dimissis enucleationibus scholae more, Constitutio referat tres species statuum perfectionis acquirendae et errores de iisdem refellat. Integrum fere prooemii textum servarem ».

Respondetur: i) Data *indole iuridica* schematis (cfr. Resp. ad Observ. IV: Liénart, supra pag. 6), enucleationes non videntur forma scholastica exaggerata.

ii) *Species* status perfectionis sunt *tantum tres*: Religiones, Societates sine votis et Instituta Saecularia (cfr. infr. p. 49).

Ratione autem variarum activitatum, plurimae sunt formae Institutorum ut patet, quae non referebat hic recensere.

iii) De erroribus, Commissio illos tantum hic retinuit qui magis sunt indole doctrinali et particulariter grassantes nostris diebus.

In aliis partibus schematis, plures alii errores vel opiniones vel rationes agendi reprobantur, occasione data, agendo de vita religiosa renovanda.

XXI. *Observ.*: BEA (concordant: Ujčić, Antezana): « Schema I, attentis animadversionibus Em.mi Ruffini: de utilitate sociali status perfectionis et de statu perfectionis cleri saecularis, et Em.mi Card. Léger: de ambiguitate Schematis: iuridicum an doctrinale? Definitio perfectionis non videtur accurata et clara; cfr. n. 10, p. 12; I, 15-22. Ergo laici uxorati non possunt obtinere caritatem. Neque in Concilio loquendum videtur de " statu perfectionis acquisitae " et " acquirendae ". Schema videtur nimis curare de distinctionibus iuridicis quam de essentia perfectionis. De habenda ratione Orientis christianis consentio cum iis quae exponit Exc.mus Deputatus Patr. Melchitarum ».

Respondetur: i) De utilitate sociali status perfectionis: iam actum est in Resp. ad Observ. VII (Ruffini) sup. pag. 8.

ii) De statu perfectionis cleri saecularis: iam actum est in Resp. ad Observ. VIII (Ruffini), sup. pag. 9.

iii) De ambiguitate Schematis: an sit iuridicum vel doctrinale: actum est in Resp. ad Observ. XII (Léger) sup. pag. 12. Sed iuvare potest iterum notare quod non est oppositio ponenda inter *doctrinale* et *iuridicum*: quia Schema *doctrinale,* tale potest esse vel *theologice,* vel *iuridice,* ut omnibus in comperto est.

iv) Non apparet qua ratione ex schemate deducitur quod

— 20 —

« Laici uxorati non possunt obtinere caritatem », dum aperte contrarium docetur in art. 10 (pag. 12) ad lineam 22 ss.: « De his concupiscentiis *interna victoria,* quae ab omnibus qui caritatis perfectionem assequi contendunt exigitur, *per se in quacumque vitae conditione valet ideoque in qualibet vitae conditione possibilis est sanctitatis perfectae consecutio* ». Circa hoc redit sermo in Schemate de « Vita religiosa renovanda », in novo art. ante art. I (pag. 7) ponendo: « de Perfectione Christiana in genere ».

v) Schema non loquitur de statu perfectionis *acquisitae,* ut dicitur in observatione; et Commissio hanc vocem *consulte* vitavit, vocans statum Episcoporum, statum perfectionis « ... quae *exercenda* dicitur » (cfr. Art. 12, pag. 14, lin. 8), iuxta perspicuam doctrinam S. Thomae.

Appellatio autem « status perfectionis *acquisitae* » tribuitur S. Bellarmino a P. Vermeersch (De Religiosis, pag. 15, nota 6) qui eam reprobat.

vi) Distinctiones iuridicae, pro *indole iuridica* Schematis, sunt necessariae; et plures ex observationibus factis demonstrant earum necessitatem ad vitandas confusiones in hac materia (cfr. supra, ad Observ. IV: Liénart, pag. 6; ad Observ. XII: Léger, Resp. A, p. 12).

vii) De ratione habenda Orientis christiani, iam actum est in schematibus praecedentibus, ubi dicitur quod integrum schema nostrum communicatum fuit Rev.mo P. Secretario Commissionis pro Ecclesia Orientali, ipso rogante. Quid haec commissio decreverit, ignoramus.

XXII. *Observ.*: O' CONNOR: « Cum de theologicis principiis ad statum perfectionis adquirendae spectantibus proprio loco tractatum sit, in Constitutione " De Ecclesia " (Caput quintum), haec quinque capita ad breviorem introductionem reduci possent ».

Respondetur: Ex eo quod in Constitutione « De Ecclesia » habeatur caput speciale *de statibus perfectionis,* sub aspectu *theologico* (cfr. Resp. ad Observ. IV: Liénart, sup. pag. 6) minime sequitur praesens schema *indole iuridicum* brevius esse debere; nam agitur de materia diversa quae secundum congruentem extensionem tractari debet, in pluries iam dictum est (cfr. Resp. ad Observ. III: Cicognani, sup. p. 6).

XXIII. *Observ.*: LEFEBVRE: « Attentis dictis a Patribus, proponatur schema modo magis generali et coadunatur in Concilio cum Schematibus de sanctitate cleri et de sanctitate laicorum.

— 21 —

Particularia exponantur seu in Directorio post-Conciliari seu in nova redactione iuris canonici ».

Respondetur: De materia retinenda vel remittenda necnon de extensione schematis iam sufficienter actum est in praecedentibus.

XXIV. *Observ.*: HURLEY (concordant: Liénart, Léger, McKeefry, Graner, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard): « A) Non possumus non laudare schemata " De statibus perfectionis acquirendae "propter eorum sedulam et diligentem vitae religiosae tractationem iuridicam. Haec tractatio iuridica necessaria est, indispensabilis est. Sed, cum Em.mo Card. Léger, rogo: estne sufficiens? Si Christus Dominus tantum aspectum iuridicum religionis christianae praedicaverit et si Sanctus Paulus tantum de eo scripserit, nescio qualem Ecclesiam hodie haberemus.

His post-Pentecostalibus diebus constanter in auribus nostris resonant verba " magnalia Dei ". Haec magnalia experti sunt Apostoli, ea praedicabant. Nunc autem finis Concilii quod paramus, secundum voluntatem Summi Pontificis, est novam Pentecostem producere, i. e. annuntiationem magnalium Dei renovare et indigentiis hodierni temporis adaptare. Sed annuntiatio magnalium Dei non fit formulis iuridicis. Forsitan haec ratio fuit cur Dominus ad apostolatum piscatores vocavit potiusquam legisperitos! Tendit enim piscator natura sua ad magnalia narranda!

Formulae iuridicae valde necessariae sunt quia homines vivere non possunt in societate sine lege, sed lex, quamvis conditio vitae sit, non est ipsa vita, non mentibus praebet visionem, nec cordibus impulsum.

In omni humilitate ergo credo hanc praesentationem iuridicam vitae religiosae complemento aliquo indigere, complemento ut ita dicam evangelico et kerygmatico, ad hoc ut vera plenitudine Verbi Dei reluceat, atque totam veritatem, bonitatem et pulchritudinem vitae religiosae manifestet.

B) Audiendo verba Em.mi Cardinalis Döpfner etiam alia propositio mihi occurrit facienda sed forsitan valore practico caret et ad effectum reduci nequit quia traditioni immemorabili adversatur. Propositio est ut supprimatur ratio loquendi de statibus perfectionis quando de vita religiosa est quaestio. Omnis enim status in Ecclesia est status perfectionis acquirendae. Perfectio enim pertinet ad finem ab omnibus consequendum non

— 22 —

media ab aliquibus adhibenda. Ergo loquamur potius de vita consiliorum ».

Respondetur: Ad A) i) Prima pars huius observationis ad duo reducitur: primum: tractatio *iuridica* de Statibus Perfectionis Adquirendae, quae affirmatur *necessaria*: et in hoc grati sumus Exc.mo Relatori pro tali affirmatione; secundum: *insufficientia* huius tractatus iuridici, propter varias considerationes factas.

ii) Si intentio *Concilii* est conficere *integrum tractatum* de Statibus Perfectionis, omnino dicendum est schema iuridicum esse insufficiens. Sed ut videtur non est talis intentio Concilii, neque id est necessarium: quia non omnia de Statibus Perfectionis ignorantur vel impugnantur: ideoque, materia Concilii reducitur ad ea quae pro temporibus nostris necessaria sunt dicere. Porro dum fundamentum *theologicum* Status perfectionis in ipsa Constitutione de Ecclesia habetur expositum, hic sufficere deberet tractare de aspectu iuridico: ne longius aequo (ut plures nimis timent) schema extendatur.

iii) Considerationes factae ad insufficientiam schematis probandam minime convincunt. Num quia nunc in tempore Pentecostes sumus sit ratio *magnalia Dei* tractandi in Concilio? Num quia Apostoli non erant legisperiti est ratio abstinendi a quaestionibus iuridicis? Num et ipsi erant plus theologi? Num eorum successores debeant esse sicut et ipsi, simpliciter placatores ignorantes a Deo inspirationem expectantes?

Ad B) Gravissima est propositio alterius partis observationis, « ut supprimatur ratio loquendi de statibus perfectionis quando de vita religiosa est quaestio ». Videtur procedere ex solita confusione inter statum *perfectionis* adquirendae *theologicum*, prout scilicet solo Evangelio nisum, secundum quem *omnes* baptizati ad perfectionem vocantur saltem observantia praeceptorum prosequendam; et statum perfectionis adquirendae *canonicum*, prout ab Ecclesia specialiter ordinatum et recognitum. Minime possumus hanc distinctionem ignorare vel reprobare, ita ut saltem aequivoce diceretur omnes fideles vocari ad statum perfectionis adquirendae sub cuius denominatione venit specifici status proprius Religiosorum aliorumque hac in re aequiparatorum.

Proponitur vero alia formula, i. e. « *vita consiliorum* ». De hac re aliquid dicitur in Resp. ad Observ. IX (Siri: sup. p. 10); sed non minus videretur aequivoca haec denominatio: nam plures observant consilia qui non sunt in statu perfectionis canonico! Ideoque melius est retinere *denominationem* quae, etsi de se grammaticaliter sit universalis, *de facto* obtinuit *sensum specificum traditionalem* quae hodie nullam inducit aequivocationem.

— 23 —

XXV. *Observ.*: PERRIN: « Hoc schema in forma valde breviore redigatur, principia tantum fundamentalia tradantur ratione habita de animadversionibus Em.morum Cardinalium Döpfner, Léger, Richaud, ... etc.

De statu perfectionis acquisitae Episcoporum, ad mentem Card. Döpfner ».

Respondetur: i) De extensione schematis iam ample actum est in praecedenti: cfr. pp. 5-6.

ii) De statu perfectionis Episcoporum, iam dictum est quod schema non loquitur de perfectione *acquisita,* sed *exercenda* (cfr. Resp. ad Observ. XXI: BEA, v, pag. 19).

XXVI. *Observ.*: THÛC: « Concilientur pro Concilio oecumenico, in quantum conciliari possunt opiniones Patrum de hac re ».

Respondetur: Opus Concilii est opus *veritatis* et *iustitiae*: unde non est conciliare opiniones quae saepe non tantum sunt diversae, sed contrariae et contradictoriae; sed ex variis illustrationibus, veritatem indagare et sine compromisso declarare.

XXVII. *Observ.*: SUHR: « Expositio fiat brevior et minus iuridica ratione habita observationum Patrum ».

Respondetur: De utroque amplissime iam actum in praecedentibus.

XXVIII. *Observ.*: JANSSENS: « In voto Em.mi Cardinalis Decani. Articuli D. Thomae Aquinatis de hac re solvunt obiectiones contra schema prolatae ».

Respondetur: De facto Commissio a doctrina Aquinatis inspirationem traxit. Grati sumus Rev.mo Praeposito Generali pro hac agnitione.

XXIX. *Observ.*: SALMON (concordant: Tisserant, Liénart, Alfrink, McKeefry, Graner, Perrin, Bernard, Out): « A) Quae in schemate de Statibus perfectionis adquirendae expressa sunt perpulchra et opportuna esse nemo negare potest. Utrum haec omnia Concilio Oecumenico proponere non tam evidens est, ut iam a pluribus in hoc Ven. Consessu dictum est. Nulla enim quaestio fit hodie neque de vocatione religiosa, neque de necessitate optimae formationis alumnorum, neque de necessitate certis temporibus vitae religiosae renovandae, neque de ferventi

— 24 —

spiritu ac de utilissimo labore institutorum laicalium fratrum docentium. Aliunde, inde ab aliquibus annis, S. Sedes super has quaestiones sapientissimas normas, decisiones et consilia promulgavit, uti ex textibus citatis et ex notulis ad calcem pagellarum positis clare patet, ita ut schema propositum sit veluti ecloga seu merum excerptum documentorum pontificium de religiosis.

B) Interea aliqua nimis succincte forsan tractata sunt. Exempli gratia, quae in capite XIV dicta sunt de Institutis status perfectionis uniendis, supprimendis vel de novo condendis. Est res magni momenti, cum multiplicitas semper crescens Institutorum secum ferat magnam distractionem et iacturam virium in Ecclesia. Quae dicuntur in hoc capite, singillatim a n. 29 usque ad n. 37, non sunt consideranda ut consectaria remota accommodatae renovationis religiosae, sub eodem respectu ac aptationes directoriorum vel consuetudinariorum necnon aptationes habitus religiosi, de quibus in capitibus praecedenti (XIII) et subsequenti (XV) tractatur: imo vero, meo humili iudicio, considerari possent eiusdem accommodatae renovationis veluti principium et cardo. Quantum ad ea quae in numeris 36-37 eiusdem capituli efferuntur (De institutis languescentibus et de novis institutis numero temperandis), opportunum esset ut magis in lucem ante oculos Patrum Concilii sub aspectu boni totius Ecclesiae ponerentur, ita ut mentem suam aperiant super has graves quaestiones.

C) De Religiosarum statu vero nihil in schemate dicitur, nisi quae in cap. XXIX referuntur. " De regimine sacramenti poenitentiae et de assistentia spirituali in institutis status perfectionis " singillatim a n. 116 ad n. 119, et generaliora quae de omnibus religiosis dicuntur. Atque in Ecclesia innumerae religiosae ad Dei gloriam et ad salutem animarum mirifice, cum sui abnegatione, adlaborant, multas autem difficultates habent. Sequentia tantum notabo: De institutione novitiarum, de formatione sororum etiam post earum professionem religiosam, de regimine superiorissarum, de visitationibus canonicis, de administratione bonorum temporalium, quomodo a superioribus ecclesiasticis, e clero saeculari et regulari adiuvantur, tam in spiritualibus quam in temporalibus. Numquid aliquando a sororibus labor vel emolumenta expectentur, quin multum de earum necessitatibus curetur?

D) Fatendum est moniales ad aliquem Ordinem virorum pertinentes vel religiosae in magnis et florentibus congregationibus viventes, ubi omnia bene ordinantur, ordinarie eximuntur ab

— 25 —

istis difficultatibus; sed de multis aliis, speciatim parvis congregationibus idem dici non potest. Si Concilium de fratribus docentibus agere debet, multo magis de sororibus et de monialibus, de quo magna est expectatio non tantum apud religiosas ipsas, sed etiam apud fideles plurimos.

E) Alia plura dici possent, sed haec sufficient, saltem ut videntur quomodo schema de Religiosis Concilio proponendo retractari possent. Nec submisso sensu, non tam conspectus generalis, modo speculative expositus, totius vitae religiosae desideratur, quam explanatio aspectuum vitae perfectae qui hodie specialem difficultatem secum ferunt, vel eorum maioris momenti quae incrementum vitae sanctitatis eiusque operositatis pro bono ecclesiae afferre possent ».

Respondetur: Observatio Rev.mi Abbatis, ut patet, multum excedit ambitum praesentis Schematis: « Constitutio de Statibus Perfectionis », et ad integrum schema sese extendit. Ea quae ad huius integri schematis diversas partes referuntur iam in propriis locis pleraque soluta sunt: ideoque non videtur necessarium hic ad ista redire.

Satis mirum quod ex una parte dubitet de necessitate afferendi Concilio plura quae in schemate habentur; dum ex altera parte alia proponit in schemate inducere et quidem tanta copia ut schema in duplum fere succrescere deberet!

Ad A) Factum quod diversa argumenta in schemate tractata in variis documentis pontificiis nituntur non infirmat eorum praesentem *necessitatem*, sed ipsis praestat maiorem *firmitatem*. Neque schema habendum est tanquam veluti *Enchiridion* documentorum pontificium, ut insinuat Rev.mus Relator: si ita, esset valde incompletum. Tantum quaedam argumenta a Summo Pontifice demandata fuerunt vel a Commissione selecta propter eorum praesentem necessitatem vel peculiarem utilitatem, ut in suis locis dictum est.

Unde nihil est demendum ex istis variis capitibus.

Ad B) Consulte argumenta in hac parte observationis recensita *succincte* tractata fuerunt, ut decebat Concilium et ne materia ultra modum extenderetur, iuxta placitum Commissionis Centralis saepe expressum. Sed brevitati consulendo, Commissio curavit dicere ea quae erant essentialia et necessario dicenda. Momentum peculiare horum capitum sufficienter omnibus apparet quin necessarium fuerit protracta dissertatione « magis in lucem ante oculos Patrum Concilii sub aspectu boni totius Ecclesiae » ponere: quod de se evidens est.

— 26 —

Ad C) Affirmatio quod « de Religiosarum statu vero nihil in schemate dicitur » caret omni fundamento. Nam de se, *omnia,* etsi sub vocabulo masculino dicta, etiam mulieribus religiosis applicanda sunt, congrua congruis referendo, nisi aliud constet ex natura rei vel contextu. Et in hoc, Commissio retinuit principium a can. 491 statutum: « Quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet ». Immo, art. 14 praesentis schematis (Terminologia: terminus « religiosus » stricto et lato sensu) adhuc significationem verbi ampliat.

Specialiter autem de Fratribus docentibus locuta est Commissio propter specialem rationem eorum vocationem extollendi contra detrectatores vel indifferentes. De Monialibus autem, specialiter agitur in Schemate de Vita religiosa renovanda, art. 2, ad earum vitam contemplativam, in praesenti fervore vitae activae specialiter commendandam.

Ad D) Iam in praecedenti responso provisum est huic observationi. Etenim, omnia ibi recensita: de institutione novitiarum, de formatione sororum... etc., de quibus certo religiosae generatim indigent, inveniuntur in schematis variis locis praescripta etiam pro ipsis data, licet sub generali vocabulo masculino.

Ad E) Habita ratione responsorum praecedentium, non videtur necessitas integrum *Schema de Religiosis* substantialiter retractandi, licet in pluribus emendari possit et de facto, post observationes Commissionis Centralis, emendatum fuit, et adhuc emendandum est.

Observationes particulares et responsa eis data

Ad Num. 1 (pag. 5).

I. *Observ.*: Döpfner (concordant: Tisserant, Tappouni, McGuigan, Léger, Caribi, Marella, Alfrink, Di Jorio, Gori, Antezana, Beras, McKeefry, Hurley, Perrin, Šeper, Bazin): « Hic agitur de Constitutione doctrinali, quae non sine solemnitate exponere vult fundamenta Statuum perfectionis, et hic quidem prout in S. Scriptura inveniuntur. Attamen explicatio exegetica quoad *Matt.* XIX, 21; *Mc.* X, 17; *Lc.* XVIII, 18 (cum toto contextu) non convincit mentem nec convenit cum commentariis, quae hac in re dantur a melioribus quibusque exegetis nostri temporis (ex. gr. Schnackenburg, Mennessier, Schmid). Dominus enim in suo dialogo cum iuvene divite non loquitur de aliquo

— 27 —

statu particulari constituendo nec de perfectione aliqua necessario praeter medullam vitae christianae, sed potius de urgenti necessitate pro hoc homine esse radicaliter solvendi a cupidine possidendi, si particeps esse vult illius perfectionis, quae tempori messianico omnino convenit. Si iuvenis hucusque nonnisi praescripta Veteris Testamenti cognovit, nunc tamen decisionem suam facere debet in facie Christi et invitationis suae. Christianis omnibus non convenit remanere solummodo sub lege Decalogi, sed post adventum Domini Novam audire debent solemnem proclamationem Legis: " Estote ergo perfecti " (textus p. 5, lin. 4 sq., rectissime citatur et explicatur). Verbum Domini apud *Matth.* XIX, 21: " si vis perfectus esse " agit de ista perfectione, quae in solemni proclamatione Novae Legis ab omnibus exquiritur, propter divitias gratiae huius temporis finalis (télos; teleios). Omnibus dicitur, quod esse totaliter abnegare debent. Et quidem unusquisque debet abnegationem suam ibi probare, ubi maxime impeditur a sequendo Christum. Cum hic homo dives magis divitias suas quam proximum et Deum diligeret, ei a Domino praecise indicatur, ubi et quomodo sese abnegare debet. Pro tali homine ergo non agitur de mero consilio, sed de realisatione indispensabili abnegationis.

Alio vero modo ex hoc textu pro Statibus perfectionis conclusiones statui possunt. Status perfectionis non permittunt fidelibus, ut isti sint solummodo sub lege, cum pauci perfecti sint sub gratia. E contra Status perfectionis omnibus testificantur particulari modo legem communem perfectae caritatis et necessitatem abnegationis. Consulantur ergo hac in re exegetae, ut S. Synodus securius procedere possit et servitum bonum praestet Statibus perfectionis ».

Respondetur: *Praemittenda*:

i) *Praemittitur* quod « universa quaestio de origine *divina* status religiosi (perfectionis adquirendae) reducitur ad statum religiosum *in Genere et quoad Substantiam.* Cui quaestioni recte Suaresius hisce verbis respondit: « Status religiosus secundum se et quoad substantiam suam ab ipso Christo Domino immediate traditus et institutus fuit atque ita dici potest esse de iure divino, non praecipiente, sed consulente. Haec est sententia omnium catholicorum recte sententium » (Suaresius: l. 3 cap. 2, n. 2; cfr. Wernz-Vidal, *Ius Canonicum*: III: *De Religiosis*, pag. 29, n. 28).

Haec doctrina communiter recepta est et auctoritative sancita fuit a Pp. Pio XI, in Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius* d. 19 martii 1924: « Unigenitus Dei Filius cum ad redimendum

— 28 —

humanum genus in mundum venisset, datis spiritualis vitae praeceptis, quibus homines ad finem sibi praestitutum regerentur universi, docuit praeterea, qui ipsius vestigiis propius insistere vellent, eos evangelica consilia amplecti ac sequi oportere » (*Acta Ap. Sedis,* 1924: pag. 133).

ii) Sed quaestio praesens non est de origine divina status perfectionis in genere; sed an reapse fundetur in *textu S. Matth.* XIX, 21: in Schemate, art. 1, pag. 5 relato: « Si vis perfectus esse vade, vende quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me ».

iii) S. Thomas in Summa Theologica positive asserit in his verbis vere doceri a Christo Domino *via ad perfectionem*: « Ad primum ergo dicendum, quod in illis verbis Domini (*Matth.* XIX, 21) aliquid ponitur quasi *via ad perfectionem* » (id quod deinde explicat) (II-II, q. 184, art. 3, ad 1).

Haec sententia remansit communis inter Scriptores: non quod singula consilia evangelica necessario in his verbis eruenda sunt; sed saltem unum certum ex iis indicatur ut via ad perfectionem, quae deinde aliis consiliis sparsim in Evangelio traditis completur.

iv) Ideoque talis interpretatio quae pro se habet tantam auctoritatem et usum in Ecclesia non est derelinquenda nisi certis rationibus contraria evincantur. Quare operae pretium est quaestionem accurate investigare et perpendere: quod triplici gradu praestari potest:

I. *Notiones de Perfectione et de statu perfectionis.*
II. *Interpretatio traditionalis textus S. Matth.* XIX, 21.
III. *Nova interpretatio eiusdem textus* ab Em.mo Relatore proposita.

I - *Notiones de perfectione christiana et de statu perfectionis*

i) *Perfectio christiana*: de qua agitur: seu perfectio vitae christianae:

a) *Perfectio christiana,* ut omnibus pernotum est, *consistit*:

— *essentialiter,* in *divina caritate,* quae est tum *dilectio Dei* super omnia et *dilectio proximi* propter amorem Dei;

— *integraliter autem,* in complexu, cum caritate, ceterarum virtutum supernaturalium quibus animam christianam gratia sanctificatam decet exornari (cfr. S. TH., *Summ. Theol.,* II-II, q. 184, a. 1, ad 2).

— 29 —

b) *Perfectio christiana* est quidem specie et natura *una;* sed in anima qua possidetur admittit *gradus intensitatis* vel maioris perfectionis. Ideoque exstat in anima:

— vel gradu *minimo* et actu *necessario*: sine quo neque est in anima vita supernaturalis neque salus aeterna possibilis;

— vel gradu *progressivo,* actu non necessario sed ad quem anima tendere debet.

« Sicut diligere Deum ex toto corde (quod de essentia caritatis est) tenentur *omnes,* est tamen aliqua totalitas perfectionis quae sine peccato praetermitti non potest, aliqua autem quae sine peccato praetermittitur, dummodo tamen desit contemptus, ut supra dictum est » (S. TH., *Summ. Theol.,* II-II, q. 186, art. 22, ad 2).

ii) *Status perfectionis*: *In genere.*

a) *Status perfectionis*: in genere, dicitur *stabilis modus vivendi* ordinatus ad perfectionem christianam.

b) Perfectio autem christiana dupliciter considerari potest et debet:

1) *active*: est perfectio christiana prout *in alios exercenda*: et sic habetur *status perfectionis exercendae* (non dicitur acquisitae) ratione officii suscepti: status Episcoporum;

2) *terminative*: est perfectio christiana quam quis sibi proponit adipisci: et sic habetur status *perfectionis adquirendae.*

iii) *Status perfectionis adquirendae. - Theologice spectatus.*

a) In Statu perfectionis adquirendae, duo sunt consideranda:

1) *Finis*: ipsa perfectio christiana, secundum eius totalitatem progressive assequenda;

2) *Media*: quibus anima talem perfectionem assequi valet.

b) *Ratione finis*: nequit esse diversitas status perfectionis: nam eadem perfectio christiana, specie et natura una, *omnibus* proponitur adipiscenda: « Estote perfecti sicut Pater... etc. ».

c) *Ratione mediorum*: agnoscendus est duplex *status* perfectionis:

1) *Status communis perfectionis*: sub disciplina *praeceptorum* constitutus, quorum observantia est simul necessaria et, *de se,* sufficiens ad perfectionem saltem minimam habendam. De facto autem, pro determinata persona, urgere potest observantia quorumdam consiliorum quibus ipsa praecepta muniuntur, sed haec obligatio non imponitur a lege, sicut praecepta.

2) *Status specialis perfectionis*: sub disciplina *consiliorum evangelicorum,* praeter praeceptorum, constitutus.

— 30 —

d) *Corollaria*:

1) Vero sensu, *theologice loquendo, omnes fideles* dici possunt in *statu perfectionis adquirendae*: quia ipsa Baptismatis susceptione, omnes ad *perfectionem christianam* ordinantur, sal tem *professione praeceptorum* assequendam. De facto autem, secundum usum communissimum, haec locutio: esse in statu perfectionis *reservatur* statui *speciali* perfectionis professione consiliorum evangelicorum constituto.

N. B.: Hoc dicitur ad confusionem vitandam: quia inter observationes prolatas, una saltem contendit omnes fideles ad statum perfectionis pertinere (cfr. supra p. 22 ad B).

2) Ut quis in statu perfectionis *specialis* constituatur, *theologice loquendo, sufficit quaevis vera professio consiliorum evangelicorum,* dummodo ex illa professione nascatur vera stabilis *obligatio* consilia, secundum eorum propriam disciplinam, observandi. Non sufficeret autem, mera *intentio* ea observandi, vel mera *ratio agendi* secundum *spiritum* consiliorum, quin persona *disciplinae* consiliorum vere adstringatur.

iv) *Status perfectionis adquirendae canonicus*:

a) Status perfectionis adquirendae, simpliciter dictus, in usu hodierno, intelligitur non mere theologice ordinatus, sed *canonicus*: quatenus ab Ecclesia, super fundamentis theologicis, est congruis normis *ordinatus et recognitus* ut pertinens ad eius ordinem publicum.

b) Haec ordinatio spectat principaliter ad *tria consilia evangelica profitenda* in aliqua *societate* ab Ecclesia etiam hunc in finem, scilicet, perfectionis adquirendae, approbata.

c) Ideoque, tantum illi qui consilia evangelica profitentur in huiusmodi societate ad statum perfectionis *canonicum* pertinent: Alii, possunt, in quocumque statu, ad perfectionem tendere illamque summo gradu adipisci: sed, non sunt propterea in statu perfectionis *canonico* vel in statu perfectionis *simpliciter* dicto, sensu canonico et secundum communem usum loquendi (cfr. sup. p. 6 ad Observ. III).

II - *Interpretatio traditionalis textus Matth.* XIX, 21

His notionibus prae oculis, videndum est quomodo in textu S. Matth. XIX, 21: « Si vis perfectus esse... » etc., S. Thomas vidit *viam ad perfectionem* a Christo Domino *positam* (cfr. sup. pag. 28, iii).

i) Non contenditur *tria consilia* certo erui posse ex textu allato licet quidam autumant ita esse. Sed sustinetur quod his

— 31 —

verbis, *innuitur* saltem *via consiliorum* ad *perfectionem* assequendam, per exemplum particulare consilii paupertatis hic explicite enuntiati. Est methodus S. Thomae: dum enim, pro consilio paupertatis ad hunc textum *S. Matth.* XIX, 21 recurrit (cfr. *Summ. Th.,* II-II, q. 184, art. 3, ad 1; q. 186, art. 3, *c*), pro castitate (q. 186, art. 4) et pro obedientia (*ibid.,* art. ?) ad alios locos scripturisticos se convertit, salvo quod in argumento « sed contra » art. 5, negantibus consilium obedientiae, opponit eundem textum *S. Matth.* XIX, 21.

Eodem modo schema nostrum procedit. Consulte enim in Prooemio dicitur, n. 1, pag. 5, lin. 15: « Hisce verbis (*Matth.* XIX, 21) *aliisque plane* consonantibus... » (in nota 4 allegatis) bonus Magister... etc.

ii) Nunc si textum hunc S. Matth. consideramus, haec sunt deducenda:

a) Negari nequit vera haberi *oppositio* inter « *vitam aeternam* », ad quam possidendam iuvenis Dominum interrogavit: « *quid boni faciam ut habeam vitam aeternam* » (v. 16) et « *perfectionem* » ad quam deinde Dominus iuvenem invitat: « *Si vis perfectus esse* » (v. 21). Non tantum exhibentur ut duo *termini* separabiles et separati unus ab alio; sed *indole* prorsus diversi. Etenim, *vita aeterna* exhibetur ut quid *necessario habenda,* ad quam *possidendam* a Domino indicantur *media* simul *necessaria et sufficientia*: « Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata » (v. 17). *Perfectio* e contra, non praesentatur hic ut aliquid necessarium ad vitam ingrediendam, sed propter propriam excellentiam assequendam, et quidem, non simplici mandatorum observantia, sed *facta abdicatione* propriorum bonorum: « Si vis perfectus esse vade, vende quae habes et da pauperibus... etc. » (v. 21).

Ideoque, vera ostenditur iuveni *via* (consilii paupertatis) ad *perfectionem consequendam* (ultra possessionem vitae aeternae).

b) In *vita aeterna* a iuvene exoptata, certo certius habetur caritas divina et perfectio christiana; sed sine peculiari fervore animi prosequenda, simplici observantia mandatorum. E contra, in *perfectione* a Domino iuveni proposita, certo aliquid diversum et plus indicatur: non vero *finis* essentialiter diversus, nam Charitas *una* est specie et natura, et proponitur ut *finis,* et proinde *sine determinata mensura* ut a S. Thoma docetur (II-II, q. 184, art. 3, *c*); sed iuvenis invitatur ad *maiorem fervorem animi,* rogando ut abdicet propria bona, veluti ei aperiendo *viam ad hanc perfectionem* assequendam: « ... illis verbis Domini,

— 32 —

aliquid ponitur quasi *via ad perfectionem* » (S. Th., II-II, q. 184, art. 3, ad 1).

c) Haec interpretatio S. Thomae et nostra adeo naturaliter fluit e textu et toto contextu huius pericopes Evangelii, ut certa dicenda sit. Num vero rationibus modernorum exegetetarum infirmetur? Est nunc videndum.

III - *Rationes novae interpretationis solvuntur*

i) *Traditionali* interpretationi thomisticae opponitur ab Em.mo Relatore commentarium datum « *a melioribus quibusque exegetis nostri temporis* ».

Iuvat statim notare quod huiusmodi hodiernum commentarium *non* nititur *critica textuali biblica,* in qua, certo certius, exegetae nostri temporis superiorem peritiam, prae antiquis, consecuti sunt sed procedit ex *simplici analysi litteraria* textus in contextu secundum communem significationem verborum: et in hoc recognoscendum est *antiquos* minime *inferiores esse* hodiernis exegetis. Ideoque, argumentum ex *auctoritate* parum valet in casu.

ii) Arguitur imprimis quod in hoc textu, non agitur de *doctrina* status perfectionis, sed tantum de aliquo *casu particulari* a Christo Domino tractato: « Dominus enim in suo dialogo cum iuvene divite non loquitur de aliquo statu particulari constituendo nec de perfectione aliqua accessoria praeter medullam vitae christianae, sed potius de urgenti necessitate pro *hoc homine* sese radicaliter solvendi a cupidine possidendi, si particeps esse vult illius perfectionis quae tempori messianico omnino convenit » (Em.mus Döpfner).

iii) *Plura sunt in hoc argumento distincte satisfacienda*:

a) Verum est quod in textu agatur de aliquo *facto individuali*: Dialogo Domini cum hoc homine. Sed nemo ignorat quod *facta individualia* Christi plerumque sunt *doctrina* pro fidelibus. Christus non semper *theoretice* docuit ut in Sermone in Monte (*Matth.* V-VII); sed frequentissime *practice* per facta et exempla. Ita in hoc casu: si dedit consilium *huic iuveni,* hoc fecit secundum *doctrinam* consiliorum evangelicorum, quam in multiplicibus locis evolvit: est *applicatio* casui concreto *doctrinae generalis,* de via ad perfectionem.

b) Conceditur omnino quod *perfectio* a Domino iuveni proposita non est « mera accessoria praeter medullam vitae christianae ». Etenim supra dictum est perfectionem christianam esse *unam* specie et natura *omnibus* sine determinata mensura proposita assequenda. Sed agitur de *maiore fervore* ad hanc perfectionem securius et celerius prosequendam, adhibito *speciali medio* abdicationis bonorum quo removetur impedimentum *actus* Charitatis (S. Thomas). Hoc speciali medio ad perfectionem est via ad eandem, elementum constitutivum status perfectionis.

— 33 —

c) Conceditur etiam quod *perfectio christiana,* etiam *omnibus* proposita, est *obiective superior* perfectione veteris legis: de hoc testatur integer sermo in Monte, quo Iesus « legem perfecit » (*Bible de Jerusalem*) i. e. ad maiorem perfectionem adduxit. Sed haec perfectio novae legis, omnibus proponitur, aliter tamen et aliter assequenda pro singulorum bona voluntate: vel simplici *mandatorum* observantia: quae sufficit ad *vitam aeternam ingrediendam* et *possidendam* in quo est perfectio christiana essentialis; vel observantia *consiliorum* quae tutiorem et celeriorem *viam* ad perfectionem assequendam sternit.

iii) Interpretatio autem *positiva* ab Em.mo data quod in casu, « pro tali homine ergo non agitur de mero consilio, sed de realizatione indispensabili abnegationis », est mera *hypothesis* quae non eruitur ex textu, neque ex contextu. Contrarium potius suggeritur e contextu. Si enim Dominus advertisset hunc iuvenem non posse animam salvare sine abdicatione propriorum bonorum, tunc ipsi interroganti de vita aeterna possidenda, respondere debuisset statim: serva mandata et insuper vende bona tua: aliter non poteris vitam possidere. Non ita: primo indicavit tantum id quod sufficiebat ad vitam possidendam: *serva mandata;* et tantum post responsum iuvenis, addidit: « Si vis (non vitam possidere) *perfectus* esse »: unde non erat quaestio pro eo de aliqua re necessaria prosequenda sub poena damnationis ut nova interpretatio contendit.

Non negamus quod *forte* pro isto iuvene abdicatio bonorum sibi erat necessaria: *sed id non exprimitur in textu citato* qui aperit *viam specialem* ad perfectionem, non imponit obligationem iuveni.

Conclusio

Interpretatio traditionalis praedicti textus est certa, neque infirmatur nova interpretatione modernorum: ideoque, schema tuto retineri potest ut est.

II. *Observ.*: Silva Enriquez (concordat: Šeper): « P. 5: Prooemium indiget profundiori theologica ac biblica de statibus perfectionis doctrina: neque in eo verbum fit de charitate in qua perfectio concluditur. Schema totum nimis iuridicum ad errores

— 34 —

debellandi praeoccupatione imbutum videtur. Status perfectionis non concipitur ut intra Regni Dei fines; non apparet ut anticipatio vitae caelestis. Deest relatio ad Ecclesiam modo positivo proposita, ad vitam priscorum Domini discipulorum. B. M. Virginis ipsius Iesu nec non Apostolorum. Nullibi loquitur de sensu charismatico vitae statuum perfectionis. Insuper vita religiosa in Oriente penitus ignoratur ».

Respondetur: i) De indole praevalenter iuridica schematis, iam actum est: cfr. Observ. IV (Liénart) p. 6; XII (Léger) p. 12. Ut patet legenti, praeoccupatio commissionis non fuit tantum *errores* debellare; sed notiones ad statum perfectionis pertinentes positive enucleare (cfr. Art. 7-23; 26-28, 29-33). Ea quae ab Exc.mo Relatore proponuntur addenda, pertinent potius ad aliquem tractatum integrum de Statu Perfectionis; non ad aliquam Constitutionem Conciliarem. De cetero, ut pluries dictum est, aspectus *theologicus* huius quaestionis habetur in schemate Commissionis Theologicae.

ii) Quoad vitam religiosam in *Oriente*, iam dictum est in schemate praecedente cur Commissio ab ea praescindit: quia materia erat specialis Commissionis pro Ecclesia Orientali (cfr. supra pag. 20, Observ. XXI, vii).

Ad Num. 2.

I. *Observ.*: SILVA (concordat: Šeper): « P. 6, lin. 12: Suadetur inversio ordinis, ita ut " Patrum, Conciliorum, Pontificum " legatur: ordo sic statutus melius congruit argumento historico hoc loco usitato ».

Respondetur: Placet.

AD CAPUT I - ART. 5

I. *Observ.*: SILVA (concordat: Šeper): P. 8: Nimis in defensione immoratur: potius opportunitas actualis religiosorum positivis argumentis suadenda videtur ».

Respondetur: Pars positiva schematis sufficienter illustratur in Responso ad observationem praecedentem II, pag. 33, iii).

II. *Observ.*: SÉPINSKI: « Pag. 8, lin. 12-14: non videtur esse correcta constructio locutionis: eam non intelligo ».

Respondetur: Constructio est recta, et perspicua, dummodo « oppositiones et detrectationes » cum « pertinaces » coniungatur.

— 35 —

Attamen ad lineam 14 dicendum est: « qua*s* », et non « qua*m* ».

ART. 10

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant: Liénart, McGuigan, Quiroga, Léger, Garibi, Godfrey, Marella, Gori, Antezana, McKeefry, Hurley, Graner, Rakotomalala): « *Elementa theologica status perfectionis*. Clarius exponenda mihi videntur duo elementa essentialia quibus status perfectionis (seu consecrationis Deo) theologice constat:

1) *elementum negativum*: seiunctio seu separatio a mundo (pro quo D. N. Iesus Christus orare noluit);

2) *elementum positivum*: addictio Dei servitio ».

Respondetur: Salva reverentia, elementa essentialia status perfectionis haud perfecte videntur indicata ab Em.mo Relatore, quae reponenda sunt potius in *fine*: perfectio christiana assequenda; et in *mediis specialibus* consilia evangelica, praeter praecepta, observanda, ut recte exponuntur in art. 10 (cfr. sup. pp. 29-30).

Segregatio a mundo, est consectarium potius professionis perfectionis, quae non eadem ratione in diversis Institutis est observanda ut patet, comparando Instituta vitae contemplativae cum aliis vitae activae, praesertim cum Institutis saecularibus. Ideoque, de hac disciplina segregationis a mundo sermo est in Schemate: de Vita Religiosa ipsa renovanda, art. 20: Renovatio: congrua a mundo segregatio.

ART. 7

I. *Observ.*: DÖPFNER (concordant ut in observ. I, pag. 25): « Expressiones " fixa et perfecte definita " forsitan non valde felices sunt; videtur esse aliqua exaggeratio » (cfr. lin. 8).

Respondetur: Verum est quod inde a medio aevo, nonnulla remanserunt disputata inter theologos et canonistas, ut v. g. quaestio de « sollemnitate et dispensatione votorum »: sed ea quae ad *substantiam* status perfectionis pertinebant communiter et pacifice ab omnibus accepta erant.

Forte quod in textu schematis ad lineam 8 addi posset: « ... fixa ac *quoad substantiam* perfecte definita referant; vel melius: ... ea, *quoad substantiam* fixa ac perfecte...

II. *Observ.*: DÖPFNER (concordant ut supra): « Quaerendum est, ne fortasse secundum consilium evangelicum melius

— 36 —

" castitas virginalis " quam castitas perfecta in posterum nominetur. Nam uti in Schemate de Virginitate a Commissione Theologica proposito disceptando, ni fallor, iam adnotatum est, verbum " perfectus " generatim adhibetur ad designandum gradum supremum alicuius entitatis, non autem ad distinguendam speciem. Differentia autem inter castitatem coniugatorum et castitatem coelibum non est gradualis, sed specifica, et utraque castitas servari debet secundum legem christianam modo perfecto. Si haec terminologiae efformatio uti videtur magis praecisa placuerit, in revisendo Schemate ubique substituatur expressioni " castitas perfecta " verbum: " castitas virginalis " (cfr. lin. 11).

Respondetur: In ipsa sessione Commissionis Centralis, huic observationi respondit Em.mus Card. Ruffini, notando quod castitas, in sodalibus status perfectionis, non est necessario « virginalis » cum in eum admitti possunt etiam « non virgines ». Ideoque, non esset verbum aptum in casu.

De cetero, hoc vocabulum « perfectio, perfectus » est significatione satis flexibilis. Generatim utique indicat *gradum* excellentiae rei; licet non semper supremum, cum admittatur etiam perfectio *relativa* ad ulteriorem ordinata. Sed *usu,* accepit etiam significationem *specificam* precise in hac locutione « *castitatis perfectae* » qua non intenditur gradus virtutis huius in determinato subiecto, sed modus *specialis* hanc virtutem profitendi.

III. *Observ.*: Silva (concordat: Šeper): « P. 10, lin. 19: non fit verbum de Christi Domini imitatione ».

Respondetur: Neque apparet ratio de imitatione Christi loquendi in hoc loco! De cetero, Christus proponitur « Divinus Magister et *exemplar* » omnis sanctitatis (cfr. art. 1), quem sodales status perfectionis « ... per viam consiliorum libere et ardue sequuntur... » (art. 2). Et iterum, in Schemate de vita religiosa renovanda dicitur in art. 1: « ... status perfectionis quorum sodales Divinum omnis sanctitatis *exemplar,* Iesum Christum, arctiore *imitatione* prosequentes... etc. ».

N. B.: Hoc ostendit plures difficultates Commissionis Centralis procedere ex eo quod Schemata, per se intime connexa, diversis temporibus examinata fuerunt; unde eorum intima connexio perspici non potuit; et res quae in toto contextu clarae sunt, obscurae apparent si extra ipsum considerentur.

IV. *Observ.*: Sépinski: « P. 10, lin. 9-15: " Exinde... emissa ": locutio, quae est nimis longa, clarior reddatur ».

Respondetur: Forte quod verbum « non praeseferat » (lin. 13) melius poneretur immediate post verbum: ... qui (lin. 10) *non praeseferat* susceptionem... coram Ecclesia factam, per vota sollemnia... emissa.

— 37 —

Art. 8

I. *Observ.*: Sépinski: « P. 11, lin. 5-13: " Novissima... latam ": locutio nimis longa; clarior et simplicior reddatur ».

Respondetur: Sententia, nonobstante certa extensione, omnino perspicua est et satis bene fluit: e contra eius divisio, quae ad lin. 9 fieri posset, minime iuvaret concinnitati sermonis.

Art. 9

I. *Observ.*: Döpfner (concordant ut supra, observ. I, p. 25): « Ne idea oriatur, ac si " perfecta caritas " sit solummodo finis ultimus Statuum perfectionis, addatur post " perfectam caritatem ": utique finem omnibus baptizatis communem...; et in linea 32, inseratur " securius ", ut sonet: ... ad ipsam securius assequendam.

Dominus enim omnes omnino obligat, ut ex toto corde ament Deum et proximum sicut ipse nos amat. Et insuper omnibus demonstrat " media ad assequendam perfectam caritatem " ».

Respondetur: Ad lin. 31, *placet* addere, post verbum « ... *perfectam caritatem, quae utique omnibus baptizatis proponitur assequenda,* atque... ».

Ad lin. 32, *placet* addere, post verbum: ... ad ipsam *securius et expeditius* assequendam.

II. *Observ.*: Silva (concordat: Šeper): « P. 11, lin. 25: ad verbum " Castitatis " addatur: " sacrae " vel consecratae ».

Respondetur: Haec « trinominia » est et ipsa adeo usu consecrata ut nullam patiatur aequivocationem: ideoque proposita additio esset superflua et inelegans.

III. *Observ.*: Silva (concordat: Šeper): « P. 11, lin. 32, p. 12, lin. 1: Suadetur inversio verborum ita ut " socialis et iuridica " legatur: ordo enim sic naturalis exponitur ».

Respondetur: *Placet*: sed legatur: « social*em* et iuridic*am* ».

Art. 10

I. *Observ.*: Silva (concordat: Šeper): « P. 12, lin. 28: Christus Dominus non ut summum exemplum apparet, sed potius ut magister tantum, quod sane incompletum videtur ».

— 38 —

Respondetur: Imitatio Christi exemplaris pertinet formaliter ad *ipsum finem* status perfectionis, i. e. ad *perfectam caritatem* quae hanc imitationem secumfert. Ideoque, de hac imitatione *implicite* Sermo est initio huius numeri, ubi de *fine* agitur, et *explicite* in variis locis, ut supra dictum est.

In hac secunda parte numeri 10 autem, sermo est de *mediis* ad finem, et etiam proinde, ad hanc imitationem assequendam: ideo, non est locus loquendi de ea.

II. *Observ.*: SILVA (concordat: Šeper): « P. 12, lin. 36: Deest relatio Religiosorum in Ecclesia ad Ecclesiam, praecipue ope perfectionis testimonium ».

Respondetur: Neque in hoc loco erat necessarium loqui de hac relatione, de qua est speciale Caput, nempe IV (pp. 24-25); « Habitudo Statuum perfectionis adquirendae ad Ecclesiam »!

III. *Observ.*: SÉPINSKI: « A) p. 12, lin. 29: melius dicatur " alacriore gressu ";

B) Lin. 32-34: " quae... constituti ". Haec dialysis (" inciso ") melius hic supprimatur; agitur enim de elementis iuridicis, de quibus in sequenti numero 11, p. 23, tractatur ».

Respondetur: Ad A) *Placet.*

Ad B) Licet in numero sequenti 11 de elementis iuridicis specifice agatur, non est superfluum hic illa quasi annuntiare, ut sic appareat *nexus* inter elementa theologica et iuridica: quod certo aliquod habet momentum.

ART. 11

I. *Observ.*: SILVA (concordat: Šeper): « P. 13, lin. 8: Post verbum " approbata " addendum proponitur: " ab eaeque regenda ", ut melius appareat vinculum actuale religionem inter et Ecclesiam ».

Respondetur: *Placet.* Dicere: « ab eaque, ad normam iuris, regenda ». Ita additur « ad normam Iuris », propter auctoritatem dioecesanam quae non est absoluta.

II. *Observ.*: SILVA (concordat: Šeper): « P. 13, lin. 22: Verbum " hominis " omitti potest videtur ».

Respondetur: Verbum hoc non videtur superfluum; melius retineatur.

III. *Observ.*: MAXIMOS IV (concordant: Tisserant, Liénart, Montini, Bea, Antezana, McKeefry, Perrin): « Au n. 11 (p. 15), la vie religieuse est définie de telle façon " ut nunc vita anachoretica individualis inter status perfectionis minime recenseatur ". Et pourtant, la vie érémitique individuelle fut l'origine même de la vie religieuse, le premier modèle de ce qu'on est convenu d'appeler " status perfectionis adquirendae ". L'Occident a construit ses cadres de la vie religieuse en raison de la vie commune. Et comme l'érémitisme ne cadriat plus avec ces catégories, il l'a exclu de la notion de vie religieuse. Ne faut-il pas au contraire élargir la définition de la vie religieuse de manière à y comprendre de quelque façon ce qui fut la première forme de la vie religieuse, à savoir l'érémitisme? D'autant plus que de nos jours, il y a des hommes qui, dans le monde catholique, cherchant à mener la vie érémitique, sans compter que dans le monde orthodoxe cette forme de vie religieuse existe effectivement. En ce moment, la cause de béatification est pendante à Rome d'un érémite maronite récent, le Père Charbel Makmouf ».

— 39 —

Respondetur: De hac quaestione iam ample actus est in Observ. X (Siri) sup. p. 11, ubi puncta hic observata resolvuntur. Addendum est tamen quod solum factum historicum quod vita religiosa incepit a vita anachoretica, non sufficit ad hanc vitam in definitione vitae religiosae includendam, quae *practice* evanuit in Ecclesia: certo in Occidente, ubi vix duo vel tres veri anachoretae inveniuntur; quid in Oriente? Eremita, prout a Canone 4 Codicis Orientalis descriptus, non est vere anachoreta: pertinet enim ad aliquam *religionem*.

Cum vero *codificatio* fiat de institutis *viventibus* et non a priori vel in abstracto, non est locus vel tempus specialem legislationem condendi pro paucis anachoretis hodiernis, qui *iure privato* sub tutela proprii Ordinarii possunt hoc genus vitae ducere, quod *theologice* posset dici « status perfectionis »: non vero, iuridice (cfr. sup. p. 30 d, 1).

IV. *Observ.*: SÉPINSKI: « P. 13, lin. 19: melius scribatur: " videtur " ».

Respondetur: Videtur melius servare formam: « videatur » quae insinuat discretionem esse utendam in iis seligendis quae ad finem conferunt.

V. *Observ.*: SALMON (concordant: Tisserant, Liénart, Alfrink, McKeefry, Graner, Perrin): « De anachoretis. In capite Sect. I (n. 11), dicitur quod " vita anachoretica individualis inter status perfectionis minime recensetur ". Sed nulla definitio datur vitae anachoreticae individualis et nihil dicitur de aliis gene-

— 40 —

ribus vitae anachoreticae. Anachoretis deest quidem communis vivendi modus, propterea iuxta ius vigens inter religiosos stricto sensu non recensentur; vita autem eorum pertinet ad status perfectionis, secundum traditionem Ecclesiae, a iure canonice Orientali confirmatam. Et post approbationem Institutorum saecularium, adsunt in Ecclesia latina Instituta " quorum sodales consilia evangelica exercenda suscipiunt plene et perpetuo... quin ulla ratione vitae communis canonicae sint obnoxii " (Cap. II, n. 17). Talia instituta in hoc ipso schemate dicuntur tertiam speciem status perfectionis constituere. Sat inconveniens ergo videretur anachoretas in Ecclesia latina non ad statum perfectionis pertinere, cum de facto non desint vocationes, nec eorum relationes cum ordinibus vel congregationibus religiosis bene definiantur et pacifice componantur. Magna tamen cum prudentia, immo maxima cum severitate conditiones stabilientur quibus Ecclesia anachoretas agnoscat et approbet. Exigere posset, exempli gratia, ut qui vitam anachoreticam ducere cupiunt per aliquot annos vitam religiosam in Ordine aliquo vel Congregatione experti fuissent, ut, qui ad nullam congregationem pertinent, subsint alicui superiori religioso vicino vel Ordinario loci, qui regulam eorum approbat et visitationem canonicam periodis peraget, et alia huiusmodi ».

Respondetur: i) Ea quae supra iam dictae sunt de anachoretis (Observ. X: Siri, p. 11, et Observ. II: Maximus IV, p. 42) respondent etiam iis quae hic afferuntur. Tantum liceat quaedam particularia notare.

ii) In hoc numero, datur notio *negativa* anachoretae, quatenus non sit aliquis sodalis alicuius societatis (non confundendae cum vita communi) ab Ecclesia approbatae; neque necessaria erat ulterior positiva notio, cum de se sufficienter notus sit, et de facto nulla inducebatur pro eo legislatio.

iii) Ille qui hic a *statu canonico* perfectionis excluditur, est *anachoreta, stricto sensu* acceptus, ut supra (p. 11) inculcatur; non autem alii *eremitae* qui vitam utique aliquam solitariam ducunt, sed *intra* aliquam *Religionem* et aliquod *Monasterium*. Isti pertinent ad *statum perfectionis* qua sodales huiusmodi Religionis seu Monasterii; quin tamen constituant *speciem* status perfectionis; tantum, aliquam formam particularem secundum proprias *Constitutiones*.

iv) Si anachoretae non agnoscuntur *hodie* inter status perfectionis, non est quia ex natura rei id non posset fieri; sed quia de facto *non existunt numero sufficienti* ut de iis Ecclesia ferat

— 41 —

legislationem: ut dicitur supra, codificationes fiunt tantum de entibus *existentibus* et quidem cum aliqua consistentia: pro uno vel duobus individuis non fit lex.

VI. *Observ.*: Sépinski: « Ad notam n. 37, pag. 14, lin. 2: melius scribatur: " S. Alf. " ».

Respondetur: *Placet.*

Art. 12

I. *Observ.*: Döpfner (concordant ut in Observ. I: Döpfner, sup. pag. 26): « Differentia inter statum Episcoporum et Statum perfectionis adquirendae, prouti his describitur, non ita placet. Nam status Episcoporum perfectus dicitur ratione perfectionis obiectivae muneris, perfectio vero in Statu perfectionis adquirendae: " adquirenda " dicitur ratione acquisitionis subiectivae perfectionis moralis tali statui debitae. Hac ratione etiam Episcopus in statu perfectionis (scil. ei competentis) adquirendae esse dici potest, cum e contra Status perfectionis adquirendae obiective si spectatur, iam inde ab initio habet certam quandam perfectionem. (Hoc sensu verbi gratia intelligitur, quod caelibatus est matrimonio perfectior). Insuper non videtur necessarium esse Episcopatum et Presbyteratum in eorum distinctione a Statu perfectionis seorsim tractare ».

Respondetur: Schema plane adhaeret doctrinae S. Thomae quae communiter in Ecclesia accipitur: ideoque nihil est in eo emendandum. Non negatur, ut observatio videtur insinuare, Episcopum non debere perfectionem acquirere: sed non propterea in statu perfectionis *consiliorum evangelicorum* proprio religiosis constituitur et nonnisi *aequivoce* diceretur in statu perfectionis adquirendae. Idem dicendum proportionaliter de statu sacerdotis saecularis (cfr. sup. pp. 29-31).

De hoc ultimo in speciali numero (13) disseritur, quia hodie est etiam specialis confusio circa hanc quaestionem dissipanda quaeque in certis locis pertinaciter persistit, nonobstante perspicua doctrina Pp. Pii XII, ut notavit Em.mus Cardinalis Valeri in sua relatione ad Schema.

II. *Observ.*: Maximus IV (concordant: Tisserant, Liénart, Bea, Antezana, McKeefry, Perrin): « Au n. 12 (p. 14), il est toujours question de *la fausse distinction* chère à la scolastique occidentale, entre " status perfectionis adquirendae " et " status perfectionis adquisitae vel exercendae ". Dans ce dernier état on fait entrés les Evêques. Ne pourrait-on pas éviter cette dis-

— 42 —

tinction aussi factice qu'humiliante pour les Evêques? Car quel est l'évêque qui se croit être arrivé à l'état de perfection acquise? Y a-t-il d'ailleurs un état de perfection acquise, ou bien plutôt la perfection chrétienne est-elle toujours à acquérir? Non seulement par les évêques, mais même par les saints? L'Orient ignore absolument cette distinction ».

Respondetur: i) Patet *legenti* quod schema *non* loquitur de perfectione *acquisita;* et Commissio, ut supra dictum est (cfr. ad Observ. XXI: Bea, p. 20, v) *consulte* hanc denominationem vitavit, *non confundendam cum perfectione exercenda.* Unde considerationes et conclusiones huius observationis in ista notione fundatae carent omnino fundamento.

ii) Distinctio inter statum perfectionis *adquirendae* et *exercendae,* est genuina doctrina S. Thomae et solide fundata: temerarium esset illam dicere *falsam.*

Sed infeliciter de observatione, reditur confusio inter statum perfectionis adquirendae *canonicum*: de quo hic est sermo, et obligationem *moralem* quam quisquis potest habere adquirendi perfectionem aliquam, specialiter *virtutes proprii status* ut in eo decenter vivat eiusque officia rite adimpleat.

ART. 13

I. *Observ.*: GODFREY: « Quoad articulum decimum tertium adhaereo opinioni Em. Cardinalis Richaud. Sacerdotium (ad mentem S. Thomae) imponit obligationem sacerdotibus ad maiorem interiorem sanctitatem quam obligatio ex votis, quia Sacerdos tractat de nobilissimis mysteriis ».

Respondetur: Conceditur sacerdotem talem habere obligationem *moralem,* ut dictum est in Responso praecedenti; non autem propterea constituitur in *statu canonico* perfectionis adquirendae, de quo hic est sermo (cfr. supra, pp. 29-31).

II. *Observ.*: ALFRINK: « Non videtur necessarium ut Constitutio in duplici loco (n. 13 et 33) loquatur de *praestantia* status perfectionis adquirendae super statum cleri saecularis. Insuper adest de ista materia documentum pontificum Pii XII, littera ad Episcopum Namurcensem in Belgio, quod documentum habet in ista materia magnum valorem, sed quod in Constitutione non videtur adhibitum ».

Respondetur: i) In schemate sermo est de *distinctione* inter statum perfectionis adquirendae et statum cleri saecularis; minime de aliqua praestantia unius prae alio; imo, id explicite

— 43 —

excluditur in Art. 33, pag. 30, lin. 4: « ... quin quaestio de *praelatione* unius prae alio ponatur »: id quod unus ex Patribus Commissionis Centralis cum peculiari complacentia advertit (cfr. infra, p. 56, VII).

ii) Epistola Pii XII ad Episcopum Namurcensem non debet in oblivionem adducere Allocutionem eiusdem Pontificis, diei 8 dec. 1950, qua hanc quaestionem de distinctione inter utrumque statum perspicuis verbis et ex professo docet, quibus verbis schema nostrum arcte adhaeret. Haec allocutio non fuit ex tempore prolata, sed mature exarata, a Pontifice personaliter *lecta* et in *Actis Apostolicae Sedis* promulgata (cfr. supra, pag. 6, ad III).

iii) Infra pp. 52-53, proponitur ut art. 33 uniatur art. 13 ne schema videatur bis in idem agere: et sic solvitur quaestio hic posita.

III. *Observ.*: SILVA (concordat: Šeper): « P. 14, lin. 20: facillime oratio posset intelligi ita ut sacerdotes saeculares ad minorem perfectionem quam religiosi sacerdotes teneantur, quod falsum omnino est. Differentia non invenitur in ipsa perfectione, quae in charitate consistit, sed in mediis ad ipsam assequendam adhibitis. Secus qui ad magnam perfectionem vocaretur, eam consequi non posset nisi ad religiosam vitam convolaret, quod etiam falsum est. Omnino tenenda est et aperte docenda doctrina quae in Litteris Sacrae Congregationis de Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis, d. 13 iulii 1952 ad Episcopum de Namur ».

Respondetur: Non apparet fundamentum ad dicendum, ut habetur in observatione, quod in lin. 20, « facillime oratio posset intelligi ita ut sacerdotes saeculares ad minorem perfectionem quam religiosi sacerdotes teneantur », cum *contrarium* habeatur in lineis praecedentibus: « Sacerdotes autem, vi ordinationis... ad altissima mysteria tractanda destinantur, quae absque dubio eximia decet sanctitudo, *maior* equidem ea simplices religiosos... ».

Tantum, negari nequit sacerdotes religiosos *duplici* titulo ad sanctitatem teneri, dum sacerdotem saecularem, unico titulo: non autem iste propterea condemnatur ad minorem sanctitatem appetendam et consequendam!

Iterum, ut supra dictum est (sup. II, ii) Epistola S. Congr. de Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis d. 13 iulii 1952, non debet silentio premere Sollemnissimam Allocutionem Pii XII, d. 8 dec. 1950, quae invictis et perspicuis argumentis distinctio-

— 44 —

nem claram stabilivit inter utrumque statum Cleri saecularis et religiosum, sine ullo praeiudicio alterutrius.

Iuvare potest notare praedictam Epistolam ad Episcopum Namurcensem non fuisse insertam, ni fallor, in Commentario officiali *Acta Apost. Sedis.*

IV. *Observ.*: DÖPFNER (concordant ut supra ad Observ. I: Döpfner, pag. 26): « Textus utique desumptus est ex allocutione Pii XII; sed ad hunc et aliquos alios textus dicendum est, quod ad solemnem proclamationem a Synodo faciendam — praesertim Constitutione — maior exigitur certitudo ac pro simplice allocutione Summi Pontificis.

Quoad rem autem mihi videtur, quod nulla urget necessitas doctrinalis excludendi solemniter statum clericalem posse vocari " status evangelicae perfectionis adquirendae ". Clericus enim, et quidem ex novo titulo suae vocationis tenetur ad eam quae in Evangelio docetur perfectionem caritatis, ut non solum ore sed vita praedicare possit perfectam legem libertatis et caritatis.

Isto et aliis locis huius Constitutionis non satis apparet Status perfectionis modo maxime efficaci inculcare debere omnibus christianis, quam nobilis et quam urgens vocatio omnium christianorum ad perfectam caritatem perfectamque sui abnegationem sit. Imo aliquomodo, impressio oritur ac si zelus pro Statibus perfectionis diminuat vocationem communem christianorum. Tamen haec certe non erat intentio Commissionis ».

Respondetur: i) Imprimis haud recte allocutio Pii XII d. 8 dec. 1950 diceretur « *simplex allocutio,* quasi faciliter negligenda: dum agitur de *documento* mature *exarato, personaliter* a Summo Pontifice in sollemni adunatione prolato et *lecto,* atque in Commentario Officiali *Acta Apostolicae Sedis* inserito: quae omnia specialem auctoritatem et commendationem huic sollemniori Pontificis allocutioni conferunt.

Sed doctrina in schemate exposita non procedit ex simplici allegatione tantae Auctoritatis; sed ex ipsis *argumentis* quae nituntur in doctrina Aquinatis et propriam secumferunt evidentiam.

ii) Distinctio inter statum *canonicum* Cleri saecularis et statum *canonicum* religiosum seu perfectionis adquirendae est, *quoad rem* omnino certa et perspicua (cfr. sup., pp. 29-30).

Ut supra dictum est, non negatur obligatio sacerdotis saecularis adquirendi sanctitatem; sed haec obligatio est indole omnino diversa ac illa religiosorum: ideoque, utrique statui eandem attribuere denominationem esset attributio *aequivoca* quae necessario confusionem, etiam in rebus, gigneret.

— 45 —

iii) Tandem inculcare « omnibus christianis, quam nobilis et quam urgens vocatio est omnium christianorum ad perfectam caritatem perfectamque sui abnegationem », optime fieret in aliqua *Constitutione generali de perfectione christiana in universa Ecclesia*: non autem in praesenti Constitutione quae ad Statum religiosorum coarctatur. De cetero, ut iam dictum est, aliquid hac de re habetur in novo articulo, initio schematis de Vita Religiosa renovanda, praemisso, cuius titulus est: « de perfectione christiana in genere ».

AD CAPUT II - ART 17

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant ut ad Observ. VII, sup. pag. 4): « Lucide explicetur quid intelligendum sit locutione " *vita communis canonica* " (art. 17, pag. 17, lin. 20; art. 20, pag. 18, lin. 25) ut legitime servetur facultas instituendi vitam communem (saltem quando haec possibilis est) pro *Institutis Saecularibus.*

Etenim " vita communis " seu " convictio " quae commendatur etiam clero saeculari, permitti debet pariter Institutis Saecularibus: vigilantibus verbis utor: permitti debet, non praecipienda est.

Vita communis, secundum peculiares normas, maxime pro puellis actuoso apostolatui in mundo constanter addictis, interdum est necessaria, semper autem utilis tum ad sanctam vocationem in eis tuendam tam ad vitam spiritualem alendam ».

Respondetur: i) « Vita communis *canonica* » intelligitur illa quae est propria Religiosis eisque omnibus servanda praescribitur « in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinet » (can. 594, § 1).

Haec vero, praeter *cohabitationem* sub eodem tectu (a qua haud raro partim saltem dispensatur: cfr. can. 606) secumfert *Superioribus subiectionem* in disciplina quotidiana vitae (v. g. quoad exercitia, praesertim in communi peragenda, egressum non liberum e domo) et *acceptionem ab instituto* eorum quae ad victum, vestitum aliaque necessaria vel utilia (supellectilem) pertinent. Haec vera sic accipiuntur, non titulo stipendii, sed paterna dispensatione ministerio Superiorum aliorumque ad hoc praepositorum.

Haec notio vitae communis canonicae, non est quid novi;

— 46 —

ideo, non est in textu conciliari inducenda cum canonistis pernota sit.

ii) Vita canonica communis sic faciliter *distinguitur* ab alia vita *communi* ordinaria sub *eodem tectu* quae tantum secumfert *cohabitationem* seu *convictum* et clericis saecularibus quoque a iure commendatur (can. 154). Etsi in ea habeatur *mensa* communis, victum sic accipitur non simplici paterna dispensatione a Superiore, sed titulo remunerationis seu pro parte stipendii, sicut et ipsa cohabitatio sub tectu communi.

iii) Haec vita communis ordinaria seu mere *contubernalis* minime excluditur in Institutis Saecularibus; et, ut notat Em.mus Relator, aliquando necessaria vel saltem valde utilis esse potest.

ART. 21

I. *Observ.*: SÉPINSKI: « P. 19, lin. 6: proponerem " operositatem " loco: " actionem " ».

Respondetur: *Placet.*

ART. 22

I. *Observ.*: SÉPINSKI: « P. 20, lin. 1-2: Interpunctio sic fiat: " est quod, dum ipsi " ».

Respondetur: *Placet.*

AD CAPUT III - ART. 24

I. *Observ.*: LÉGER (concordant: ut ad Observ. XII: sup. pag. 9): « " Errores refellendi " disceptandi sunt forma magis positiva: v. g. agetur potius de " primatu vitae interioris " (n. 24) de " servitio hominum ob Christum eiusque Evangelium " (n. 25) ».

Respondetur: i) In n. 24, imprimis datur *positiva ratio* qua deinde error refellitur: « ... vita interior et orationis studium... etc. »: et deinde in fine, ad eundem primatum reditur: « Ex sancto nempe precationis studio... ».

ii) Pariter, in n. 25: ratio *positiva* contra naturalismum datur in lin. 29: « Habet caritas dignitatem, habet afflatum, habet vires... etc. ». Et specialiter in fine explicite dicitur, ut in voto Em.mi Relatoris est quod: « Iesu Christi amorem in cordibus suis intensissime foveant cuius ductu, pro miseris et egenis vel propriam vitam ponere ne formident ».

iii) De cetero, de *primatu vitae interioris,* speciali articulo disseritur in schemate de *vita religiosa renovanda,* Art. 10 (Renovatio: quoad vitam interiorem sodalium), cum etiam applicatione ad apostolatum qui « ex abundantia vitae interioris profluere debet ».

— 47 —

II. *Observ.*: SILVA (concordat: Šeper): « P. 21 ss.: Oporteret partem veritatis aliquo prudenti modo agnoscere ne idea exoriatur omnia in statibus perfectionis de facto inveniri ».

Respondetur: Non videtur cur hoc dicitur, cum schema de facto *errores* in Institutis serpentes denuntiet et refellat.

III. *Observ.*: SÉPINSKI: « P. 22, lin. 3: proponerem " invalescens ", loco " invalens " ».

Respondetur: *Placet.*

ART. 25

I. *Observ.*: DÖPFNER (concordant ut ad Observ. XVII, sup. pag. 16): « " Naturalia motiva ". Una ex parte hic naturalia motiva iuxtaponuntur supernaturalibus, alia ex parte talia motiva naturalia reprobantur. Ergo non clare apparet, quo sensu " naturalia " proponantur. Loco " naturalia " forsitan hic melius dici potest: " ... huius saeculi... ", vel: " ... huius mundi " ».

Respondetur: Em.mus Relator videtur alludere ad lin. 22 sq. huius art. 25, scilicet: « ... Quod evenit quin in proximis iuvandis saepe naturalia motiva misceantur adeo ut non raro rationibus supernaturalibus praevaleant ».

In his verbis denuntiatur error *practicus seu factum,* scilicet, quod opera misericordiae vel assistentiae erga proximum saepissime motivis *naturalibus,* etiam praevalenter explentur. Porro hoc est contra *apostolatum* vere *christianum* et a fortiori vere *religiosum*: nam proximus est diligendus *propter Deum,* et consequenter opera beneficentiae in proximum *propter amorem Dei* quoque adimpleri debent, ita ut praesentia motivorum naturalium obstat perfectioni dilectionis proximi et ipsius apostolatus. Haec videntur satis clare expressa in schemate et omnino sunt retinenda.

II. *Observ.*: SÉPINSKI: « P. 22, lin. 30-31: corrigatur " philant*h*ropiae " ».

Respondetur: *Placet.*

AD CAPUT IV - ART. 26

I. *Observ.*: DÖPFNER (concordant ut ad Observ. XVII, pag. 16): « Relatio Status perfectionis adquirendae ad Ecclesiam

— 48 —

non satis bene et complete proposita esse mihi videtur. Nam cum in allocutione Romani Pontificis certe sufficiat unum aliumve punctum ad rem pro particularibus adiunctis proponere, in Decreto vero Conciliari doctrina omni sub aspectu, in quantum fieri potest, aequilibrata et completa sit. Quoad divisionem tripartitam status clericalis, laicalis et perfectionis adquirendae dicendum videtur illam esse inadaequatam, quod iam patet ex dictis in lin. 8, i. e. et clericos et laicos posse esse simul etiam religiosos. Insuper, si dicitur, statum religiosum esse " ecclesiastica origine defluentem " hoc certo valet de canonica eius institutione, non autem (saltem non exclusive) de consiliis evangelicis, quae sunt fundamentum. Praeterea ordinatio Status perfectionis ad bonum universale totius Corporis Christi Mystici non satis complete describitur. Nam Status perfectionis sicut etiam ipsa Ecclesia non est solum et merum medium ad sanctitatem assequendam, sed insuper testimonium visibile seu incarnatio quaedam regni Dei et novae creaturae in hoc mundo iam inchoative praesentia et continuatio quaedam permanens victoriae Christi Resurgentis. Status perfectionis adquirendae est signum omnibus perceptibile illius vitae essentialis eschatologicae Ecclesiae ».

Respondetur: Haec observatio *plura* continet quibus distincte satisfaciendum est:

i) Quod hic affirmatur: « In Decreto vero Conciliari doctrina omni sub aspecto, in quantum fieri potest, aequilibrata et completa sit ». In eo, non omnes conveniunt. Et revera, Concilii non est munus edendi *tractatus integros* doctrinae catholicae; sed potius illas partes doctrinae illustrandi et defendendi, quae pro temporum necessitate vel opportunitate id requirunt: non est enim Concilium Academia vel Universitas cuius munus est *doctrinam* divulgandi et iuvenes alumnos instituendi; sed officium habet *pastorale* super doctrina vigilandi eamque, prout id exigitur, tuendi. Ideoque, non videtur expedire ut « in Decreto Conciliari doctrina omni sub aspectu... completa sit »; et Commissio Centralis generaliter inclinavit ad schemata reducenda potius quam augenda.

ii) Divisio status perfectionis in *tres species* est retinenda ut adaequata. Etenim, non agitur de divisione *institutorum* status perfectionis, quae fit primario ratione *operum* quibus singula Instituta dedicantur propptereaque multiplex esse potest; et secundario, ratione *exercitiorum,* quae etiam praebent magnam diversitatem inter Instituta: « ... et ideo religiones distingui possunt *dupliciter*: uno modo secundum diversitatem eorum (operum) ad quae ordinantur... alio modo potest esse diversitas religionum secundum diversitatem exercitiorum: puta quod in una religione castigatur corpus per abstinentiam ciborum, in alia per exercitium operum manualium... » (S. THOMAS, *Summ. Theol.,* II-II, q. 188, art. 1 *c*).

— 49 —

Species autem status perfectionis desumuntur ex elemento fundamentali et formali status perfectionis, nempe, *professione consiliorum evangelicorum* gratia perfectionis christianae adquirendae *facta,* quae professio tripliciter fit: i) *cum votis publicis*: et sunt Religiones; ii) *sine votis publicis sed cum vita communi canonica*: et sunt Societates vitae communis; iii) *in saeculo sine vita communi canonica*: et sunt Instituta Saecularia.

Ideoque, est retinenda ista tripartita divisio, inculcata etiam a Magisterio Ecclesiastico, a Pio XII.

iii) De ordinatione « Status perfectionis ad *bonum* universale totius Corporis Christi Mystici » iam actum est in Responso ad Observ. VII (Ruffini), sup. pag. 4-6, ubi proponitur *additio* novi articuli de « utilitate sociali institutorum status perfectionis adquirendae », quo ostenditur pars horum institutorum in ipso Corpore Mystico Christi quod est Ecclesia aedificanda et dilatanda. Haec videntur praesenti quaesito satisfacere.

ART. 27

I. *Observ.*: SPELLMAN: « In clausula num. 27 agitur de interna hierarchia a Sacra Hierarchia clericali distincta. Ab usu nominis adiectivi " Interna " hoc in loco aliqua confusio oriri possit, quia in iure Canonico solet adhiberi " internum " in contradistinctionem ad " externum ", praesertim quando de foro interno et de foro externo agitur ».

Respondetur: Vocabula « internum » et « externum », habent significationem necessario relativam, i. e. dicuntur respectu alicuius rei determinatae: v. g. internum vel externum *corpori, civitati,* etc.: et tunc a contextu sensum precisum obtinent.

Pariter in schemate: « interna vel externa hierarchia » dicitur respectu *instituti status perfectionis*: quod habet suam hierarchiam *internam,* scilicet intra institutum conclusam et gradibus propriis Superioribus internis constantem, sub supremo Capite, Romano Pontifice; et hierarchiam *externam,* quae constat Summo Pontifice et Episcopis, quae potius dicitur propter eius excellentiam, *Sacra Hierarchia,* cui religiosi etiam, titulis et gradibus diversis, subiiciuntur. Haec distinctio omnino pacifica est inter auctores.

— 50 —

In textu, loco vocabuli « externa », ob reverentiam adhibetur « *Sacra* », quin, ut videtur, confusionem facere possit; omnes sciunt hanc Sacram Hierarchiam, respectu Institutorum status perfectionis, esse Externam.

II. *Observ.*: D'ALTON: « Non placet usus verbi " hierarchiae " ad indicandos Superiores religiosos in Capite IV, art. 27. Quamvis haec non fuit intentio redactorum, tamen paragraphus sonat ac si daretur duplex hierarchia, Sacra nempe et religiosas, quae inter se comparari possunt — veluti duo lineae auctoritatis in Ecclesia quae in summite tantum, nempe in Romano Pontifice, tanguntur. Velim ergo ut lineae 22-26 sic sonent: " eosque instructos voluit propriis Superioribus internis quorum Supremum Caput est Romanus Pontifex qui est... " ».

Respondetur: Locutio « hierarchia interna » est aptissima, de se, ad Ordinem Superiorum internorum Institutorum religiosorum significandum et simul, ad eiusdem separationem a Sacra Hierarchia signandam, ut supra in praecedenti Responso dictum est.

Si vero timeatur impressio alicuius parallelismi ex aequo, inter utramque, forte quod in lin. 23 addi possit: « ...a Sacra Hierarchia clericali *divinitus instituta* (can. 108, § 3) *omnino* distincta, quae ... etc. ».

Notandum est autem, *quod si ex una parte parallelismus* ex aequo inter utramque Hierarchiam sit vitandus, ex altera parte inculcanda est autonomia hierarchiae *internae,* respectu Sacrae Hierarchiae, ab ipso Iure definita et statuta ita ut Praelati externi non debeant hierarchiam internam perturbare.

AD CAPUT V - ART. 30

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant ut ad Observ. VII, pag. 4): « Pag. 27, lin. 15-18. Textum ita mutarem: " virginitatem sectantes, a matrimonii oneribus liberi sunt, non quidem aliquo egoistico sensu vel animi pusillanimitate ducti, sed ut plenius " etc. ».

Respondetur: Movetur vera difficultas in observatione; sed forma proposita videtur etiam minuere vim totius sententiae. Quare, forte posset melius res sic exprimi: lin. 13. « Iamvero, qui evangelicam perfectionem profitentur, ad virginitatem sectandam ducuntur *non quidem aliquo egoistico sensu vel animi pusillanimitate ut scilicet a gravibus matrimonii muneribus et officiis sese exonerent* », sed « ut plenius queant Deum servire... etc. ».

— 51 —

II. *Observ.*: DÖPFNER: « " Sub communi praeceptorum iugo viventes ": haec expressio non videtur bona descriptio status christianorum. Dicente enim Apostolo omnes christiani non sunt sub lege (*Rom.* 6, 14), in quantum constituit iugum ab extrinseco impositum, sed in quantum per gratiam moventur, ut libenter impleant omnia tamquam ex Dei caritate provenientia (cfr. *Commentarium S. Thomae, in Ep. ad Rom.* 6) ».

Respondetur: Haec verba: « qui in saeculo sub communi praeceptorum iugo viventes » (lin. 24, pag. 27) addita fuerunt, ad hos simplices fideles in saeculo distinguendos a sodalibus, in saeculo, institutorum saecularium. Haec appellatio « iugum » non dissonat Novae Legi; ipse Christus loquitur de proprio *iugo,* quod vocat suave sed iugum.

Si autem displiceat locutio schematis, forte aliter res exprimi posset, v. g.: ... conditio christianorum qui in saeculo, *observantiae tantum praeceptorum obstricti,* apostolatui Ecclesiae *tamen* ex animo...

III. *Observ.*: SÉPINSKI: « P. 27, lin. 23-24: sic interpunctio fiat: " conditio christianorum qui in saeculo, sub communi praeceptorum iugo viventes, apostolatus " ».

Respondetur: *Placet,* si correctio supra proposita non acceptetur.

IV. *Observ.*: CÂMARA: « Optime. Sed fol. 27 notetur: quando fit recrutatio, ut dicunt, necesse est explicare quomodo decurrit vita religiosa, ne candidati illudantur, et postea desistant de statu religioso, quod his temporibus frequenter accidit ».

Respondetur: Pro hoc specialiter provisum est in Schemate: De Vocationibus promovendis, art. 97: « *Finis* proprius status perfectionis adspirantibus proponendus », ne precise, ut ibidem dicitur, candidati ineptis rationibus ad statum perfectionis amplectendum adducantur, quod in eorum et Instituti perniciem faciliter vertere posset (Pag. 6). De cetero idem periculum habetur pro omni vocatione sacerdotali. Non omnes qui desistunt ab ea id faciunt ex eo quod illam non satis noverint cum eam amplexi sunt.

ART. 31

I. *Observ.*: ŠEPER: « In cap. V, in refellendis falsis opinionibus, forsan modificanda est terminologia: (in art. 31, p. 27, lin. 28: " leviter asserant " ».

— 52 —

Respondetur: Verbum « leviter » non excedit veritatem; significat hanc opinionem solido fundamento carere. Quare melius retineatur.

ART. 32

I. *Observ.*: ŠEPER: « In cap. V, in refellendis falsis opinionibus, forsan modificanda est terminolagia:

A) in art. 32 pag. 28, lin. 18: " serpit funestissimus error ";

B) in art. 32, pag. 28, lin. 28: " temere proferunt " ».

Respondetur: Ad A) Si offendat, deleri possent verbum « serpit » et dicatur: Alius est funestissimus error denuntiandus, eorum scilicet qui status perfectionis... etc.

Ad B) Melius retineatur: « temere »: nam ut supra dictum est, indicat talem opinionem erroneam carere fundamento.

II. *Observ.*: SÉPINSKI: « A) Pag. 82, lin, 22-27: " status perfectionis... coarctatio ". Non est citatio litteralis; ideo non possunt adhiberi signa citationis " "; remaneat textus, qui sensum conservat et dicatur in nota 86: cfr. PIUS XII, etc. p. 31.

B) P. 29, lin. 13: dicatur clarius: " incunctanter " loco: " absque alio " ».

Respondetur: Ad A) *Placet.*

Ad B) *Minus placet*: nam locutio « absque alio » est satis clara.

ART. 33

I. *Observ.*: CICOGNANI: « Ne nimis instetur in comparatione status perfectionis cum statu clericali (et ita delendas censeo postremas octo lineas fasciculi Sectio prima pag. 30) ».

Respondetur: Plures vero observationes factae sunt ad istum art. 33, e quibus plures procedunt ex oblivione art. 13, aliae, ut praesens, improbant comparationem inter utrumque statum et ceterae, proponunt particulares emendationes.

Art. 33 vero, complet art. 13 quin eiusdem sit mera repetitio. Forte quod melius esset utrumque unire, id quod permitteret suppressionem primae partis art. 33 quae est mere coniunctiva huius articuli cum praecedentibus.

Ideoque, proponitur sequens *Redactio* art. 33 ad art. 13 uniti: (*ex art. 13*) (Differentia status perfectionis adquirendae a statu cleri saeculari).

Sacerdotes autem, etc. ... (sequitur integer art. 13) ... evan-

— 53 —

gelicae perfectionis conditionem et statum profitetur (pag. 15).

Ex art. 33:

Prima pars (pag. 29) ad lin. 2, pag. 30 « ... mutationi obnoxium non est ». *Omittatur.*

Post ultima verba art. 13: « ... et statum profitetur », ponatur reliquum art. 33, sed paulisper mutato ordine sententiarum, et cum certis particularibus emendationibus quae a Patribus proponuntur:

Sic proinde esset art. 13:

« Sacerdotes autem ... (etc.: textus art. 13) ... perfectionis conditionem et statum profitetur ».

(Ex art. 33: lin. 22, p. 30): *Re ita obiective considerata,* indubium est, Status perfectionis, uti in Ecclesia constituti, specialis sibi propria et aptissima media de se praebere ad perfectionem evangelicam sectandam et ad sanctitatem consequendam; quae media specialia status clericalis saecularis ratione sui non secumfert, licet clerici *aliis mediis specialibus sanctificationis haud tamen sibi exclusivis non careant quibus* in proprio statu *reapse* ad apicem sanctitatis contendere eamque adipisci valeant.

(Ex lin. 3): His positis, si perfectionis adquirendae status ad clericalem referatur, quin quaestio de praelatione unius prae alio ponatur, oportet dicere quod omnis vocatio *tum clericorum saecularium tum sodalium Statuum perfectionis cum a Deo sit,* bona est, imo in suo genere optima. *Ideoque cum Paulo dicere licet* ut « unusquisque in qua vocatione vocatus est in ea permaneat » (92 = 42/b). Et hoc quia sanctitas personalis... etc. ... imo in statu *communi* fidelium (93 = 42/c). Sanctitas tamen obnoxia est divinae vocationi in qua, quaecumque est, vult *apostolus* ut « digne ambulemus cum omni humilitate et mansuetudine » (94 = 42/d). (Sic articulus terminetur).

Haec redactio pluribus satisfacit observationibus, neque videtur necessarium delere postremas octo lineas art. 33 quae prout emendatae, nullum offendere possunt.

II. *Observ.*: QUIROGA: « Aliquid clarius ponatur de statu perfectionis Episcoporum et Sacerdotum dioecesanorum, iuxta indicata a Card. Ruffini, Döpfner et Browne ».

Respondetur: i) De speciali constitutione circa *sanctitatem* a Clero prosequendam iam actum est in Resp. ad Observ. VIII (Ruffini): sup. pp. 9-10.

ii) De statu *Episcoporum*: si quid plus est dicendum, in eadem constitutione adiungi poterit; sed non pertinet ad nostrum schema, cui sufficiebat ostendere *differentiam* status per-

— 54 —

fectionis adquirendae a statu Episcoporum (cfr. art. 12), quin tractatum de hoc ultimo traderet.

III. *Observ.*: SILVA (concordat: Šeper): « P. 30, lin. 6: Pro " dioecesanorum " ponatur " saecularium " ».

Respondetur: *Placet*. Iam aliis locis dictum est cur denominatio « clerus saecularis » retinenda est quae est traditionalis: clerus saecularis et regularis; perspicua et non offensiva: sicut sine offensione dicuntur: Tertii Ordines saeculares, Instituta saecularia. Neque confunditur cum Institutis saecularibus: etenim, ex una parte, est « clerus saecularis »; ex alia parte sunt « instituta saecularia ».

IV. *Observ.*: SILVA (concordat: Šeper): « P. 30, lin. 29: Episcopus etiam religiosas vocationes foveat et in clericis saecularibus curet rite spiritum evangelicorum consiliorum imbuendum. Oportet monere religiosos ut revera suis exemplis evangelica consilia populo christiano patefaciant ».

Respondetur: i) Grati sumus Exc.mo Relatori de invitamento ad vocationes religiosas fovendas.

ii) De exemplo a Religiosis dando, providetur in Schemate *de vocationibus promovendis*, art. 96: « ... Quare, ad vocationes suscitandas, media supernaturalia ceteris semper anteponantur, praecipue oratio, conspicua inter sodales fraterna caritas et *fulgens sanctitatis apostolatusque exemplum* ».

V. *Observ.*: RICHAUD (concordant: Liénart, Godfrey, Perrin, Šeper): « Sed ultima linea istius libelli, in pag. 30, appellat complementum maximi momenti.

Non enim potest dicere absolute quod status clericalis dioecesanus ratione sui non secumfert media specialia perfectionis. Clerici, praesertim in sacris ordinibus constituti, diaconus et sacerdos, recipiunt gratiam particularem sacramentalem, imo characterem unde gratia permanenter venit, ad functiones ecclesiasticas sacrasque bene exercendas. Ergo hoc exercitium est profecto medium speciale efficax ad apicem sanctitatis adipiscendam. Sacerdos sane non est fons sed instrumentum sanctificationis. Sed in instrumento semper manet influxus vialis ipsius causae principalis et primae, quando non stat obex ex eius parte.

Gratia sacramentalis Ordinis non est tantum ad validitatem et materialem sacrificii Missae ac Sacramentorum, venit in personam viventem et consciam. Secus conceptus sacerdotii cadit in quoddam materialismum. Si aliunde solum sacramentum Ordinis sane non potest sanctificationem modo automatico sacerdotibus tribuere, sed requirit, ut alia sacramenta, quasdam dispositiones effectivas in subiecto, quemadmodum mera applicatio atque observantia materialis cuiuscumque religiosae non ducit infallibiliter ad sanctificationem.

— 55 —

In eo sensu hae sunt semper nimis iuridice a pluribus saeculis propositae. Si Concilium posset in facto similitudinem augere inter vitam religiosam et vitam clericalem, partim ad mentem traditionis orientalis, Vaticanus II pro regno Evangelii et renovatione Ecclesiae maximum passum efficeret.

Humillimo meo sensu, aliquando exaggerata est, modo nimis categorico, distinctio inter consilia et praecepta. Nam praeceptum fundamentale et universale caritatis et perfectionis de facto vocat necessario aliquorum consiliorum praxim, inter quae sunt tria consilia voto accepta a religiosis ».

Respondetur: i) Verum est quod clerus saecularis (vel dioecesanus) habet, ut dictum est supra (p. 7, III) *media specialia* sanctificationis, licet non sibi exclusiva, ideoque in redactione art. 33 uniendi cum art. 13, additum est: ... licet *clerici aliis mediis specialibus sanctificationis haud tamen sibi exclusivis fruantur quibus* in proprio statu reapse ad apicem sanctitatis ... etc. (cfr. sup. pag. 60).

ii) Minuere non possumus *distinctionem* necessariam inter statum clericalem et statum religiosum: inter eos, enim existit fundamentale discrimen et proinde non posset Concilium « similitudinem augere inter vitam religiosam et vitam clericalem ». Sed *connexio* inter utrumque ostendi potest, et de facto conspicua est ex ipsis *Institutis clericalibus* status perfectionis: quatenus *vita religiosa optimum praebet medium sanctitatis sacerdotalis,* etsi hoc medium non sit necessarium. Historice constat plures *societates* sacerdotum saecularium ad apostolatum exercendum conditas, gradatim et quasi naturaliter impulsae sunt ad Consilia evangelica more religiosorum amplectenda et sic factae sunt verae Religiones.

iii) Pariter dicendum quod distinctio inter praecepta et consilia est theologica et necessaria neque exaggerata; sed consilia ipsa ordinantur ad ipsam perfectam caritatem assequendam, scilicet, iuxta S. Thomam, « ... ad removendum *impedimenta actus* charitatis... » (*Summa Theol.*, II-II, q. 184, art. 3 *c*).

Unire, certo importat; sed unire ea quae sunt perspicue inter se distincta, non vero confusa.

VI. *Observ.*: BROWNE: « In pag. 30, posset forte adhuc explicari:

— 56 —

a) Status Episc. et Sacerd. altior et sanctior;

b) sacerdos ad maior. sanctit. obligatur;

c) de se non est proprie loquendo in statu perfect. acquirendae;

d) hic status constituitur tribus conditionibus, ex parte subiecti seu causae materialis, seu causae dispositivae, quae sunt ligamina trium votorum;

e) Sacerd. tamen si vult ad suum gradum sanctitatis pervenire, non obligatur ad tria vota, obligatur tamen ad spiritum;

f) ita magni sancti ut Neri, Cafasso, de Sales pauperiores, castiores et oboedientiores fuerunt in spiritu seu praeparatione animi quam multi religiosi;

g) imo hoc verum est de Episcopo quoad suum impulsum in perfectione acquirenda ».

Respondetur: Ad *a*) *b*) *c*) *d*) *e*): plane respondet art. 13: singula ista puncta ibi inveniuntur inculcata quoad sacerdotes; et quoad Episcopos, idem dicendum de art. 12.

Unde nihil hic addendum, eo magis quod praesens art. 33 proponitur *uniendus* cum art. 13 (cfr. sup. pp. 52-53).

Ad *f*) et *g*): Omnino consentiendum est, et haec confirmant ea quae in schemate docentur hac de re.

VII. *Observ.*: Ujčić: « Valde placet in pag. 30 non esse quaestionem ponendam de praelatione unius cleri prae alio. Valde placet, sanctitatem personalem non dependere a statu personae, sed a voluntate.

Displicet particula: " imo ", pag. 30, lin. 18: quaeretur blandior ».

Respondetur: i) *Complacent* varia « placet » Exc.mi Relatoris.

ii) Particula « imo »: nihil durum habet; tantum significat aliquem gradum.

VIII. *Observ.*: Cooray: « Haec etiam velim addere de n. 35: ibi ponitur quaedam comparatio inter perfectionem religiosorum et Sacerdotum; sed non satis in lumen educitur sanctitas sacerdotalis, quae per se superare debet perfectionem mere religiosam. Hoc est necessarium, credo, ad evitandum errorem qui vult ponere sanctitatem sacerdotalem in quadam mediocritate ».

Respondetur: Iam provisum est in art. 13, ut supra dictum est (cfr. p. 43, III) et in Responso ad Observ. VI (Browne), sup.

— 57 —

IX. *Observ.*: Alter: « Quantum ad pag. 29, n. 33, mihi non videtur esse satis clara et adaequate elaborata comparatio inter statum religiosum et clerum (sacerdotalem) saecularem. Quaeritur an sit opportunum necne incorporare talem tractatum theologicum in Oecumenico Concilio? Multo magis abbreviandum est schema, et pars de Episcopis redactanda iuxta sententiam ab Em.mo Card. Döpfner expositam ».

Respondetur: i) Comparatio inter utrumque clerum magis et sufficienter elaborata habetur in art. 13, cui hic art. 33 est uniendus, ut supra dictum est (cfr. pp. 52-53).

ii) Tractatus *integer* theologicus de hac re non debet fieri in Concilio: sed ea quae in schemate habentur, neque huiusmodi tractatum integrum constituunt, quae tamen sunt dicenda et inculcanda. Nostris temporibus, enim, plura proferuntur vel scribuntur quae testantur de non parva confusione circa conceptus status perfectionis, in genere et in particulari; ideoque necessarium est ut Concilium doctrinam succinctam sed sufficientem tradat hac de re: huic necessitati schema videtur convenienter satisfacere.

X. *Observ.*: Sépinski: « A) P. 29, lin. 33: titulus: " Comparatio... clericali " minus placet; proponerem hunc titulum: "Unusquisque in sua vocatione permaneat " vel: " Status perfectionis sublimis schola sanctitatis ".

B) P. 29, lin. 33; p. 30, lin. 1: interpunctio sic fiat: " E contra, fundamentum a Christo positum, quod, uti dictum est, substantiam statuum perfectionis constituit, mutationi... ".

C) P. 30, lin. 19: melius dicatur: " quaecumque est ".

D) P. 30, lin. 27-28: dicerem: " licet clerici in proprio statu *reapse* apicem... " ».

Respondetur: Ad A) *Provisum est*: quia *uniendo* art. 33 ad 13 (cfr. sup. pp. 52-53), titulus art. 33 supprimitur, cum integra prima parte.

Aliter, *placeret* titulus primo loco proposito: « Unusquisque in sua vocatione permaneat ».

Ad B) *Placet*: sed haec sententia supprimitur in nova redactione: (cfr. sup., pag. 52).

Ad C) *Placet*.

Ad D) *Placet*: et provisum est in nova redactione articuli cum art. 13 uniti (cfr. pag. 53).

— 58 —

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, significare an textus huius partis schematis sit sufficienter emendatus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI

DE RELIGIOSIS

PARS III

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

— 3 —

DE EMENDATIONE SCHEMATIS

DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE SEU DE RELIGIOSIS

(Capp. XVI-XXV)

Capita 16-25 huius schematis inscribuntur *de alumnorum statuum perfectionis institutione* et examini Pont. Commissionis Centralis subiecta sunt die 9 maii 1962.

Nunc sunt emendanda a nostra Subcommissione, prae oculis habitis observationibus Patrum Pont. Commissionis Centralis et responsis eis datis a Pont. Commissione de Religiosis.

Observationes generales et responsa eis data

I. *Observ.*: Micara: « *a*) Multa et optima pro uberiore statuum perfectionis alumnorum institutione proferuntur.

Praesertim commendantur quae edicuntur de excolenda alumnorum personalitate (n. 47), de recta instructione circa castitatem (n. 73), de speciali neo sacerdotibus cura gerenda (n. 77), de renovanda et augenda circa trigesimum annum religiosorum sodalium institutione (n. 78).

b) Videntur tamen religiosi melius posse sacrae vocationi suae respondere et munera apostolica, ipsis largius hodie commissa, explere, si antequam professionem emittant indeque religiosi fiant pleno iure, per longius tempus suae attendant formationi sive spirituali sive etiam intellectuali et humanae. Cum ipsi sint totam vitam divino servitio et Ecclesiae oblaturi, expedit omnino ut aliquot saltem annos — plures sane quam hodierna canonica disciplina iubeat — impendant ad meliorem et ampliorem sui ipsorum institutionem.

c) Propaedeuticus cursus (de quo in n. 60), per normas praeceptivas, non mere exhortativas, augendus esse videtur sive quoad curationem sive quoad praestantiam et momentum.

d) Institutio etiam intellectualis religiosorum, sive virorum sive mulierum, qui sacerdotio vel muneri docendi non initiantur (nn. 55, 72, 92), expedit ut amplius curetur et per definitas normas iubeatur.

— 4 —

e) Animadvertitur denique minus congruere ut singula instituta moneantur habere quosdam sodales in scientia et arte psychologica versatos, qui detegant et curent psychopaticos alumnos forte emergentes (n. 49, pag. 10), quibus revera aliter etiam consuli potest ».

Respondetur: Ad *a*) Grati sumus Eminentissimo propter ea quae in laudem schematis hic dicuntur.

Ad *b*) Non bene apparet quid in schemate *desideratur,* ut alumni « antequam professionem emittant indeque religiosi fiant pleno iure, per longius tempus suae attendant formationi sive spirituali sive etiam intellectuali et humanae ».

Etenim:

i) *Ante primam professionem,* habetur proportionata et sufficiens praeparatio et probatio sive spiritualis, sive etiam intellectualis et humana, tum *necessaria*: tempore novitiatus; tum pro *opportunitate* rei, integro cursu propaedeutico adspirantatus et postulatus. Porro, prima professio, novitiatu expleto, differri nequit: ne alumnus sive votis in Instituto remaneat.

ii) *Ante professionem perpetuam,* habetur ulterior probatio saltem per triennium; sed professione perpetua emissa, non propterea cessat *institutio* seu *formatio* (bene distinguenda a simplici probatione) alumni, quae iuxta indolem Instituti protrahi potest, immo, debet, si agatur de Instituto clericali.

iii) *Triennium* in votis temporariis videtur generatim probatio sufficiens ad professionem perpetuam emittendam. Attamen non excluditur eiusdem protractio, probante Sancta Sede; sed, data magna varietate inter diversa Instituta, haud prudens esset hanc protractionem lege generali omnibus imponere; sufficiat Concilio principia fundamentalia hac de re ponere et ad competens Dicasterium remittere curam ea ad plenum effectum deducendi, attentis et perpensis particularibus adiunctis singulorum casuum.

iv) Institutionis efficacitas non solum ab eius duratione pendet, sed magis ab eius sapienti ordinatione et a conspicua Magistrorum idoneitate. Etenim, his deficientibus, frustra institutio protraheretur, etiam ad decennium.

Quare proponitur ut articulo 48 (Caput XVII) sequentia verba inserantur: « Omnibus in comperto est alumnorum institutionis efficacitatem et incrementum non a solo annorum numero quo protrahitur pendere, sed maxime ab eius sapienti progressiva ordinatione atque ab educatorum idoneitate et diligentia. Quare... etc. ».

— 5 —

Ad *c*) i) In Articulo 60 (ad quem refertur observatio) agitur mere de *divisione technica* cursus institutionis; quare *notiones* tantum singularum partium divisionis traduntur, quin aliquid addatur (neque addendum sit) de praestantia vel momento cursus.

ii) *Praestantia et momentum* autem huius cursus propaedeutici una cum ceteris cursibus inculcantur, et quidem non tantum exhortative, sed etiam *praeceptive,* in Articulo 45. Superiores enim, ibi dicitur, « ... gravi officio conscientiae tenentur curandi ut *Adspirantes, Novitii* necnon *Professi* pro instituti indole aptam atque *undequaque completam* per *praescriptum tempus* recipiant institutionem... ».

iii) *Ad durationem* autem *adspirantatus* (qui est prima pars cursus propaedeutici) quod attinet, notandum est adspirantatum cum *curriculo studiorum propaedeutico* seu *medio* coincidere. Commissio nostra autem noluit huius curriculi medii studiorum numerum annorum definire propter nimiam diversitatem ordinationis horum studiorum in diversis regionibus.

Commissio de *Studiis et Seminariis,* in Schemate: « De Sacrorum Alumnis formandis: Caput IV: De Studiorum ratione in Seminariis », art. 7 (pag. 4) criterium statuit desumptum ex aequipollentia inter Seminarium et Universitatem, scilicet: « ... studiorum mediorum curriculum ita ordinetur ut alumni congruam sermonis patrii, litterarum scientiarumque cognitionem sibi comparent, communiter eo titulo sancitam qui ad Universitatem in propria natione ingrediendam requiritur ».

Hoc criterium Commissio nostra consideravit, sed noluit illud acceptare, pariter, propter nimiam diversitatem exigentiarum hac in re secundum diversas regiones: in certis locis, criterium prorsus insufficiens esset, dum in aliis, esset exaggeratum. Quare, retinuit aliquod criterium magis flexibile, in ordine executivo a competentibus auctoritatibus cum debita proportione applicandum, nempe: « Ad Studia ecclesiastica instauranda illi tantum admitti possunt qui studia propaedeutica humanistica iam compleverint sufficientique humana cultura callere certo ostenderint. Praeterea, de rebus eruditi sint quae ad sacras disciplinas addiscendas viam sternunt » (cfr. Schema, art. 83).

Insuper, notandum est haud paucas vocationes religiosas ex institutis quae non sunt scholae apostolicae provenire. Ideoque *adspirantatus* prout hic ordinatur, etsi optimum sit medium ad vocationes religiosas colligendas et excolendas, non est tamen gressus necessarius ad novitiatum ingrediendum, dummodo candidati demonstrantur sufficienter parati.

— 6 —

iv) *Ad postulatum* quod attinet, iterum propter magnam diversitatem praeparationis in diversis candidatis ad vitam religiosam, Commissio noluit rigide agere, sed contenta est normam satis flexibilem statuere in Articulo 64, relinquendo singulis Institutis, probante S. Sede, curam accuratius rem definiendi.

Ad *d*) i) Institutioni *intellectuali* religiosorum qui « sacerdotio vel muneri docendi non initiantur » videntur sufficienter providere articuli citati 55, 72 et 92. Vi huius ultimi, praesertim, normae pro institutione intellectuali clericorum iam satis hic enucleatae, ceteris religiosis applicandae sunt, congrua congruis referendo. Has normas magis definire esset veluti conficere aliquam *rationem studiorum*: quae non pertinet certo ad Concilium, sed ad competens Dicasterium cui incumbit executionem Decreti promovere.

ii) Hoc praescriptum cum sit generale, pro Monialibus, de quibus in fine articuli 55, etiam valet (cfr. etiam infra pag. 9 ad D, ii, additio articuli 48).

Ad *e*) i) Necessitas vel saltem magna utilitas habendi « sodales in scientia et arte psychologica versatos » (Art. 49, p. 10) satis communiter sentitur. Haud rari sunt casus defectionis a vocatione quos accurata peritia psychologica tempestive detegere potuisset et praevenire.

ii) Notandum tamen munus horum sodalium peritorum intra iustos et prudentes limites circumscribi. Ad eos, enim, non pertinet (ut dicitur in observatione) casus emergentes curare: « ... non quidem ut casus psychopaticos inter alumnos educandos forte emergentes ipsi pertractent; sed ut tempestive eos *detegere* queant, et si expedierit, peritis committere, normis a S. Sede hac in re sedule servatis » (cfr. Art. 49, p. 10).

Et hic citatur *Monitum* S. Officii d. 15 iulii 1961, de usu psychanalysi coarctando.

II. *Observ.*: LIÉNART (concordant: Döpfner, Bea, Perrin, Bernard, Yago, Suhr, Gut): « Dubito num quaestiones istae sint in Concilio tractandae. Non est materia conciliaris ».

Respondetur: i) Haec quaestio de *materia conciliari* seligenda pluries posita est in Commissione Centrali, et in nostris *Responsis* praecedentibus de eadem egimus. In Responsis speciatim ad Schema « De aliquibus Institutis in particulari », ad Observationem generalem X (Em.mi Card. Bea), pp. 10-11, haec habentur: « Cum autem hac de re frequenter fiant observationes et reapse desint normae praecisae (a Commissione Centrali datae),

— 7 —

utile erit *criteria* quibus argumenta quae Concilio proponantur seligenda sint, hic schematice exponere... ».

Non oportet haec criteria iterum hic repetere; liceat tantum conclusionem referre:

« Faciliter consensus unanimis obtineri potest circa *criteria* supra exposita; non ita quoad eorum *applicationem concretam*.

Ex ipsis *observationibus* membrorum Commissionis Centralis evidenter apparet quod non omnes eodem modo iudicant de opportunitate vel minus alicuius determinati argumenti, et unusquisque abundat in proprio sensu.

Ideoque, stante difficultate *applicationis* criteriorum, videtur rationabile quod *Commissio* quae aliquam materiam determinatam ex professo tractavit cum omnibus necessariis informationibus, aliquando specialiter ad hoc quaesitis, *praesumptionem* habeat in recte iudicando de *opportunitate* alicuius argumenti in textu conciliari inserendi.

Quare, in aliqua parte schematis delenda, *caute* est procedendum ne deleantur quae necessario vel saltem valde utiliter dicenda erant; insuper ne agendo solummodo de una quaestione inter varias connexas, mens Concilii videatur minus de istis curare, et sic fiat argumentum ex silentio ».

ii) Votis Exc.morum Episcoporum attentis, Summus Pontifex duas quaestiones principales Commissioni nostrae demandavit pertractandas quae *institutionem sodalium* religiosorum respiciunt, nempe:

« Media suggerantur ad incrementum institutionis religiosae Monialium et Sororum ».

« Novitiorum institutio nostris temporibus aptetur novoque incremento augeatur » (confr. *Quaestiones* Commissionibus positae, p. 13, I, *b* et *c*).

iii) Haec quaestiones proinde Commissioni auctoritative quoque pertractandae assignantur, quae iam propria utilitate commendantur; sed apte pertractari nequeunt *separatim*, quin ad principia quibus nituntur referantur et organice cum aliis connexis et similibus enucleantur. En ratio praesentis *Schematis* de Alumnis instituendis, in quo non datur *ratio* completa institutionis: quae ad Concilium non pertinet; sed exponuntur principia fundamentalia et normae generales traduntur circa ea quae pro *temporum adiunctis*, prae ceteris, urgent.

iv) Haec est ratio cur quaedam argumenta tractantur in schemate, dum plura, quae ad rationem institutionis completam pertinent, de facto omissa sunt.

Huiusmodi ratio institutionis completa iam habetur pro cle-

— 8 —

ricis in Constitutione Apostolica *Sedes Sapientiae*; ad cuius exemplar alia confici poterit pro religiosis laicis viris et mulieribus.

v) Haec complementum accipiunt ab aliis dicendis infra (pp. 16-17) in responso IX.

vi) De cetero, ut legenti patet, plures observationes proponunt alia praesenti textui addenda; unde magna diversitas sententiarum hac in re.

III. *Observ.*: SPELLMAN (concordant: Ferretto, Copello, Montini, Silva Santiago).

N. B.: Cum haec observatio valde extensa sit (pp. 2-6), *Textus* refertur per *Partes* cum propriis Responsis.

A) *Textus*: « In parte secunda sui schematis de Statibus Perfectionis adquirendae, Commissio de Religiosis facit proposita disciplinaria ut vita et opera in Institutis Status perfectionis Adquirendae renoventur. Eo fine Sectio secunda huius partis schematis sapienter et prudenter agit de alumnorum statuum perfectionis institutione. In genere, tota haec sectio placet. Aliquae animadversiones particulares, tamen, non videantur esse inopportunae.

Hisce in temporibus cultus " personalitatis " et autonomia individualis ab aliquibus nimis exaggerantur. Ex altera parte, carentia maturitatis vel negligentia in aptitudinibus et dispositionibus individualibus recte promovendis detrimentum facere potest tum singularibus religiosis tum operibus totius Ecclesiae. Inter haec duo pericula Caput XVI viam tutam et securam sternit ».

Respondetur: Grati sumus propter ea quae dicta sunt in meritum Schematis.

B) *Textus*: « De alumnorum educatoribus accurate seligendis et praeparandis necnon de domibus institutioni alumnorum destinatis congruenter instruendis bene in cap. XVII agitur. Proculdubio, norma sancte observanda est in Superiores, Moderatores, Directores spiritus et professores optimi quique sodales totius instituti probatae virtutis, solida doctrina congruentique experientia ditati, adsciscantur etiam, si opus sit, ex alia provincia, monasterio seu domo ».

Respondetur: Grati sumus propter ea quae dicta sunt cum approbatione Schematis.

C) *Textus*: « Addenda est, tamen, admonitio magis explicita ut, in aliquibus temporum locorumque adiunctis, solida alum-

— 9 —

norum institutio efficacius consuli possit si alumni ex pluribus provinciis vel monasteriis in sedes communes coniungantur. Annis recentioribus, S. Sede adhortante atque approbante, multa Seminaria regionalia vel Interdioecesana constructa sunt. His in Seminariis alumni melius et aptius institui possunt quam in Seminariis individualibus in quibus non adest congruus alumnorum numerus. Etiam, his in Seminariis regionalibus facilius haberi possunt moderatores, professores et directores spiritus qui sufficienter selecti, praeparati et ab aliis officiis vel oneribus vacui sint et munus suum recte et apte exerceant. Praeterea, in aliquibus casibus, rationes oeconomicae postulant Seminaria Regionalia nisi desit domus supellectili caeterisque subsidiis congruenter instructa. A pari, vel etiam a fortiori, in aliquibus institutis religiosis, tum clericorum tum laicorum, domus formationis interprovinciales vel regionales necessariae vel utiles sunt ».

Respondetur: i) *Placent* omnino rationes tam copiose et distincte allatae ad domos formationis interprovinciales vel regionales promovendas. Iisdem rationibus ducta, Commissio normam succincte statuit in articulo 51: « Provideant autem competentes Superiores, etiam monasterii sui iuris, ne in formationis sedibus, plures aut pauciores sint alumni quam ut apte institui queant ».

ii) Attamen, hic attenditur tantum ad numerum alumnorum; sed attendendum est etiam ad numerum *professorum* et *subsidia* scientifica. Quare, forte hic articulus *compleri* posset modo sequenti:

... ne in formationis sedibus, plures aut pauciores sint alumni quam ut apte institui queant, neque desint Magistri competentes et subsidia scientifica necessaria. Quare, si oportuerit vel melius expedierit, curent Superiores instituere domus formationis interprovinciales vel regionales vel etiam internationales.

D) *Textus*: « Procul dubio omnes alumni statuum perfectionis, sive viri sive mulieres, apta institutione religiosa et intellectuali necnon esthetica, eorum conditioni accommodata, donandi sunt. Monialibus etiam impertiatur solida et congruens institutio. Sicut ait S. Augustinus: " nullus potest amare aliquid incognitum ". Secundum S. Thomam, competit religiosis studium litterarum " dupliciter quantum ad id quod est proprium contemplativae vitae: uno modo, directe coadiuvando ad contemplandum, illuminando scilicet intellectum... aliomodo, studium Litterarum iuvat ad contemplativam vitam indirecte remo-

— 10 —

vendo contemplationis pericula, scilicet errores, qui in contemplatione divinorum frequenter accidunt his qui Scripturas ignorant ". Propter indolem vitae claustralis monialium et etiam propter paupertatem multorum monasteriorum monialium, earum institutio non est sine difficultatibus. Ergo, Patres Concilii velint commendare Ordinariis locorum et Superioribus competentibus ut provideant ne desint educatores et directores spirituales ex utroque clero et, si opus sit, ex aliis institutis religiosis, quibus cura institutionis et formationis monialium concredatur ».

Respondetur: i) Normae de « Alumnorum institutione » etiam ad *Moniales* extenduntur, congrua congruis referendo (cfr. Articulum 44); et speciatim ad earum institutionem *intellectualem* quod attinet, praescribitur ut « Monialibus... impertiatur solida institutio in sacris disciplinis earum conditioni accommodata » (Art. 55).

i) Ad earum tamen penuriam hac in re sublevandam, iuxta praesentem observationem Em.mi Principis addi possent in fine Art. 48:

« Specialiter competentibus Ordinariis locorum et Superioribus commendatur providere ne earum Monasteriis sibi subiectis desint idonei educatores et directores spirituales quibus cura institutionis et formationis monialium concredatur ».

iii) Insuper, in Art. 92, ad Moniales quoque explicite referri posset incipiendo lineam 14 modo sequenti:

« Monialium quoque et religiosorum conversorum institutio intellectualis, ... etc. ».

E) *Textus*: « Ut repetitiones in Concilii decretis vitentur, melius est omittere numerum 58 de institutione circa media technica communicationis. Satis est referre ad sectiones hac de re in Schemate a Secretariatu de Scriptis prelo edendis et de Spectaculis moderandis proposito ».

Respendtur: i) Hic articulus 58 insertus est in schemate nostro ad instantiam Commissionis *Preli* quae amplissimam elucidationem hac de re Commissioni nostrae tradidit, hic compendiose relatam.

ii) De *momento* huiusmodi articuli non est ambigendum; sed neque videntur sufficere ea quae in Schemate Commissionis Preli continentur: nam haec sunt generalia, neque institutionem religiosorum explicite tangunt.

iii) Ideoque, melius est hunc articulum retinere; pertinebit ad Subcommissionem *coordinationis* diversa schemata inter se

— 11 —

harmonice componere sine indebita suppressione eorum quae sunt dicenda.

F) *Textus*: « Non est dubium quin a primis vocationis germinibus alumni religiosi assidua cura congruentique ratione institui debeant. Disciplina ecclesiastica de seminariis minoribus dioecesanis fovendis etiam ad Scholas Apostolicas in institutis laicalibus, varia temporum locorumque adiuncta consideranda sunt. Certe, omnibus ad vitam religiosam adspirantibus directio spiritualis ac praeparatio congruens ab initio praebendae sunt. Determinatio formae specificae huius adspirantatus, tamen, Superiorum Maiorum Conferentiis sub Sacrae Congregationis de Religiosis ductu concredenda sunt ».

Respondetur: *Placet* ea quae hic dicuntur de germinibus vocationis religiosae excolendis. Sed *determinatio formae specificae* adspirantatus, quo hae vocationes excoluntur, directe pertinet ad *singula Instituta,* secundum normas a S. Sede datas. Conferentiae Superiorum Maiorum certo certius in hoc multo conferre possunt et debent; at non convenit eas veluti mandatum recipere a Concilio quasi auctoritative formas adspirantatus determinandi.

G) *Textus*: « De candidatis in novitiatum prudenter admittendis Schema propositum in Capite Vigesimo bene dixit. Annis recentioribus S. Sedes saepe monuit ut Superiores prudenter perpenderent idoneitatem candidatorum, audita etiam peritorum sententia. Doctrina, iam in Litteris Encyclicis *Sacra Virginitas,* in Statutis Generalibus adnexis Constitutioni Apostolicae *Sedes Sapientiae,* et in aliis documentis Magisterii Ecclesiastici contentat, hic breviter proponitur. Haud inutile esse videatur, tamen, explicite addere iudicium ultimum de candidatis in novitiatum admittendis faciendm esse a superioribus competentibus ecclesiasticis. Hi superiores non tantum peritorum scientiae pervestigationum conclusiones, sed caetera quoque personarum adiuncta perpendant ».

Respondetur: i) Admissio candidatorum in Institutum maxime pertinet ad ordinem *internum* Instituti; ideoque, ultimum iudicium de hac admissione ad Superiores *internos* quoque pertinere debet, sicut id communissime observatur in omni particulari societate vel associatione: cooptatio enim membrorum semper fit a propriis praepositis secundum statuta societatis vel associationis.

ii) De cetero, Superiores interni de candidatorum idoneitate aptius iudicare possunt quam externi. Etenim, prae manibus ha-

— 12 —

bent *informationes* de persona ad normam iuris requisitas; eiusdem rationem agendi assidua vigilantia omni die prosecuti sunt eiusque virtutes et dispositiones aptis exercitiis probaverunt; quae Superiorem externum plerumque affugiunt.

iii) Ideoque can. 552 § 2, examen canonicum ab Ordinario loci peragendum tantum pro mulieribus praescribit illudque circumscribit ad earumdem libertatem indagandam ac tuendam, scilicet, « num ea coacta seductave sit, an sciat quid agat, et, si de pia eius ac libera voluntate plane constiterit, tunc adspirans *poterit* ad novitiatum vel novitia ad professionem admitti », scilicet a propriis Superiorissis internis.

Unde hoc examen est in *defensionem* candidatae contra possibilem coactionem vel seductionem; non autem ad candidatae idoneitatem diiudicandam, et multo minus ad eius admissionem decidendam; quae omnia proprio Instituto relinquuntur ita ut etiam post iudicium favorabile Ordinarii, candidata posset a Superiorissis recusari.

Unde nihil videtur mutandum in schemate hac de re.

H) *Textus*: « Praeterea, Patres Concilii velint explicite admonere ne his in pervestigationibus violetur ius naturale personae rem aliquam occultam non manifestandi. Canone 530 *C.I.C.* omnes religiosi superiores districte vetantur personas sibi subditas quoque modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam. Etiamsi candidati ad postulatum vel novitiatum sub huius canonis tutela non includantur, tamen videtur esse omnino contra Ecclesiae praxim requirere aliquam conscientiae manifestationem in foro externo uti conditionem sine qua non admittuntur candidati in postulatum vel novitiatum. Huiusmodi monitum non excludat peritorum scientiae psychologicae pervestigationes, sed excludat abusus et pericula quae ex immoderato vel imprudenti usu peritorum sententiarum oriri possint ».

Respondetur: i) Quae hic dicuntur de *secretis* non violandis et de *manifestatione* conscientiae in se vera sunt, sed gignere possunt confusionem. Sunt enim multa quae candidatus occultare posset « in sensu diviso » sed non « in sensu composito suae voluntatis ingrediendi Religionem; sicut quivis adspirans ad S. Tonsuram de eius legitimitate interrogatur et consequenter de valido genitorum matrimonio.

Unde nihil obstat quominus aliqua Religio possit ut normam statuere se nolle recipere illos qui v. g. post pubertatem peccata externa cum aliis commiserunt. Consequenter, non apparet cur candidati hac de re interrogari non possent. Tunc utique liberum erit candidato aut tacere (et non amplius progredi), aut facta sua manifestare ut Superiores iudicent an admitti possit necne.

— 13 —

Ex alia parte huiusmodi normae de iure naturae commemorari non debent nisi appareat abusus revera corrigendus et satis diffusus, ita ut a Concilio damnari debeat: quod in casu non verificatur.

ii) Quoad pervestigationes peritis scientiae psychologicae committendas, posset, in fine art. 67 (pag. 7, lin. 7), addi verbum: « prudentibus » scilicet « ... peritorum scientiae prudentibus pervestigationibus ».

I) *Textus*: « Bene in capitibus sequentibus schema agit de religiosa institutione quae post novitiatum et etiam post definitivam cooptationem progrediatur una cum congruenti formatione intellectuali et apostolica necnon technica. Annis recentioribus in civitatibus Americae Septentrionalis Foederatis, sub S. C. de Religiosis ductu, constituta est Conferentia de Sacrorum formatione eo fine ut omnes religiosae suam formationem perficerent, expolirent et consolidarent. Sperandum est in omnibus orbis catholici regionibus conferentias similes constituturas esse et, Deo adiuvante, opus suum ad formationem religiosarum perfectionem adiuvandam bene perfecturas esse ».

Respondetur: Similes organizationes natae sunt etiam in aliis regionibus sub impulsu Conferentiarum *Superiorum Maiorum;* ideoque spes habetur ut hi boni effectus conferentiarum magis magisque extendantur.

J) *Textus*: « Ad numerum octogesimum secundum fortasse addenda est commendatio ut, ubi opportune fieri possit, domus residentiae constituantur pro religiosis qui scholas superiores et Universitates, praesertim civiles, frequentant ».

Respondentur: i) Si aliquid hac de re sit addendum, ad art. 51 (De domibus institutioni alumnorum destinatis) potius ponendum esset.

ii) Hoc tamen nequit singulis institutis praecipi. Quare forte sub aliqua ratione generali norma haberi posset in fine art. 51.

« Insuper, prout expediat et in quantum possibile sit, domus residentiales Instituti, vel saltem pluribus institutis communes, constituantur pro religiosis qui scholas superiores et Universitates, praesertim civiles, frequentant ».

K) *Textus*: « Ultima animadversio est de capite XXIV. Inquantum studiorum curriculum pro alumnis religiosis clericali-

— 14 —

bus multis in rebus non differt a studiorum curriculo in seminariis dioecesanis, opus non est repetere hoc in capite id quod iam in capite quarto Schematis Constitutionis de Sacrorum Alumnis formandis a Commissione de Studiis et Seminariis propositum ».

Respondetur: Verum est quod curriculum studiorum clericorum sive saecularium sive religiosorum substantialiter idem est. Attamen prout inseritur in tota ordinatione *vitae religiosae* non paucos induit speciales aspectus et modos, pro quibus specialis expositio utilis esse potest. Quomodo utrumque schema in unum poterit reduci, hoc pertinet potius ad Subcommissionem Coordinationis schematum Concilii. Sed interim notandum est quod pauca quae hac de re hic habentur (79-91), proponuntur tamquam proportionaliter applicanda studiis alumnorum laicorum utriusque sexus, de quibus in Capite XXV (art. 92), ideoque remanere ibi debent.

Ergo, melius est pro nunc schema integre servare (cfr. etiam infra dicenda ad observationem X (Bea), p. 17.

IV. *Observ.*: Siri (concordat: Silva Santiago): « Attentis observationibus factis plura remittantur ad Codicem ».

Respondetur: De quaestione materiae retinendae vel remittendae, actum est in Responso ad Observationem II (Liénart) (cfr. supra pag. 6).

V. *Observ.*: Léger (concordant: Aloisi-Masella, Ferretto, Liénart, Copello, Montini, Richaud, Döpfner, Rugambwa, Albareda, Chavez y Gonzales, Antezana, McKeefry, Perrin, Šeper, Bernard, Rakotomalala, Bengsch): « Tria schemata de institutione alumnorum bene constructa sunt et quasdam materias feliciter renovant. Tamen dicendum est, in mea opinione, quod multi sunt articuli ubi non habetur renovatio sperata.

a) Illa schemata sunt quasi exclusive disciplinaria. Carent inspiratione doctrinali. Notabo quod in tribus illis schematibus quae specifice tractant de institutione ad perfectionem, verbum " caritas " una sola vice invenitur, verbum " fides " duobus vicibus, nulla mentio fit de virtute spei; nec ulla mentio habetur de Liturgia Sacra nec etiam de relatione vitae religiosae cum baptismo iam recepto.

b) Quoad formam et modum expressionis carent simplicitate et spiritu evangelii qui, de statibus perfectionis evangelicae tractando, optime convenirent ».

— 15 —

Respondetur: Ad *a*) Schema praesens intenditur *disciplinare* sicut cetera schemata huius partis secundae: « Disciplina de renovatione vitae et operae in institutis status perfectionis adquirendae ». Ideoque traduntur normae *practicae* quarum fundamentum doctrinale invenitur potius in parte *prima*: « Doctrina de Statibus perfectionis adquirendae ».

Plures considerationes spirituales praemitti potuissent; sed tunc schema evasisset aliqua Constitutio et quidem forte nimis extensa, dum tendentia Commissionis Centralis est ad materiam potius coarctandam.

Neque petendus est a Concilio aliquis *Tractatus scholasticus* de Institutione Alumnorum; ideo, commissio attingere voluit tantum praecipua argumenta quae praesentibus in adiunctis momentum practicum habent. Consequenter plura reliquit argumenta, in se forte maioris momenti, quae tamen non afferunt specialem difficultatem.

In Schemate praecedenti: De Accommodata renovatione vitae religiosae (Cap. XII), habetur specialis articulus (11) de Renovatione: « quoad vitam liturgicam ». Cum institutio hic dicatur *integra*, proculdubio comprehendit etiam institutionem liturgicam, quin necessarium sit hoc explicite dicere ut fieri deberet in aliqua *ratione institutionis* conficienda.

Ad *b*) Non bene apparet quomodo haec materia simplicius exprimi posset. Neque videtur quomodo hae normae *disciplinares* cum Evangelio explicite colligare, sicut neque hoc factum sit pro *Codice Iuris Canonici*, qui tamen in Evangelio proculdubio fundatur!

VI. *Observ.*: Montini: « De his normis, quae magis disciplinam respiciunt quam principia, non poterit fortasse Concilium tractare: videntur haec omnia ad Commissionem pro reformando Codice remittenda ».

Respondetur: De materia retinenda vel remittenda actum est in Responso ad Observationem II (Liénart) (cfr. supra p. 6).

VII. *Observ.*: Coussa (concordat: Cheikho): « A) Haec omnia applicari non possunt omnibus Familiis religiosis utpote non necessaria singulis: attendendum ad finem specialem singularum Familiarum et quae eidem consentanea sunt, accipientur et in praxim deducuntur (cfr. religiones contemplativae vitae uti dicitur, activae etc. et sodalium praeparationem et institutionem in singulis Familiis).

— 16 —

B) Fundamentalia praescripta in schematibus proposita Concilio Oecumenico demandanda; cetera Commissioni de recognoscendo *C.I.C.*

C) Ad Orientales Ecclesias quod attinet noto: schemata haec subiecta non fuerunt Commissioni pro Ecclesiis Orientalibus. Quae approbata essent ab ipsa, possent nostrae Commissioni Centrali supponi, alia enim atque alia est — uti notum est — condicio religiosorum in Occidente et inter Orientales ».

Respondetur: Ad A) *Placet* animadversio; quaevis enim Constitutio *generalis* etsi ad omnes alicuius coetus spectat, non propterea *singula* in ea contenta singulis necessario applicanda sunt: sed quatenus id requiritur ex rei natura vel contextu sermonis. Quare in art. 44 sic providetur: « ... quibus omnibus pro subiecta materia debitaque cum proportione applicandae sunt ».

Ad B) De materia retinenda vel remittenda iam actum est in Responso ad II Observationem (Liénart) (cfr. supra p. 6).

Ad C) i) Ratio agendi Commissionis nostrae respectu religiosorum Ecclesiae Orientalis fuit sequens. Cum vero Commissio Ecclesiae Orientalis de suis religiosis agere deberet, sicut de pluribus aliis argumentis quae etiam ab aliis Commissionibus particularibus praeparatoriis tractabantur, Commissio nostra voluit generatim *praescindere* a Religiosis Ecclesiae Orientalis, secuta hac in re Legislatorem Supremum qui in Codice Iuris Canonici de religiosis Ecclesiae Orientalis non egit.

ii) Attamen, rogante Rev.mo P. Secretario Commissionis Ecclesiae Orientalis, *Schemata nostra,* secundum primam redactionem, eidem fuerunt communicata. Num fuerint subiecta etiam Commissioni? Ignoramus, et nihil auditum est circa decisiones Commissionis hac de re. Forte rogari posset quid ipsa intendat facere?

VIII. *Observ.*: SUENENS: « A) Non placent schemata ut materia Conciliaris.

B) Optarem ut unice de renovatione vitae religiosae sermo sit in ordine ad apostolatum hodiernum ».

Respondetur: Ad A) De materia retinenda vel remittenda actum est in Responso ad II Observationem generalem (Liénart) (cfr. supra p. 6).

Ad B) Proposita restrictio materiae est evidenter nimis radicalis, et non satis attendit ad genuinum conceptum *vitae religiosae,* quae substantialiter et in omnibus omnino Institutis ordinatur ad perfectionem evangelicam adquirendam; non in omnibus autem etiam ad *opera externa* apostolatus, etsi omnis anima Deo consecrata dilectionem proximi semper prosequi debeat. Ideo haec opera externa pertinere possunt ad substantiam determinatae formae vitae religiosae, sed non ad substantiam omnis vitae religiosae. De cetero, mandatum acceptum a Summo Pontifice erat: « *De vita religiosa renovanda* » (cfr. « Quaestiones Commissionibus positae », p. 13).

— 17 —

IX. *Observ.*: JULLIEN (concordant: Cooray, Šeper): «A) Omnino videtur necesse ut Concilium Oecumenicum agat de religiosis qui tanti momenti sunt in Ecclesia et ministerio orationis et actionis apostolicae, quique saepius plus quam aliis pro Ecclesia persecutionem patiuntur.

Sed in Concilio Oecumenico locus non est proponendi tractatum absolutum de regimine interno generali et particulari religiosorum. Si experientia docet quaedam mutanda, S. Congregatio aut Commissiones Superiorum providebunt illis schematibus utentes quin plus quam 2.000 Patrum trahentur ad peculiaria discutienda, dum premunt multa alia quae ad totam Ecclesiam spectant.

B) Concilio Oecumenico reserventur quaestiones de religiosis paucissimae et momenti universalis pro nostris temporibus: uti:

a) quaestio de vocatione quae quidem tractari deberet in una Constitutione pro utroque Clero, notatis quidem iis quae spectant ad religiosos;

b) quaestio, a pluribus discussa, de necessitate religiosorum laicorum, educationi deditorum;

c) quaestiones generales de novis institutis saecularibus;

d) quaestio de unione utriusque cleri ad apostolatum exercendum ».

Respondetur: Ad A) Schema nostrum, ut patet, non exhibet « *Tractatum absolutum* » de regimine interno generali et particulari religiosorum, quem videtur Em.mus Relator reprobare. Consulte, Commissio nostra voluit excludere huiusmodi tractatum absolutum; excludere voluit plura etiam in se magni momenti, ad selecta argumenta tantum attendens quae pro temporum nostrorum adiunctis speciale habent momentum practicum.

Nunc autem quoad iudicium ferendum circa materiam retinendam vel remittendam iam actum est in Responso ad II Observationem generalem (Liénart) (cfr. supra p. 6).

Ad B) Singula argumenta hic recensita de facto tractantur in

— 18 —

diversis schematibus Commissionis, ut omnes videre possunt. Speciatim quoad *vocationem religiosam,* observationi hic factae responsum est in proprio loco. Sed schema « De Statibus perfectionis adquirendae » reducere ad ea sola quae ab Em.mo Relatore recensentur, esset generalem expectationem de Concilio partim decipere, non pauca argumenta hodie prementia haud sine damno praeterire et partem in Concilio (De Religiosis » (qui plusquam 1.000.000 numerantur) non aeque proportionatam facere, quasi eos tractans, ut gallice dicitur, « en parents pauvres ».

X. *Observ.*: BEA: « Habemus pro studiis academicis Const. Apost. *Deus scientiarum Dominus* sed eodem modo nunc requireretur Direct. pro studiis non academicis (Collegiis relig. et Seminariis). *Sedes Sapientiae* est quoddam initium sed compleri potest ».

Respondetur: Constitutio *integra* « pro studiis non academicis » de se est optima res. Si specialis habeatur pro *Religiosis,* nihil tunc est excipiendum. Si autem intelligatur *communis* pro seminariis dioecesanis et religiosis, caute tunc est procedendum, ut supra notatum est in Responso ad Observationem III (Spellman) (cfr. supra ad K).

Imprimis, pro religiosis agendum est etiam de studiis non *clericalibus* religiosorum laicorum, virorum et mulierum: quae studia vix tractari possunt in uno documento Seminariis dioecesanis destinato.

Deinde, quoad ipsa studia clericalia quae certo communia sunt substantialiter clericis saecularibus et religiosis, attendendum est, ut supra notatur (cfr. pag. 11) quod curriculum studiorum « prout inseritur in tota ordinatione *vitae religiosae* non paucos induit speciales aspectus et modos, pro quibus specialis expositio utilis esse potest ».

Quidquid erit in futuro de huiusmodi studiorum Constitutione, interim praesens schema videtur retinendum, in quo *non nimia particularia* neque *ratio* studiorum habentur, sed tantum principia normaeque valde generales et fundamentales, quibus talis Constitutio niti poterit.

XI. *Observ.*: FELICI: « Tota fere materia haec vel Codici vel ordinationibus a S. Congregatione edendis melius remittetur ».

Respondetur: De materia retinenda vel remittenda iam actum in Responso ad II Observationem generalem (Liénart) (cfr. supra p. 6) et ad Observationem IX (Jullien) (p. 17).

— 19 —

XII. *Observ.*: O'CONNOR: « A) Mea humili opinione, materia quae respicit curriculum studiorum pro candidatis ad Sacerdotium, communi tractatione proponatur, ne eadem materia a pluribus Commissionibus praesentetur ».

B) Studia autem et institutio pro laicis religiosis, viris atque mulieribus de quibus in capite vigesimo quinto, amplius enucleanda ac statuenda mihi videtur, quia urgenti necessitati in tota Ecclesia respondent.

C) Quoad partem asceticam sufficient principia generaliora ».

Respondetur: Ad A) Provisum est Responso praecedenti III (Spellman) K, et XI (Bea).

Ad B) Caput XXV est brevissimum; sed implicat *multa,* quia ea quae praecedunt sunt applicanda, « congrua congruis referendo », ut dicitur, tum in praesenti articulo 92, tum in art. 44. De opportunitate autem *Constitutionis* pro istis studiis, iam provisum est in Responso praecedenti ad Obs. XI (Bea).

Ad C) Non videtur schema nostrum considerationibus *asceticis* nimis abundare; de cetero, ut supra dictum est (cfr. Resp. ad Observationem VIII: Suenens), agitur de *vita religiosa renovanda*: non tantum de apostolatu, neque de studiis tantum, quae omnia cum ipsa vita religiosa miscentur et unita remanere debent.

XIII. *Observ.*: SILVA SANTIAGO: « A) Nomen " Seminarii " reservetur unice pro Seminariis Dioecesanis ut iam statutum est in nonnullis Conciliis Provincialibus et Plenariis.

B) Plura possent Codici demandare ».

Respondetur: Ad A) Vox « Seminarii », ad domus studiorum Religiosorum designandas iam auctoritative adhibita est a Pio XI, in Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius* (d. 19 martii 1924: cfr. *A.A.S.* Vol. XVI [1924], p. 140). Deinde, orta controversia hac de re inter Sacras Congregationes de Religiosis et de Seminariis, quaestio resoluta est a *Commissione Cardinalitia Speciali* die 14 nov. 1955 modo sequenti: « Vox " Seminarii ", si quando ad designandos Religiosorum scholasticos tum maiores tum minores adhibeantur, semper adiectivo aliquo qualificativo comitari debet, quo perfecte a Seminariis dioecesanis distinguantur » (cfr. infra Observ. II ad art. 61).

Nulla est solida ratio recedendi ab ista norma quae sine dubio propter praevalentes rationes a Commissione Cardinalitia inducta fuit et a Summo Pontifice approbata.

— 20 —

Ad B) De materia retinenda et remittenda iam actum est Responso ad Obs. II (Liénart), p. 6, et ad Obs. IX (Jullien).

N. B.: Cum textus sit satis extensus, gratia claritatis, per partes exponitur cum suis responsis.

A) *Textus*: « Quandocumque quaestio est de institutione sacerdotali vel religiosa mihi videtur ponenda esse quaestio: quinam est finis huius institutionis? Responsio ad illam quaestionem directionem dabit pro tota formatione et, quod maximi momenti est, unitatem ei tribuet. Sumo exemplum formationis alicuius sacerdotis religiosi ad apostolatum activum destinati. Iuvenis ad talem vocationem praeparandus est unica, singularis et individua persona. Non debet tribus separatis formationibus subiici, nempe sacerdotali, religiosae et apostolicae; et intra formationem sacerdotalem non debet tribus separatis institutionibus subiici, philosophicae, scilicet, theologicae et pastorali. Quamvis omnia illa elementa in formatione totali religiosi inveniri debent, pro amore Dei, ne obliviscamur eum esse unam personam et unam esse vitam ducturum simul naturalem et supernaturalem, sacerdotalem, religiosam et apostolicam ».

Respondetur: Distinctio inter diversa elementa Institutionis constitutiva, non significat eorumdem ab invicem separationem: sed perspicue diversa elementa distinguere est *necessarium,* non tantum ad illa singula recte definienda, sed etiam inter se rite *coordinanda* sine periculo confusionis: hoc et nihil aliud Commissio pro sua peritia studuit facere.

Insuper, retinendum est institutionem esse *necessario progressivam*: non omnia elementa *simul eodem tempore* alumnis tradi debent, sed *successive* et proinde *separatim.* Haec necessaria progressio autem et separatio non significat adaequatam *disiunctionem* elementorum quae, e contra, semper congruenti modo connectenda sunt prout suppeditat materia. Sic dicitur in Art. 81: « Omnes praeterea, tum magistri cum discipuli, prae oculis semper habeant studia, in institutis status perfectionis, non ad intellectualem solummodo institutionem, sed ad integram et solidam sive religiosam et apostolicam sive in institutis clericalibus, etiam sacerdotalem formationem spectare... ».

Ad *finem* quoque institutionis Commissio attendit ut patet ex art. 46: « Ut *tanto fini* alumnorum status perfectionis institutio plene respondeat, omnino esse debet... etc. ».

— 21 —

Ergo, desideria Exc.mi Relatoris, iam videntur completa et praeventa.

B) *Textus*: « Tendentia in Ecclesia accepta mihi videtur nimis divisiva. In novitiatu, iuvenis consideratur tamquam vitae coenobiticae destinatus, in philosophia tamquam vitae purae rationis sese devoturus, in theologia tamquam divisionibus et definitionibus scholasticis atque ordinationibus canonicis perpetuo damnandus; postea in anno pastorali saltum facere debet ad considerationem plus minusve practicam vitae apostolicae. Tandem in secundo novitiatu ad vitam coenobiticam revertitur ».

Respondetur: Salva reverentia, haec tendentia sic dicta « divisiva » videtur nimis dramatice descripta et exaggerata, neque *intentionibus* Ecclesiae respondens et *realitatem,* saltem in maxima parte institutorum, omnino excedens. Ut supra responsum est, *progressio* in Institutione impertienda est *necessaria* sed non significat *disiunctionem* elementorum constitutivorum formationis, quae inter se rite coordinanda sunt et, pro viribus, coordinantur, ad personalitatem unam omnique sub respectu integram progressive conformandam.

C) *Textus*: « Mira illa multiplicatio et varietas quodammodo simplificari poterit secundum humilem meam opinionem si ab initio finis totius institutionis in mente retineatur et omnem formationis passum dirigit et ordinat ».

Respondetur: Multiplicatio et varietas elementorum constitutivorum institutionis nequeunt vitari; imo in dies programmata studiorum augentur! et ipsa formatio religiosa, ascetica fit semper complexior ob crescentem complexitatem animae modernae et difficultatum externarum! Tantum si aliqua *concreta simplificatio* proponeretur iudicari posset an *fini* institutioni plene respondeat!

D) *Textus*: « Si finis apostolicus institutionis sive sacerdotum saecularium sive religiosorum coram oculis tenetur, ordinatio et orientatio apostolica per totam formationem curret: philosophicam, scilicet, theologicam, pastoralem atque personalem asceticam. Postea non orietur ille dualismus inter studia academica et vitam apostolicam, inter vitam apostolicam et vitam personalem sacerdotalem vel religiosam ».

Respondetur: Iterum dicendum huiusmodi *divisionem* inter varia elementa ab Exc.mo Relatore descriptam, non inveniri in

— 22 —

schemate; elementa accurate distinguuntur, non perniciose ab invicem separantur.

Quoad sic dictam « orientationem studiorum » ad apostolatum, caute est procedendum ne talis practica sollicitudo detrimento evadat formationi scientificae. Ideoque, in art. 89, consulte scriptum est: « In sacris disciplinis tradendis, magistri ne praepropere solliciti sint de aspectu practico institutionis impertiendae, plane scientes actionem sacerdotalem, ut recte procedat uberioresque optimos afferat fructus, imprimis solido fundamento sanae profundiorisque doctrinae fulciri oportere. De cetero, omnibus compertum est veritates fidei eo facilius fidelium captui accommodari quo penitius et clarius investigatae fuerint ».

Si recta coordinatio inter studia et alia elementa servetur, nullum erit periculum alicuius « dualismi » de quo in observatione.

E) *Textus*: « Optandum esse videtur ut post Concilium specialis Commissio instituatur ad quaestionem institutionis sacerdotalis et religiosae et profunde examinandam ».

Respondetur: Pernotum est quod ipso tempore belli specialis commissio constituta est in sede Sacrae Congregationis de Religiosis quae per annos studio huius quaestionis incumbuit usque ad promulgationem Constitutionis Apostolicae *Sedes Sapientiae* quae est responsum satis adaequatum variis quaesitis Exc.mi Relatoris.

XV. *Observ.*: Sépinski (Concordat: Janssens): « Normae generales tantum trium schematum submittantur Concilio. Multae normae melius Commissioni pro novo Codice edendo concredendae sunt ».

Respondetur: De materia retinenda et remittenda iam actum est in Responso ad II Observ. (Liénart: cfr. sup. p. 6) et ad Observ. IX (Jullien: p. 17). De cetero, integrum schema non praesefert aliud quam principia et normas generales, paucis tantum particularibus exceptis. Certo, nequit haberi tamquam *ratio completa* institutionis alumnorum.

— 23 —

Observationes particulares et responsa eis data

Art. 44

I. *Observ.*: Jelmini: « Non probo. Personalitas moralis nullo modo est fundamentum in hac re (immo in ulla re morali), sed est id, quod evolvendum est iuxta fundamentum. Praeterea ipsa formula logice vitiosa est. Cum enim hic agatur de evolvenda personalitate, non potest evoluta iam personalitas pro fundamento sumi, quae contra evolvenda est. Censeo dicendum: super fundamento praeceptorum et consiliorum exstruendam, vel similia. Memento autem *I Cor.* III, 11, ubi fundamentum dicitur nemo ponere posse praeter id quod positum est, id est Iesum Christum. Subiectivismus enim adest, si dicas personalitatis efformanda legem et normam esse ipsam personalitatem, quasi autonoma sit ».

Respondetur: Constat vocem « fundamentum » in universa litteratura ecclesiastica varias accipere significationes secundum textum et contextum; ibi dicitur Christum esse unicum fundamentum, alibi idem Apostolus dicit christianos esse cives Sanctorum, domesticos Dei, superaedificatos super *fundamentum* Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christi Iesu (*Eph.* II, 19-20). Ideoque sine ratione quis videret in nostro schemate exclusionem fundamenti quod est Christus, quia hoc verbum in diverso sensu, ex contextu satis recognoscibili, adhibetur.

Difficultas autem alia: « Cum hic agatur de evolvenda personalitate, non potest evoluta iam personalitas pro fundamento sumi », non satis attendit ad verbum « convenienter » in quo indicatur status relativus evolutionis. Personalitas iuvenis potest esse evoluta convenienter ad suam aetatem, sed tendere debet ad plenam evolutionem.

Propterea, quamvis textus Commissionis in se ipso rectus aestimandus sit, ad difficultates autem vitandas posset sic mutari: « omnia complectens elementa quae illam formationem faciunt integram, praesupposita personalitate morali convenienter evoluta » (Art. 44, p. 6, lin. 2).

Art. 46

I. *Observ.*: Jelmini: « Miror perfectionem corporis adnumerari inter fines vitae religiosae, cum vel Gentiles pro comperto habuerint turpe esse studio corporis immorari (Seneca).

— 24 —

Non possunt omnes virtutes naturales exerceri in vita religiosa. Ea enim involvit renuntiationem quarundam rerum circa quas sunt virtutes naturales. Dicendum ergo videtur: omnes virtutes naturales proprio statu consentaneas excolendas ».

Respondetur: i) Non dicitur in schemate quod perfectio corporis sit *finis* vitae religiosae, ut Exc.mus Relator asserit; sed tantum quod est elementum *integrum* institutionis Alumnorum, quae respondere debet *fini* alumnorum status perfectionis. Hoc patet legenti articulum inde ab initio: « Ut tanto fini... institutio plene respondeat, omnino esse debet... vere *integra*...

Ideoque nihil prorsus neglegatur, quod ad corpus animumque perficiendum... etc. ».

Omnibus compertum est quomodo hodie specialiter attenditur etiam ad valetudinem physicam! In qua procuranda, utique, non immorandum est (ut dicit Seneca) sed convenienter attendendum.

ii) De cetero, textus hic incriminatus ad verbum desumptum est e Constitutione Apostolica *Sedes Sapientiae*.

iii) Pariter dicendum de altera parte observationis: textus Constitutionis Apostolicae est: « ... nihil prorsus neglegatur, quod ad corpus animumque perficiendum, ad omnes naturales virtutes excolendas, et ad integram humanitatem viriliter conformandam... etc. ».

ART. 47

I. *Observ.*: RUFFINI: (Concordant: Aloisi-Masella, Ferretto, Liénart, Copello, Léger, Montini, Godfrey, Di Jorio, Albareda, Chavez y Gonzales, Silva Santiago, Antezana, Perrin, Šeper, Rakotomalala): « Attingitur hic systema, quod dicitur autoeducationis et ratio efformandi in alumnis sensum responsabilitatis personalis. Quae quidem bona sunt, modo non exaggerentur; nam simul servandae sunt ab omnibus pie et diligenter constitutiones et Regulae propriae Congregationis vel Ordinis religiosi ».

Respondetur: *Placet,* ad sensum observationis, *addere* in hoc articulo (pag. 8, ad lineam 15) sequentia verba: « ... Tunc vero, caritate Dei et proximi motus supernaturalibusque auxiliis fretus, Constitutionibus ac Regulis filiali obsequio semper inhaerens, ad opera bona illo se generoso animo accingant... ».

II. *Observ.*: LÉGER (Concordant: iidem ac supra ad Observ. Generales, n. V): « In art. 47, linea 25, supprimerentur verba: " ut quidam temere contendunt ", ut inutiliter polemica ».

— 25 —

Respondetur: Non agitur hic, sicut in ceteris articulis similibus, de mera polemica sustinenda; sed de *errore* certo deprehenso et auctoritative a Concilio refellendo. Ideoque, non est inutile aperte dicere quod quidem hunc errorem temere propugnant.

Eodem modo res fertur in schemate Commissionis de *Studiis* et de *Seminariis*: cap. III: « De Disciplina in Seminariis, pag. 6, n. 4: « Alii educationis necessitatem... modum et mensuram ipsi alumno committere volunt, ita ut quisquis sui ipsius solus educator sit et disciplinae iudex atque moderator ».

ART. 49

I. *Observ.*: JELMINI: « Non placet introduci in scientiam asceticam et paedagogicam sanctitatis scientiam (si per catechesim loquamur), imo artem illam psychologicam, incertissimam ac vacellantem, quae in casu, quamvis verbo abstineas, cum arte psychanalytica absolute collimat. Ut consequamur id, quod in hoc commate intenditur, sufficiunt ordinarii medici in singulis institutis operam dantes. At cetera omnia spectant ad confessarios et ad spirituales directores, qui subsidio gratiosi luminis ac debita reverentia, alumnum respicient non tantum mechanismum psychologicum, sed tanquam organismum moralem, libere arbitrio praeditum, et Spiritu Sancto vivificatum et ductum. Unde nihil innovandum censeo.

Respondetur: De necessitate vel saltem magna utilitate habendi « sodales in scientia et arte psychologica versatos » iam actum est in Responso ad Observationem Generalem I (Micara), ad E). Cfr. supra p. 4.

Etsi in hac arte non omnia eadem gaudent certitudine et accipienda sint, non possunt hodie Instituta extranea remanere iis quae verum progressum constituunt in animis discernendis, prudenter utique sese gerendo et cum perfecto obsequio erga instructiones S. Sedis, ut speciatim factum est pro psychanalysi, cum qua psychotherapia non est ex toto adaequanda.

ART. 53

I. *Observ.*: LÉGER (concordant ii ac supra ad art. 47, n. II): « In art. 53, particulariter notetur educatio et incrementum virtutum fide, spei et caritatis. Et etiam, magis in lucem ponantur fontes primarii ex quibus hauritur institutio religiosa, nempe Sacra Scriptura et Liturgia ».

— 26 —

Respondetur: In praesenti articulo, non agitur de *perfectione christiana* elucidanda: id factum est in *Prima parte doctrinali*, et etiam in *Parte secunda*: schemate de « vita religiosa renovanda », in particulari, in art. 12 qui complementum accepit hac de re iuxta observationem factam. Sed agitur directe de *praestantia inculcanda* institutionis *religiosae*, prae aliis, scilicet, intellectuali vel apostolica, quatenus iuxta ea quae in *Prima parte* docentur, vita religiosa est elementum fundamentale et primarium *status* perfectionis. Patet non omnia dici posse in singulis locis: sed singula in propriis locis. Aliter schema evaderet longius aequo. Neque, ut saepe dictum est, agitur de aliqua integra *ratione institutionis* conficienda: quae non pertinet ad Concilium: sed tantum, de elementis exponendis quae peculiare momentum practicum habent in praesentibus adiunctis.

Propterea nihil videtur hic esse addendum.

II. *Observ.*: ALTER: « Aliquid hoc loco in Schemate diceretur oportet de ampliore conspectu Ecclesiae tamquam de Corpore Mystico, nempe de Ecclesia Universali et insuper de Ecclesia Dioecesana intra cuius limites munere pastorali saepe saepius funguntur. Alumni quidem addiscant instituti finem, indolem, spiritum, etiam erga sacerdotes muneribus addictis Ecclesiae Dioecesanae et eius interesse calleant oportet, ne conspectus Ecclesiae nimis angustiantur ».

Respondetur: i) De insertione Status religiosi seu perfectionis adquirendae in Ecclesia seu Corpore Mystico sermo est « ex professo » in schemate de « *Constitutione Ecclesiae* » Commissionis Theologicae: unde non est necessarium id repetere. De insertione religiosorum in dioecesibus ample sermo est etiam in Textu concordato cum Commissione de Episcopis: ideoque non est haec materia hic repetenda.

ii) Ut tamen hae veritates fundamentales alumnis melius inculcentur, in fine huius articuli 53 haec addi possunt:

« ... suae vocationi melius respondeant. Eodem tempore vero spiritu Ecclesiae imbuantur ut intra proprias familias religiosas sese sentiant etiam veri filii Ecclesiae quam praediligere et ad cuius aedificationem mysticam propria sanctitate, apostolica actuositate et oratione adlaborare debent.

— 27 —

ART. 54

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant ut supra ad art. 47, n. I): « De institutione religiosa pauciora dicentur quam oportet: nihil e. g. de spiritu paupertatis et oboedientiae ».

Respondetur: i) Iam dictum est quod institutio alumnorum *integra* esse debet « ... totum scilicet hominem... complectens... sub duplici respectu vocationis *religiosae* et apostolicae... etiam... vocationis clericalis » (art. 46). Cum hic, ut saepe dictum est, non agatur de aliqua *ratione* completa institutionis conficienda, sufficit adnotare ea quae peculiare momentum practicum habent.

ii) Quoad paupertatem, oboedientiam, specialiter actum est in schemate praecedenti, de vita religiosa renovanda, art. 14, 15, 17, 18, 19. Cum vero initio praesenti schematis, art. 43, explicite dicatur hanc *renovationem* maxime pendere « ab illa integra aptaque alumnorum institutione », sufficienter indicatur hanc institutionem respicere debere paupertatem et oboedientiam: ulterius procedere, esset *rationem* institutionis delineare, non tantum principia et normas generales referre, ut saepe saepius Commissio Centralis commendavit.

ART. 55

I. *Observ.*: LEFEBVRE: « Fiat mentio de scientia religionis in genere quae debet crescere in profunditate et extensione ad instar aliarum scientiarum profanarum ».

Respondetur: *Placet* addere (p. 13, ad lineam 7) sequentia verba: « ...respicere debet et *Religionem* et ipsam vitam religiosam... ».

ART. 57

I. *Observ.*: RUFFINI (Concordant ut supra ad art. 47, n. I): « Inculcantur sensus aestheticus et (in n. 58) institutio circa media technica communicationis socialis, et inepte tacetur necessitas addiscendi rationem catecheseos tradendae ».

Respondetur: Ratio catecheseos tradendae addiscenda est in *cursu pastorali*, de quo in art. 90. Licet explicite ibi non fit specialis mentio de traditione catecheseos, haec proculdubio in generali *norma* data continetur: « Cursus pastoralis complectatur omnia quae ad actionem pastoralem completam hodie requiruntur ». Ulterius progredi esset, ut iam dictum est, *rationem* institutionis pastoralis delineare, quae non pertinet ad Concilium.

— 28 —

Ea vero quae in praesenti articulo et sequenti referuntur sunt quaedam *novitates*: propterea necessarium erat de iisdem aliquid explicite innuere in textu conciliari.

II. *Observ.*: JELMINI: « Non placet. Dedecet enim in documento Conciliari fieri mentionem de excolendo sensu aesthetico, tanquam de re separata, nullo habitu respectu ad cultum divinum, et per se ipsam expetenda. Id vero eo magis dedecet cum in eodem documento ne fumus quidem habeatur de excolendo sensu liturgico aut canto sacro ».

Respondetur: Patet legenti quod in schemate non agitur de sensu aesthetico, propter se quaerendo et sine relatione ad cultum; dicitur enim: « speciatim ad artes sacras recte diiudicandas et pro opportunitate, modo singulis accommodato, etiam excolendas, iuxta criteria traditionalia in Ecclesia et normas a S. Sede datas ».

In arte *sacra* proculdubio est relatio ad cantum sacrum. Unde observatio non videtur fundata. Renovatio autem sensus liturgici specialiter commendatur in hac secunda Parte, art. II (Renovatio: quoad vitam liturgicam).

ART. 58

I. *Observ.*: LÉGER: « In art. 58 tollantur verba " sicut filii tenebrarum illis cum pernicie animarum saepe utuntur, ita ". Haec enim verba ibi sunt inutilia. Non est hic locus damnandi malos usus mediorum diffusionis. Habentur particularia schemata pro hac materia ».

Respondetur: Placet praedicta verba delere ita ut ad lin. 27 legatur: « ideoque filii lucis ipsa tamquam aptissima apostolatus instrumenta adhibere debent ».

ART. 60

I. *Observ.*: LÉGER (Concordant ut supra ad art. 47, n. II): « In art. 60, linea 18, potius dicetur " *Generali humana cultura et vita christiana* ". Etenim verba " christiana " rem melius exprimit quam " religiosa " et christianismum non est res culturalis sed vita ».

Respondetur: *Placet.*

— 29 —

ART. 61

I. *Observ.*: RUFFINI (Concordant ut supra ad art. 47, n. I et Silva Santiago ut ad observationes generales n. XIII): « Scholae Apostolicae Religiosorum ne vocentur Seminaria, vel Seminaria minora. Seminarii nomen reservetur Seminariis dioecesanis. Secus ansa facilis praeberetur perniciosae confusioni in damnum instituti maximi uniuscuiusque dioeceseos, coenaculi nempe illius in quo efformantur alumni in spem dioeceseos. Si Religiosi habere contendunt Seminaria adiungant titulum quo a Seminariis dioecesanis distinguantur, appellando ea, e. g. Seminarium Franciscanum, Dominicanum etc. Sed melius est si etiam haec vitentur. Standum est de hac re Codici I. C., can. 1354 ».

Respondetur: i) *De legitimitate* huius appellationis « Seminarii » pro domibus studiorum religiosorum iam actum est supra in Responso ad Observationem generalem XIII (cfr. supra, p. 19).

ii) Suggestio Em.mi Relatoris ut adiungant titulum quo a Seminariis dioecesanis distinguantur, plene concordat cum *decisione* Specialis Commissionis Cardinalitiae, ut supra notatur (cfr. p. 19) et cum mente Commissionis de Religiosis.

Ideoque, standum est schemati, quo habetur: Seminaria... religiosa.

II. *Observatio*: ALFRINK: « Animadvertere vellem quod existit decretum S. C. de Studiis et Seminariis in quo vetatur usus vocis Seminarii pro scholis apostolicis religiosorum ».

Respondetur: Tale decretum de facto editum est; sed *postea* abrogatum est contraria decisione specialis Commissionis Cardinalitiae diei 14 novembris 1955, quae refertur supra, p. 19.

ART. 62

I. *Observ.*: LÉGER (concordant: ut supra ad art. 47, n. II): « In art. 62, prohibeatur absolute usus habitus religiosi vel vestis talaris pro candidatis in scholis apostolicis, quia habitus religiosus sicut vestis talaris sunt signa consecrationis iam factae.

Dicatur etiam quod necessarium est pro his iuvenibus contactum regulariter habere cum familiis suis et etiam cum mundo ».

Respondetur: i) Commissio non favet ut alumni Scholarum Apostolicarum vestem talarem induant; attamen, caute et con-

— 30 —

sulte noluit in absolute prohibere, propter specialia adiuncta in certis locis de quibus ratio habenda est in lege universali. Propterea standum est schemati.

ii) De consuetudine alumnorum cum propria familia agit Constitutio Apostolica *Sedes Sapientiae,* art. 35 § 3, 1): « Alumni igitur ne omnino a saeculo segregentur neve prohibeantur a feriis partim saltem apud familiam transigendis, nisi specialia adiuncta locorum et personarum id iudicio Superiorum dissuadeant ».

Non videtur opportunum huiusmodi praeceptum *particulare* in textu Concilii inserere: est enim praescriptum particulare rationis institutionis. Praeterea hoc problema etiam agitatur cum quaestio est de veste talari in Seminariis, quoad cursum philosophicum.

ART. 63

I. *Observatio*: CÂMARA: « Sciant alumni iam ab initio, se ipsos destinari non ad sacerdotium, quia non raro, postea difficillime egrediuntur ab institutis non clericalibus. Et tamen ad sacerdotium convolare volunt ».

Respondetur: Huiusmodi error non videtur possibilis, nisi forte per exceptionem, cum candidati petant ingressum in Institutum *laicale,* ut tale recognitum; ita iam habetur in pluribus institutis Fratrum docentium. Desiderium sacerdotii potest deinde excitari; sed non procedit ex errore initiali, tempore ingressus in Institutum.

ART. 64

I. *Observ.*: LEFEBVRE: « Pag. 5, lin. 4, et 5 omittatur: " non ultra aliud semestre prorogandum ", quia hodie saepe saepius, in monialibus praesertim, opportunum videtur prorogare postulatum ».

Respondetur: Commissio consulte hanc clausulam apposuit, quia nimium est periculum abusus in candidatis differendis si ab arbitrio Superiorum et praesertim Superiorissarum hoc pendeat.

Potius prolungetur tempus *adspirantatus* si candidatus non est maturus ad postulatum canonicum instaurandum; et in casibus exceptionalibus, si fuerit necessarium postulatum potrahere, petatur Indultum. Quare, standum est schemati.

— 31 —

ART. 66

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant: ut supra ad art. 47, n. I): « A) Velim quaerere: istae normae, tam implicatae et diuturnae de cursu propaedeutico (adspirantatu et postulatu), de cursu formali (inchoativo, progressivo, perfectivo duplice) valere debent pro Institutis nunc vigentibus aut pro futuris?

B) Fortasse bonum esset — claritatis causa — dicere distincte de Institutis virorum et de Institutis mulierum; de iis quae clausuram habent et de reliquis; de Institutis in quibus habentur sacerdotes et de iis qui solum laicis constant, etc. etc. Evidenter, normae eaedem esse non possunt pro Institutis omnibus ».

Respondetur: Ad A) Non est dubium quod Instituta sese conformare debebunt hisce decretis sicut ceteris Concilii; ita factum est Codice promulgato, et iterum faciendum erit post eiusdem revisionem.

De cetero, nihil substantialiter novi hic inducitur; tantum *eadem materia systematice dividitur*: primo, divisio habetur *fundamentalis* tripartita: cursus institutionis: propaedeuticus, formalis, perfectivus. Deinde in istis singulis divisionibus, subdivisiones; quae iam de facto existunt, etsi quaedam earum proprio nomine careant.

Unde faciliter sic evanescit timenda complicatio.

Ad B) Art. 44 (Quam late patent normae de alumnorum institutione) statuitur schema de Alumnis instituendis ad *omnes* sodales statuum perfectionis spectare, in genere; sed « pro subiecta materia debitaque cum proportione applicandae sunt ».

In Concilio, hoc principium sufficiens est; pertinebit ad completam *rationem* institutionis a S. Sede pro institutis laicalibus exarandam distinctiones de quibus in observatione inducere.

Hoc est, inter alia, exemplum difficultatis practicae sententiam communem obtinendi circa limites intra quos materia Concilii contineri debeat!

ART. 67

I. *Observ.*: MONTINI: « Sembra che si debbano stabilire delle età ben determinate: per la ammissione al noviziato; per i corsi filosofici e teologici degli istituti religiosi clericali; e particolarmente che per ragioni di bene superiore, non vengano concesse dispense per la anticipazione della ordinazione sacerdotale ».

— 32 —

Respondetur: Quoad aetatem canonicam pro admissione ad novitiatum, ad Professionem et ad Ordines sacros, Commissio nihil mutare voluit de iure condito. Speciatim ad Ordines quod attinet, religiosi pendent a lege *communi*.

Concessio autem dispensationum pendet directe a *iurisprudentia* S. Sedis, neque convenit ut Concilium eas prohibeat; esset ligare manus Summi Pontificis, qui est *supra legem* a quo omnis dispensatio a lege communi procedit.

De cetero ultima praxis S. Congregationis hac in re est valde restrictiva, iuxta praescriptum Constitutionis *Sedes Sapientiae*, art. 34 § 3: « Nonnisi in singulis casibus, ob causas, proportione servata, vere graves, Superiores dispensationes petere audeant... ».

II. *Observatio*: ALTER: « Suadetur, antequam candidati et candidatae in novitiatum admittantur, ut saltem per quatuor hebdomadas licentiam obtinuerint ad domum suam propriam visitandam ne nimis abrupte a vita normali separentur et in religionem sine experientia familiari introducentur ».

Respondetur: Si praescriptum Constitutionis Apostolicae *Sedes Sapientiae*, art. 35 § 1 servetur, candidati et candidatae tunc sufficientem consuetudinem vitae familiae habebunt (cfr. supra, Responsum ad Observationes art. 62: Léger, p. 27).

ART. 68

I. *Observatio*: CÂMARA: « His temporum adiunctis necessarii sunt saltem duo anni novitiatus ».

Respondetur: Facultas relinquitur institutis sibi imponendi *duos* annos novitiatus; sed Commissio consulte noluit id lege communi imponere, propter *protractionem* institutionis formalis *omnibus* impositam, post novitiatum, ut habetur in articulo sequenti n. 71 et n. 72.

ART. 69

I. *Observ.*: LÉGER (concordant ut ad art. 47, n. II): « Articulus 69 est aridus, caret inspiratione vere spirituali et non tangit radices institutionis religiosae. Affirmentur expressius, et secundum eorum veram hierarchiam, media fundamentalia quibus alumni ad vitam religiosam instituuntur, scilicet studium et meditatio Verbi Dei in Sacra Scriptura, Vita liturgica (Missa, receptio sacramentorum). Solummodo postea poni debet studium Regulae et Constitutionum. Perfectio enim quae coli debet

— 33 —

est evangelica, non iuridica. Credo etiam quod mentio fieri debet de gratia baptismi et confirmationis quam alumni iam receperunt et quae adhuc eis permanet. Principia vitae christianae remanent enim principia et vitae perfectionis ».

Respondetur: i) Ea omnia ab Em.mo Relatore hic recensita sunt omnino vera; sed pertinent ad *rationem completam* Institutionis religiosae quae non pertinet ad Concilium, ut pluries iam dictum est; neque Patres Commissionis Centralis volunt tanta particularia in textu conciliari, ut frequenter declaratum est. Ideoque sufficiunt *principium* et *norma generalis* hic posita.

ii) Dicere quod « perfectio colenda est evangelica, non iuridica » non est novitas; sed omnes recognoscunt quod ad perfectionem evangelicam pervenitur per *media* canonice *organizata* et ab Ecclesia sancita et imposita. In hoc, sicut in ceteris rebus: lex non est finis, sed *medium*, et quidem necessarium, ad finem. Hoc vero observatur in omni gradu hierarchico Ecclesiae: sive Codice pro universa Ecclesia, sive legibus synodalibus pro dioecesibus quibus fideles ad perfectionem vitae christianae ducuntur.

ART. 75

I. *Observ.*: LEFEBVRE: « Cooptatio definitiva numquam deberet fieri ante triginta annos completos ».

Respondetur: Facultas relinquitur singulis Institutis hunc limitem sibi imponendi; sed Commissio consulte noluit hunc terminum omnibus imponere, qui communiter non est necessarius. Id quod maioris momenti est, est ipsa *institutio* solide impertienda a *vere competentibus* Magistris, sine qua, quaevis protractio terminorum inutilis erit.

ART. 76

I. *Observ.*: LÉGER (concordant ut ad art. 47, n. II): « Articuli 76 sententia secunda tollatur. Quadam enim aggressivitate laborat et idem iam positive dicitur in eodem articulo ».

Respondetur: In hac sententia (lin. 4-8) refertur ad dispositiones quae de facto satis communiter inter iuvenes inveniuntur quasque corrigere oportet. Quare, non videtur superfluum explicite ad has advertere, ne silentio videantur approbari.

— 34 —

ART. 78

I. *Observ.*: D'ALTON: « Agendo de cursu speciali, circa annum trigesimum peragendum, dicitur, par. 78 ad finem: " Ubi hic cursus institui nequeat, suppleatur qua fieri potest meliore ratione... ". Meo iudicio haec verba legem de hoc cursu quae mihi omnino placent, omnino nugatoriam facient in multis Institutis. Velim ergo ut potius dicatur: " Ubi hic cursus ad sex menses institui nequeat, suppleatur cursu ad duos saltem menses " ».

Respondetur: Haec verba sunt Constitutionis Apostolicae *Sedes Sapientiae,* art. 53 § 1. Timendum est ne remedium propositum peiorem habeat effectum attrahendi pigritantes ad duos menses tantum adhibendos! Insuper, esset quasi inducere notionem *diminutam* huius ultimae perfectionis institutionis, quae pro sua natura ad *sex menses* extendi debet; infra hoc spatium temporis, non est amplius hoc *Institutum,* sed tantum aliquod « subrogatorium ».

II. *Observ.*: LÉGER (concordant ut supra ad art. 47, n. II): « Optima est propositio articuli 78. Tamen timeo ne aetas triginta annorum sit praematura ».

Respondetur: Commissio consulte dixit: " circa trigesimum aetatis annum ". Id sinit proinde hanc ultimam institutionem aliquot annis post trigesimum differre.

Omnibus autem perpensis, Commissio censuit prudens hanc institutionem circa trigesimum annum statuere: tardiore aetate, regressus ad scholam (nam ita est) difficilior et minus fructuosus evadit.

III. *Observ.*: GRACIAS: « In art. 78 et 90 agitur de rebus diversis; sed quaeri potest utrum tam distinctae et differentes ne intra unum annum vel etiam in decem mensibus possint perfici ut nunc fit, v. g. in Societate Iesu ».

Respondetur: i) In art. 90: agitur de *curriculo pastorali*: quod nihil commune habet cum hac ultima perfectione institutionis de qua in art. 78. Curriculum pastorale, enim est *obligatorium* et pertinet ad ordinarium cursum institutionis clericalis, suam propriam habet rationem et per *annum* (academicum) absolvi debet.

ii) Haec ultima perfectio institutionis protrahi potest ad

— 35 —

annum; sed non visum est Commissioni prudens tantum tempus omnibus imponere, cum semestre adhuc sit sufficiens.

ART. 80

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant ut ad art. 47, n. I): « Optime dicitur; scholae quidem habeantur internae, modo tamen nullo careant elemento necessario ut florere possint et valeant ».

Respondetur: De Educatoribus accurate seligendis providebit art. 48; de domibus studiorum rite instruendis, art. 51. De istis omnibus, ipse art. 80, in pag. 4: « Moderatores nihil omittant... etc. ».

II. *Observ.*: LÉGER (concordant ut ad art. 47, n. II): « Ne nimis commendetur creatio scholarum propriarum pro unoquoque instituto. Plerumque enim, pro scholis superioribus, potius fovenda est unificatio scholarum diversorum institutorum. Nam perdifficile est pro unoquoque instituto habere professores qualificatos. Et hoc potest etiam de institutis in magnis civitatibus degentibus. Dici etiam potest quod fovendus est contactus inter alumnos diversorum institutorum; et est impossibile v. g. apud nos adsunt 10 institutiones, communitates quae habent scholam propriam et adsunt plus professores quam discipuli in unaquaque schola ».

Respondetur: i) De numero scholarum iuxta numerum alumnorum iam providetur in art. 51, cui adiectum est aliquod utile complementum.

ii) Si difficile esse possit ut unaquaeque provincia propriam scholam habeat, generaliter non tam difficile est ut unumquodque Institutum habeat saltem unam scholam. Id est omnino desiderabile, sive quia magni refert ut alumni in proprio instituto instituantur, sive quia sedes studiorum in Instituto ad ipsam *culturam intellectualem* in universo Instituto multum confert.

Ideoque, normae schematis videntur sufficienter rei providere, dummodo fideliter observabuntur.

ART. 82

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant ut ad art. 47, n. I): « Nominatim normae serventur a S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus praescriptae ».

— 36 —

Respondetur: Commissio consulte semper abstinuit a determinato Dicasterio nominando: quia determinatio competentiae SS. Dicasteriorum pertinet privative ad Summum Pontificem. Ideoque, quando necessarium fuit referre ad leges iam latas vel ad novas ferendas, adhibuit locutionem: « Sancta Sedes », ut hic habetur. Neque ab hac praxi videtur recedendum.

II. *Observ.*: MONTINI: « Occorrerebbe precisare che la frequenza all'Università non può essere concessa se non dopo terminata la formazione religiosa e teologica ».

Respondetur: Generatim ita fieri debet et fit. Sed in Institutis v. g. Fratrum docentium, nihil impedit quominus alumni superiores scholas frequentare, non quidem tempore novitiatus, sed protractae institutionis de qua in art. 71 et 72, dummodo, ut hic dicitur, alumni sint iam rite praeparati et in vita spirituali solide firmati... cum debitis cautelis.

Quare, non videtur opportunum omnibus imponere ut has scholas frequentent tantum *post* « la formazione religiosa e teologica ».

ART. 83

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant ut ad art. 47. n. I): « A) Non intelligo et numquam perspexi cur apud S. Sedem duo sint Dicasteria quae leges ferunt de studiis mediis classicis, de curriculo philosophico et theologico pro alumnis qui praeparentur ad sacerdotium. Nonne sacerdotium unum est, et sacra ministeria eadem? Propterea cupio ut tandem aliquando de studiis etiam religiosorum, servata eorum disciplina, agat S. C. quae studiis Ecclesiasticorum moderandis praeposita est.

B) Cursus studiorum mediorum classicorum melius et plenius describitur secundum normas in singulis nationibus vigentes de studiis conficiendis ut quis ad Universitatem accedere possit ».

Respondetur: Ad A) i) Circa hanc quaestionem de *competentia* singulorum SS. Dicasteriorum Romanorum, ut in praevio schemate de Institutis saecularibus notatum est et deinde pluries repetitum, est quaestio quaedam *praeiudicialis*: quatenus ad Concilium non pertinet *definire* competentiam SS. Dicasteriorum, quae sunt instrumenta directe posita in manu Summi Pontificis pro negotiis universae Ecclesiae expediendis. Ideoque, Concilium, non debet, neque potest *ligare* manum longam Summi Pontificis quae sunt SS. Dicasteria.

— 37 —

ii) Si autem in se quaestio consideratur, haec sunt advertenda:

a) competentia S. Congregationis de Religiosis est *personalis* (sicut illa S. Congr. Ecclesiae Orientalis): habet sub se *Religiosos* aliosque statuum perfectionis.

b) Ideoque, de se, sese extendit ad *vitam* et *operam* religiosorum, et propterea, « Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis... » (can. 251 § 3).

c) Quoad *res* autem:

1) Ea quae pertinent ad statum perfectionis ut talem, directe quoque huic Congregationi pertinent (can. 251 § 1);

2) Quoad alia: Directe ista pertinent ad proprium Dicasterium, v. g. ritus sacramentales conficere, legem ieiunii statuere, etc.; sed quoad *usum* a religiosis, pertinet ad S. Congregationem de Religiosis, v. g. dispensare a ieiunio.

d) Quoad *studia,* in particulari:

1) De se, pertinent ad S. Congregationem Studiorum, si nullam connexionem habeant cum *vita religiosa*: ita v. g. studia *universitaria;*

2) Aliter autem dicendum de *studiis* quae ad ipsam *formationem* religiosorum pertinent ordinariam, quaeque propterea in ipsa generali *institutione* inseruntur, neque independenter a formatione religiosa tractari possunt: quod consulte et explicite inculcatur in art. 81: « ... prae oculis semper habeant studia, in institutis status perfectionis, non ad intellectualem solummodo institutionem, sed ad integram et solidam sive religiosam et aposolicam, sive, in institutis clericalibus, etiam sacerdotalem formationem spectare; ideoque non ad scholarum tantummodo periculum superandum dirigenda esse, sed ad quandam alumnorum animis imprimendam, quae numquam elabatur, et ex qua, cum usus postulabit, lumen atque robur pro sui aliorumque necessitatibus semper hauriant ».

3) Inde necessitas ut haec studia sint sub auctoritate S. Dicasterii a quo formatio religiosa ipsa pendet. Quod vero minime impedit quominus in *ratione studiorum* delineanda, concorditer cum S. Congregatione de Studiis procedatur, ut de facto fit, docente ipso Codice Iuris Canonici in can. 589 § 1: « Religiosi... doctrinae S. Thomae inhaerentes ad normam can. 1366 § 2, diligenter incumbant ».

Ad B) Si plenius cursus describeretur, ut ab Em.mo Relatore petitur, tunc haberetur *ratio studiorum*: quae ad Concilium, ut

— 38 —

pluries dictum est, non pertinet. Sufficiant hic principia, quibus talis ratio niti poterit, tempore suo conficienda.

ART. 84

I. *Observ.*: LÉGER (concordant ut ad art. 47, n. II): « Sane verum est quod lingua latina valde utilis est Ecclesiae et ego humillime adhaereo Constitutioni Veterum Sapientia. Sed remanet mere instrumentum. Et periculosum mihi videtur aliquo modo insinuare quod Ecclesia Dei aliqua lingua ligatur. Non enim ullo modo ligatur sed quacumque lingua uti et exprimi potest. Etsi, de facto, per multum tempus, lingua latina cum parte occidentali Ecclesiae cohaesit, non est affirmandum cum tanto vigore quod est « bonum universale », quasi esset de iure divino. Bene enim scimus quod, a pluribus saeculis, non est verum linguam latinam fecisse unitatem Ecclesiae (etenim Ecclesiae orientales considerari debent); et dubitare possumus utrum in futuro possibile erit linguae latinae, etiam in regionibus non-orientalibus, unitatem Ecclesiae facere ».

Respondetur: i) Schema nostrum hac de re, iam exaratum erat, ut nunc iacet, quando Constitutio Apostolica *Veterum Sapientia* promulgata est, a qua plenam, ut patet, accepit confirmationem: de qua multum gaudemus. Ideoque, censemus standum esse schemati.

ii) Discussio autem circa Constitutionem Apostolicam eaque in eadem praescripta, non pertinet ad nos. Ideoque ab ea abstinemus, considerata perspicua et decisa voluntate Summi Pontificis hac in re, nuperrime adhuc confirmata, « Ordinationibus S. Congregationis de Studiis: *Sacrum latinae linguae depositum,* a Summo Pontifice die 22 aprilis 1962 approbatis » (cfr. *A.A.S.,* 1962: pp. 339-368).

ART. 86

I. *Observ.*: LÉGER (concordant ut ad art. 47, n. II):

A) *Textus*: « Quoad paragraphum tertiam huius articuli, oblivisci non debemus factum illud quod, si ipsa manualia non considerantur, quasi omnia subsidia scientifica docendi et discendi materias theologicas (libri, periodica...) linguis modernis redacta sunt. Et si volumus privare alumnos, et consequenter Ecclesiam, ab illis pretiosis subsidiis, alumnis commendare etiam debemus commercium cum illis libris et periodicis. Timeo enim ne, ob illam solam obligationem tam firmiter expositam de usu linguae latinae, tentatio habeatur aliquibus in locis vetare usum subsidiorum in linguis modernis conscriptorum. Quae linguae adeo tamen aptae sunt ad cogitationem viventem et vivam exprimendam, ad expressionem alumnorum fovendam, ad profundiorem assimilationem adiuvandam in alumnis qui postea, in ministerio pastorali, sese exprimere debeant in lingua moderna, ut imprudens esset alumnos privare illis adiumentis ».

— 39 —

Respondetur: Quando dicitur in textu: « in potioribus disciplinis tum docendis tum discendis, a magistris discipulisque usus fiat linguae latinae », minime excluditur usus linguae modernae in ceteris: sed *commendatur* latinum quod nimis *neglectum fuit,* ut in suum honorem *restauretur,* non impellitur ad linguas modernas excludendas. Erit opus *sapientis rationis studii linguae latinae* omnia componere et coordinare, ut talis effectus obtineatur, sine detrimento aliorum quae servanda sunt et promovenda. Ideo, non videtur necessarium hic aliquid addere ad praeservandum id quod non excluditur, immo implicite supponitur: dicendo enim « in potioribus disciplinis », implicite supponitur alius usus in ceteris.

Periculum hodiernum non est quod professores et alumni relinquant moderna subsidia, ut ad opera latina accurrant, sed quod latinum negligant. Insuper in linguis modernis conscripta sunt « subsidia »; sed « fontes », Documenta Ecclesiae et fere omnes maximi Auctores (in primis S. Thomas) latine scripta inveniuntur.

Ex his Auctoribus alumni discent non solum sanam doctrinam, sed etiam illam accuratam rationem cogitandi et loquendi in rebus theologicis, quae saepe deest in scriptis recentioribus.

Propterea insistendum fuit in usu linguae latinae, non ut aliae excluderentur, sed attento periculo gravi, ne ea quae latine scripta sunt negligantur.

B) *Textus*: « In quarta paragrapho addatur quod magistri pro suis disciplinis bene distinguere debent inter quod est de fide et quod non, inter quod est opinio personalis et quod est sententia communis. Item monendi sunt magistri de reverentia quam habere debent pro omnibus opinionibus quae non sint contra fidem catholicam ».

Respondetur: *Placet,* iuxta observationem in fine articuli 86 addere sequentia: « Pariter Magistri attente distinguant inter ea quae de fide sunt credenda et alia, inter sententias quae sunt

— 40 —

vere communes, et alias mere personales; atque omnes opiniones quae non sunt contra fidem sed tamen seriis argumentis fundantur cum debita reverentia tractent etsi illas impugnare censeant ».

ART. 87

I. *Observ.*: LÉGER (concordant ut ad art. 47, n. II): « In art. 87 non tantum prudentia sed etiam pertinax investigatio et laboriosa studia commendentur relate ad novas quaestiones. Tanti enim sunt sacerdotes qui ob falsam prudentiam vel ob pigritiam, nullam habent praeoccupationem de illis quaestionibus nostris aetatis. Tollatur verbum " cautela " linea 14: sufficit enim prudentia quae est virtus cardinalis ».

Respondetur: *Placet* supprimere verbum « cautela ».

ART. 88

I. *Observ.*: BROWNE (concordant: Aloisi-Masella, Ferretto, Liénart, Copello, Léger, Montini, Godfrey, Richaud, Döpfner, Rugambwa, Albareda, Chavez y Gonzales, Silva Santiago, Antezana, McKeefry, Perrin, Bernard): « Si fieri posset, opportunum esset ut curriculum philosophicum duraret per triennium. In eo convenienter (praeter disciplinas philosophicas quae alumnos praeparant ad studium sacrae Theologiae in suis elementis abstractis seu pure speculationis uti dicunt) traderentur elementa disciplinarum quae praeparant alumnos ad partes biblicas et patristicas sacrae Theologiae, v. g. lingua hebraica et graeco-biblica, elementa historiae biblicae, introductio ad singulos libros sacros, elementa historiae para-biblicae, historia canonis utriusque testamenti, historia maiorum ex Sanctis Ecclesiae Patribus et his similia. Ita faciendo haberetur variatio quaedam materiarum triennii, quae paedagogice utilis esset pro pluribus alumnis, daretur nota quaedam sacralis eorum studiis, compleretur eorum cultura generalis, et magis maturi essent pro studiis theologicis ».

Respondetur: Commissio attente consideravit hanc quaestionem de tertio anno philosophico, qui de facto in non paucis institutis est in actu. Noluit tamen illum lege universali imponere, propter nimiam diversitatem ordinationis ipsius curriculi medii in diversis regionibus; in certis locis enim, in hoc curriculo, philosophia scholastica per biennium traditur. In concreto ad competentes auctoritates pertinebit iudicare an *ratio* curriculi philosophici sit sufficiens.

— 41 —

De tertii anni philosophici utilitate non est ambigendum; sed si omnia quae ab Em.mo Relatore recensentur in hoc anno congeruntur, vix locus erit ipsi philosophiae!

ART. 89

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant ut ad art. 47, n. I): « Etiam theologica disciplinarum institutio facienda est, sicut philosophica, ad " Angelici doctoris rationem, doctrinam et principia, quae sancte teneantur oportet ". Cfr. can. 1366, § 2 *C.I.C.* et Const. Apost. *Deus scientiarum Dominus*.

S. Thomas est dux scholarum catholicarum cuiusvis gradus, et facile princeps omnium doctorum Ecclesiae, quem 80 fere Summi Pontifices summis laudibus extulerunt. Quod quidem non significat ceteros magistros, ab Ecclesia probatos, esse neglegendos ».

Respondetur: *Placet* omnino ea quae hic dicta sunt. Quare in initio articuli 89, consulte, iuxta hanc observationem, habetur: « Supra dicta de curriculo philosophico, congrua congruis referendo, curriculo quoque tehologico applicanda sunt... etc. ». Non visum est necessarium expressis verbis easdem normas repetere, quae integre in hac clausula continentur.

II. *Observ.*: BROWNE: « Noto nil dici de S. Thoma. Nihil etiam dicitur de modo seu methodo docendi S. Theologiam. Consuli potest quoad hoc Const. *Deus scientiarum Dominus* cum directionibus ipsi a S. C. Studiorum adnexis ».

Respondetur: i) Nihil de S. Thoma dicitur expressis verbis; sed omnia necessaria implicite et realiter dicuntur ut in responso praecedenti ostenditur.

ii) Quoad methodum docendi Theologiam, de hac agitur in Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* et pertinet potius ad *rationem studiorum* illam exponere, non ad Concilium.

ART. 91

I. *Observ.*: BROWNE (concordant ut ad art. 88, n. I): « Ubi agitur de specializatione studiorum nihil dicitur de maxima illa specializatione quae est formatio completa theologi communis. Hoc summopere curandum est pro bono Ecclesiae et singularum eius partium ».

— 42 —

Respondetur: Non clare perspicitur quid significat « illa specializatio quae est formatio theologi communis »?

De formatione theologi communis expresse loquitur praesens articulus 89 inde a linea 12, ubi magistris commendatur « ne praepropere solliciti sint de aspectu practico institutionis impertiendae, plane scientes actionem sacerdotalem, ut recte procedat uberioresque optimos afferat fructus, *imprimis solido fundamento sanae profundiorisque doctrinae fulciri oportere* ».

Haec videntur sufficienter commendare seriam formationem « theologi communis »!

ART. 92

I. *Observ.*: MONTINI: « Sembra opportuno che vengano indicate delle idee direttive per lo studio e la cultura religiosa dei religiosi laici e delle religiose ».

Respondetur: i) In schemate huiusmodi directivae iam habentur, quatenus normae pro studiis clericorum, extendendae sunt, congrua congruis referendo, ad religiosos laicales, viros et mulieres (cfr. art. 44 et art. 92).

ii) Normae vero particulares pro religiosis laicalibus expectantur ad instar Const. Apost. *Sedes Sapientiae* dandae: sed tunc habebitur vera *ratio studiorum,* quae non pertinet ad Concilium. Sufficiebat ut Concilium fundamentum praeberet ad has normas conficiendas.

N. B.: Duae sequentes observationes huius fasciculi, nn. 93 et 94, pertinent ad fasciculum sequentem seu Schema IV (Capita: XXVI, XXVII, XXVIII). Quare, ad sequentem fasciculum remittuntur cum aliis observationibus sub iisdem numeris 93 et 94 positis.

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, significare an textus huius partis schematis sit sufficienter emendatus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI

DE RELIGIOSIS

PARS IV

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

— 3 —

DE EMENDATIONE SCHEMATIS

DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE SEU DE RELIGIOSIS

(Capp. XXVI-XXXI)

Capita XXVI, XXVII, XXVIII Schematis inscribuntur *de vocationibus religiosis promovendis et de alumnorum admissione ad professionem et ad ordines;* capita vero XXIX, XXX, XXXI *de quibusdam quaestionibus particularibus status perfectionis*: omnia examini Pont. Comm. Centralis fuerunt subiecta die 10 maii 1962.

Nunc sunt emendanda a nostra Subcommissione, bene prius perspectis observationibus Patrum Pont. Commissionis Centralis et responsis eis datis a Pont. Commissione de Religiosis.

OBSERVATIONES GENERALES ET RESPONSA EIS DATA

I. *Observ.*: CENTO: « Quoad moniales, etiam quando sunt sub iurisdictione Ordinariorum Dioecesanorum, mihi opportunum videtur ut illi libenter sinant ut probati religiosi eiusdem familiae aliquando eis sermonem dirigant, ut rite in spiritu proprii Ordinis excolantur ».

Respondetur: *Placet* animadversio quoad *rem*. Si aliquid hac de re in Concilio dicendum sit, in *fine* art. 22/B (De assistentia spirituali in Institutis), in Schemate de *Vita religiosa renovanda,* sequentia verba addi possent:

« Quoad moniales, etiam Ordinariis dioecesanis subiectas, valde opportunum erit ut probati religiosi sacerdotes eiusdem Ordinis sermones aliasve instructiones ad eas quandoque habeant ut ipsae spiritu proprio Ordinis cui pertinent sedule excolantur ».

II. *Observ.*: COUSSA: « Disciplina de religiosis recenter a Pio XII promulgata pro Ecclesiis Orientalibus vigorem servat, nisi expresse cuidam praescripto derogetur vel aliquod praescriptum mutetur, quod ex praesentibus schematibus non constat ».

— 4 —

Respondetur: De relatione schematis Commissionis nostrae cum religiosis Ecclesiae Orientalis, iam actum est in Fasciculo praecedenti, Responsum ad Observationem Generalem VII (Coussa).

Qua ratione nostrum schema a religiosis orientalibus acceptari possit ad ipsos pertinet dicere et ad Subcommissionem Coordinativam (materiae mixtae) rem componere.

III. *Observ.*: JULLIEN (concordant: Liénart, Rugambwa, Suenens, Larraona, Bea, Browne, Antezana, Cooray, Perrin, Bazin, Bernard): « Materia ista quatenus peculiaris non spectat ad Concilium Oecumenicum, sed in casu proponatur:

a) spectat ad Concilium quaestio generalis de vocatione religiosa, quae tamen includi deberet in uno eodemque schemate de vocatione ecclesiastica et religiosa, uti nunc saepe laudabiliter fit in congressibus de vocationibus promovendis, in quibus disserunt et sacerdotes saeculares et religiosi, in unitate fidei et charitatis;

b) transmittantur bona illa schemata cum sapientibus animadversionibus Commissionis Centralis ad Commissiones competentes sive de aptando codice et regulis Statutorum Generalium, sive de instructionibus peculiaribus a Sancta Sede conficiendis de religiosis ».

Respondetur: De materia retinenda vel remittenda iam ex professo actum in Responso ad Observationem Generalem II (Liénart), in fasciculo praecedenti, pag. 5, et ad Observationem IX (Jullien) ibidem, pp. 16-17.

Ea quae in praesentibus schematibus continentur sunt vel *principia fundamentalia,* vel *normae generales* vel quaedam *particularia* quae speciale momentum *practicum* habent in temporibus nostris: propterea generatim non sunt superflua et utiliter retineri possunt in textu Conciliari, si Concilium aliquid dicere debeat etiam de Religiosis. Refert enim ut in Concilio sermo sit de *Religiosis* non tantum veluti per transennam et obiter sed omnino « ex professo », secundum aliquod schema satis completum et organice constructum quod vere respondet parti quam in Ecclesia detinent. Si tam ample de clericis et etiam de laicis Concilium intendat loqui, cur non et etiam de religiosis?

Ad *a*) Agendo de *vocatione religiosa,* notare oportet quod in Priore Parte Schematis actum est de vocatione religiosa sub aspectu *doctrinali*: hic, agitur de aspectu *disciplinari.*

Sub aspectu doctrinali, non est magna difficultas ut in *una*

— 5 —

eademque Constitutione tractetur vocatio religiosa cum vocatione sacerdotali dummodo ea quae sunt eidem propria distincte proponantur. Sub aspectu disciplinari autem, hoc difficilius erit facere.

Practice, melius videtur schema praesens integre servare nunc; ad Subcommissionem Centralem *coordinativam* pertinebit videre quomodo varia schemata diversarum Commissionum componi possunt.

N. B.: Quod dicitur ab Em.mo Relatore: « uti nunc saepe laudabiliter fit in congressibus de vocationibus promovendis », non fuit observatum, Romae, in duobus congressibus de vocationibus religiosis et sacerdotalibus, distincte diversisque temporibus celebratis.

Ad *b*) Iam provisum est in prima parte praesentis responsionis: « De materia retinenda vel remittenda... ».

IV. *Observ.*: BEA, BROWNE, FELICI (concordant: Cooray, McKeefry, Perrin, Bazin, Bernier, Yago, Bengsch, Suhr, Gut, Sépinski, Janssens): « Ad Commissionem de codice reformando res deferatur ».

Respondetur: De materia retinenda vel remittenda iam actum est supra in responso immediate praecedenti III (Jullien) (cfr. pag. 4), et in fasciculo praecedenti, ad Observ. II (Liénart) p. 6 et ad Observ. IX (Jullien) p. 19.

V. *Observ.*: O' CONNOR: « A) De vocationibus tractetur una cum Commissione de Studiis et de Seminariis.

B) Cetera argumenta in his schematibus tractata reduci possunt ».

Respondetur: Ad A) Iam actum est de hac re in responso praecedenti III (Jullien) ad *a*) (cfr. pag. 4).

Ad B) De materia retinenda et remittenda, iam actum in eodem responso III (Jullien) (cfr. pag. 4) et in fasciculo praecedenti: pag. 6, 19.

VI. *Observ.*: SILVA SANTIAGO: « A) Optarem ut in schematibus loquatur semper de " clero dioecesano " loco " cleri saecularis " ut iam fit in pluribus dioecesibus.

B) Etiam optarem ut omnia quae referuntur de sacerdotibus lapsis tantummodo per transennam in Concilio tractentur, et melius et efficius unice S. Sedi reserventur ».

— 6 —

Respondetur: Ad A) Est haec generalis quaestio quae ad Commissionem de *disciplina Cleri* directe spectat; libenter obtemperabimus decisioni Commissionis Centralis.

Liceat tamen hic modeste notare:

1) Vox « saecularis » nullam imperfectionem vel minorem aestimationem connotat. Ideo adhibetur a Iure Canonico, et in Prima Romana Synodo, atque aptissime, ut videtur, conservari potest generalis distinctio inter Clerum Saecularem et Regularem.

2) Imo, inter Status perfectionis ab Ecclesia recenter agnitos habentur « *Instituta Saecularia* », quae notam quamdam distintivam habent praecise quod saecularia sunt, sicut Tertii Ordines Saeculares prae aliis regularibus.

3) Etiam sacerdotes religiosi pertinere possunt ad clerum dioecesanum, non ratione incardinationis sed quia operibus dioecesanis vel in bonum dioecesis incumbunt. Ita aiebat SS.mus D. N. Ioannes Pp. XXIII in solemni allocutione habita in Patriarchali Archibasilica Lateranensi die 24 ianuarii 1960, ante Primam Romanam Synodum: « Dioecesana Synodus, cuius celebratio iam instat, coetus est ecclesiasticorum virorum, *qui ad dioecesanum clerum saecularem et regularem pertinent* ». Et: « Sed valde optandum est, ut universus sacerdotum ordo amanti obsequatur invitationi Episcopi, qui numerum quam maximum sodalium *utriusque cleri* e dioecesi se circum gaudet congregari ».

4) Imo, cum peculiaria Statuta praeparentur, ut intimior fiat collaboratio inter utrumque clerum ad ministeria exercenda in dioecesi sub ductu Episcopi, oportet ut nomen « dioecesanus » non restringatur ad unam partem cleri; siquidem Religiosi, qui exoptant, ad normam Legum Ecclesiasticorum, in dioecesi sub Episcopo incumbere ministerio apostolico, revera pars sunt Cleri dioecesani, sicut Summus Pontifex f. r. nuper dicebat.

Ad B) Quae sub titulo Capitis XXXI: « De Sacerdotibus aliisque religiosis qui defecerunt » breviter dicuntur, valde utilia sunt. Attamen si specialem titulum hac de re habere offendat, forte quod hi articuli possent *uniri* aliis articulis cum quibus relationem habent, v. g.:

aa. 123 et 124, poni possent in Schemate de « ipsa vita religiosa renovanda », post ultimum articulum n. 23 (Adhortatio ad vitam religiosam renovandam) (esset 23/B-C).

aa. 125 et 126 poni possent in eodem Schemate, post art. 16 (Renovatio: quoad castitatem religiosam) (esset 16/C).

— 7 —

a. 127 poni posset in Schemate de Constitutionibus aptandis, post art. 26 (Quaedam capita vitae religiosae aptanda) (esset 26/B).

VII. *Observ.*: HURLEY: « Placet iis retentis quae iam dicta sunt de ordinatione considerationis variarum vocationum sub una constitutione generali de vocatione christiana ».

Respondetur: De hoc argumento iam actum est in observatione praecedenti III (Jullien) (cfr. pag. 4 ad *a*).

VIII. *Observ.*: ŠEPER: « Ad Concilium deferantur eae tantum partes, quae innovationem iuris vel res magni momenti continent ».

Respondetur: De materia retinenda et remittenda, iam actum est in responso ad Observ. III (Jullien) p. 4 et in fasciculo praecedenti, pag. 6, 19.

In particulari notandum est munus Concilii non esse tantum *nova* inducere; sed etiam *vetera,* pro necessitate et opportunitate melius *enucleare,* vel *inculcare,* vel contra errantes et impugnantes *defendere.*

IX. *Observ.*: DELL'ACQUA.

N. B.: Cum haec observatio longior sit, per *partes cum suis responsis* exponitur.

A) *Textus*: « 1) Agitur in praesenti de quibusdam quaestionibus particularibus status perfectionis, sectione quarta contentis partis secundae, in qua disciplina expenditur de renovatione vitae et operae in Institutis status perfectionis adquirendae.

2) Nonnullae tamen animadversionibus ad eiusmodi quaestiones praemittuntur, quae ad institutum *Cardinalis protectoris* proprie attinent. Instaurandae siquidem disciplinae, ad quam Oecumenicae Synodi sollicitudines et studia convertentur, conducere videtur huius quoque instituti consideratio.

3) Uti neminem fugit, ipsum iam a saeculo XIII in Ecclesia viget; multumque obtinuit prioribus temporibus. At post Const. Apost. *Christifidelium* Innocentii XII, diei 16 februarii 1694, Cardinalis Protectoris potestas plurimum imminuta est atque honoris privilegiis paene constitit (T. SCHAEFER, *De Religiosis ad normam C.I.C.,* Romae 1940, p. 190 s., n. 95). Hodie vero Cardinalis Protectoris « est tantummodo bonum religionis consilio et patrocinio promovere » (can. 499 § 2 *C.I.C.*).

— 8 —

4) Inde facile colligitur superius memoratum institutum pristinam suam amisisse vim postquam Congregatio super consultationibus Regularium per Sixtum V (a. 1585-1590) condita est, atque per Clementem VIII (ann. 1592-1605) cum Congregatione Episcoporum unita.

5) Haec cum ita se habeant cumque hodierna Congregatio religiosis sodalibus praeposita, horum tractandis negotiis cumulate prospicere valeat ac reapse prospiciat, *quaeritur* utrumne, ad religionum disciplinam efficacius promovendam, *expediat institutum de quo sermo est potius supprimi* ».

Respondetur: Commissio nostra, etsi de Cardinali Protectore cogitaverit, non putabit ad se pertinere de Cardinalibus Protectoribus quidquam dicere.

B) *Textus*: « 6) Quod autem ad praesentium praescriptionum schema pertinet, edicitur cum primis: " In omnibus clericalibus Religionibus et Societatibus vitae communis iuris pontificii, Superiores, iuxta Constitutiones, iurisdictionem habent ad confessiones recipiendas suorum subditorum aliorumve in instituti domibus diu noctuque causa famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis degentium " (p. 3, n. 114).

7) Claritatis causa, opportunum esset expresse significari eiusmodi iurisdictionem esse ordinariam ».

Respondetur: Commissio *consulte* omisit dicere hanc iurisdictionem esse ordinariam, ne quaestioni de *exemptione* praeiudicaret. Etenim, in institutis *exemptis*, cum Superiores sint *Praelati* in ordine iurisdictionis, hanc quoque iurisdictionem habent suo officio adnexam et proinde *ordinariam* (cfr. can. 197 § 1 *C.I.C.*). Non ita in institutis non exemptis, ubi Superiores non sunt veri praelati: ideoque, hanc iurisdictionem a Sancta Sede titulo *Delegationis* obtinent et pro ipsis non est iurisdictio ordinaria. Propterea, in textu praescinditur a tali determinatione inter iurisdictionem ordinariam et delegatam, et schemati standum est.

C) *Textus*: « 8) Sub numero sequenti (n. 115) vero praestituitur: " Omnibus supradictis Superioribus facultas est, ad normam Constitutionum, iurisdictionem ad confessiones sacramentales qua pollent, concedere sacerdotibus proprii aliusve instituti necnon e clero saeculari.

Illam autem ne conferant, nisi iis quorum idoneitas, si de sodalibus proprii instituti agatur ad normam Constitutionum recognita fuerit; si vero de saecularibus vel alius instituti sacerdotibus, nonnisi iis qui ab aliquo Ordinario vel Superiore approbati sunt " (p. 3 s.).

— 9 —

9) Ut ex ipso eiusdem numeri titulo liquet, peragitur heic de iurisdictione delegata. Quapropter loco verborum " concedere " et " conferant ", ad falsas opiniones vel ambiguitates praecavendas, adhiberi oporteret verbum " delegare " ».

Respondetur: « Commissio iterum *consulte* verba « concedere » et « conferre » adhibuit loco « delegare », praecise ad ambiguitates timendas vitandas! Etenim: ut supra diximus, in institutis *exemptis*, cum Superiores Praelati habeant iurisdictionem *ordinariam*, eiusdem participatio facta aliis est vera *delegatio*: et tunc pro ipsis proprium verbum esset « delegare » ut sustinet Exc.mus relator. Sed in aliis institutis non exemptis, cum Superiorum iurisdictio sit et ipsa *delegata* a Sancta Sede, eiusdem aliis participatio facta non est simplex delegatio sed, proprio verbo, « subdelegatio ». Cum vero propter structuram grammaticalem articuli tales distinctiones inter iurisdictionem « delegatam » et « subdelegatam » induci convenienter nequirent, adhibitum fuit verbum *neutrum* « concedere », « conferre », quod, ut videtur est etiam in textu retinendum.

D) *Textus*: « 10) Denique recta disciplinae ecclesiasticae ordinatio postulat, ut extranei sacerdotis idoneitas ad sacramentales excipiendas confessiones non " ab aliquo Ordinario vel Superiore " probetur, verum a proprio Ordinario, cuius profecto est de sacerdotis sibi obnoxii doctrina ac virtutibus iudicium ferre ».

Respondetur: *Placet*, iuxta observationem, dicere in hoc articulo 115 p. 4, linea 3: « ... qui a *proprio* (loco: aliquo) Ordinario... etc. ». Quia hic non agitur de confessario occasionali, ut in sequenti numero 116, sed de confessario *habituali*. Ideoque propositio libenter accipitur, sine tamen praeiudicio articuli 116.

Observationes particulares et responsa eis data

Art. 93

I. *Observ.*: Câmara (in Fasciculo praecedenti: p. 22): « Clare indicentur quaenam instituta ad sacerdotium, quae non ».

Respondetur: Humiliter fatemur sensum huius observationis non perspicere.

II. *Observ.*: Spellman: « Caput 26 in schemate de Statibus Perfectionis Adquirendae proposito a Commissione de Religiosis

— 10 —

agit de vocationibus religiosis promovendis. Sed iam propositum est a Commissione de Studiis et Seminariis schema de vocationibus ecclesiasticis promovendis. In fine huius schematis, Commissio de Studiis et Seminariis proposuit hanc declarationem: " Sancta Synodus ardenter exoptat ut haec actuosa in fovendis vocationibus omnium membrorum conspiratio, propriae dioecesis, patriae, communitatis religiosae fines dilatato corde transgrediens, ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat... ".

Idem Deus vocat alios ad Eum sequendum in vita sacerdotali, alios in vita religiosa. Sed, opus pro vocationibus requirit conspirationem omnium membrorum Mystici Corporis Christi. Media, tum naturalia tum supernaturalia, ad utramque vocationem promovendam non multo inter se differunt. Ergo, quaestiones de vocationibus ad sacerdotium et de vocationibus ad vitam religiosam fovendis melius et convenientius simul tractandae sunt.

Pontificiae Commissionis Centralis munus est, secundum Litteras Apost. *Super Dei Nutu* motu proprio a Ioanne Pp. XXIII datas, " sequi ac, si necesse sit, in ordinem disponere singularum Commissionum labores ". Ergo videtur esse munus huius Commisisonis Centralis illa duo schemata de Vocationibus fovendis in unum colligere ».

Respondetur: De una Constitutione pro utraque vocatione sacerdotali et religiosa tractanda iam actum est in Responso ad Observ. III (Jullien) p. 4, attenta distinctione inter aspectum *doctrinalem* et *disciplinarem* quaestionis et etiam inter vocationem religiosam *cum sacerdotio* coniunctam et *sine sacerdotio,* in *viris* et *mulieribus.*

III. *Observ.*: Ruffini (concordant: Liénart, Spellman, Léger, Montini, Godfrey, Meyer, Di Jorio, Heard, Bea, Albareda, Cooray, McKeefry, Yago, Rakotomalala, Jelmini): « Pag. 5, Titulus accuratior posset esse: " Officium Sacerdotum et laicorum religiosas vocationes oratione et actione fovendi " ».

Respondetur: *Placet.*

Art. 94

I. *Observ.*: Montini (ex fasciculo praecedenti: pag. 22): « Sembra opportuno suggerire che la cura di favorire il sorgere delle vocazioni religiose deve avvenire presentando esattamente la dottrina rivelata relativa alla perfezione cristiana e alle sue condizioni, evitando di presentare la vita religiosa come l'unica via capace di condurre alla perfezione cristiana ».

— 11 —

Respondetur: *Placent* ea quae hic suggerentur et convenienter, de facto, in *prima parte doctrinali* schematis, Capite IX, articulo 17 praemissus fuit novus articulus: *De perfectione christiana in genere;* qui praesenti suggestioni respondere videtur. (Cfr. Respons. in Schem. 3).

II. *Observ.*: Godfrey (concordant: Liénart, Spellman, Léger, Richaud, Meyer, Di Jorio, Bea, Albareda, Cooray, McKeefry, Bazin, Rakotomalala): « Patres et fratres religiosi saepe petunt ut Episcopus permittat ingressum in scholis ut quaerant vocationes. Conceditur: sed si nimis fiat et constans successio quaerentium certe periculum est habendi aspirantes gregatim acceptos qui post experimentum cito relinquunt collegium, domum religiosam vel seminarium ».

Respondetur: Ordinatio practica concessionis huiusmodi, ex parte Ordinariorum et usus eiusdem ex parte religiosorum, est quaestio de *prudentia* et *discretione.* Quare, initio praesentis articuli dicitur: « *Prudens* ac *sapiens* ad perfectionis statuum candidatorum inquisitio et vocationum suscitatio... »: quod observandum est tum ab Ordinariis, tum ab ipsis Religiosis, qui ad iustam mensuram servandam, si opus fuerit, revocari poterunt, attento *monito* de quo in numero sequenti 95: « ... sedule cavendo etiam ne immoderatus conatus augendi sodalium numerum eorumdem qualitati detrimento evadat... etc. ».

Haec principia normativa videntur sufficere in Concilio; in ordine executivo, forte quod normae magis particulares dari poterunt.

Art. 95

I. *Observ.*: Montini (concordant: Léger, Godfrey, Di Jorio, Bea, Albareda, Antezana, Bernier, Yago, Rakotomalala, Jelmini): « A) Liceat mihi hoc notare punctum pag. 6: " de mediis etc. "; opportune norma statuenda est severior ac magis statui religioso consentanea; saepius, enim apud nos, pueri, qui ne conceptum quidem habent vitae religiosae ac perfectionis evangelicae adquirendae, a paroeciis, inconsulto parocho, arripiuntur, favente quandoque familia ab onere filiorum sustentandorum liberari cupiente, et artificiosae educationi, eorum aetati et indoli oppugnanti, subiiciuntur. Plurimi ex huiusmodi alumnis postea dimittuntur, et gravi et saepe insanabili spirituali crisi

— 12 —

perculsi ad ipsorum familias et paroecias redeunt, confusione et amaritudine pleni ac taedio religioso referti.

Quodsi usque ad istorum professionem in religione huiusmodi alumni perveniunt et ad sacerdotalem ordinationem, non raro miserrime a sanctis obligationibus decidunt et ordinariis locorum non paucas inferunt molestias.

B) Materia autem non videtur Concilio praesentanda, sed potius ad Commissionem de reformando Codice vel ad Sacram Congregationem de Religiosis ».

Respondetur: Ad A) Nonnulla sunt distincte consideranda in hac observatione:

1) In adulescentulis ad vitam religiosam amplectendam invitandis non requiritur perfecta conscientia vocationis religiosae; sed sufficiunt genuina *germina* vocationis caute excolenda quae valent in veram vocationem authenticam efflorescere, gratia Dei operante. Etenim, *finis* vitae religiosae idem est ac vitae christianae: *perfectio dilectionis Dei et proximi*: « estote perfecti sicut Pater vester coelestis perfectus est ». *Media* autem, consilia evangelica, sunt specialia. Unde requiritur et sufficit in adulescenti, quaedam *inclinatio* ad perfectionem assequendam: non necessario explicita, sed saltem ex quadam proclivitate ad bonum assequendum et pietatem exercendam; et praeterea, radicales *aptitudines* ad consilia amplectenda et ad vitam in Instituto degendam eiusque opera exercenda, praesupposita convenienti institutione. Ubi haec inveniuntur, dicere licet invenire etiam genuina *germina* vocationis.

Ideoque in *Prima parte* schematis, art. 21, de Vocatione haec habentur: « In adulescentulis autem, qui primae Divini Magistri secretae invitationi annuunt, haec (vocatio) nondum solent esse perfecte evoluta nec de futuro omnem excludere incertitudinem. Attamen haud desint oportet quaedam saltem *genuina indicia* quae spem afferant eos vitam professione consiliorum evangelicorum Deo consecratam digne et fideliter ducere posse.

2) Consequenter ad haec principia de *germinibus* vocationis, dicitur in art. 22 sequenti (De universali vocatione divina ad perfectionem): « Cum benignissimus Dominus, absque personarum acceptione fideles ad perfectionem sequendam et exercendam invitaverit, in religionem aliudve institutum status perfectionis, clericale sive laicale, admitti potest *quilibet* catholicus qui signa certa et sufficientia vocationis praesefert, nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad onera vitae amplectendae ferenda sit idoneus ».

— 13 —

Haec omnia perfecte *consonant* iis quae de vocatione sacerdotali habentur, in can. 1353 et 1363 § 1 *C.I.C.*, necnon de admissione in Religionem (can. 538).

3) *Abusus* in vocationibus colligendis, speciatim illi in observatione recensiti, omnino vitandi sunt, iuxta principium statutum: « Prudens ac sapiens... candidatorum inquisitio et vocationum suscitatio... », ad hoc specialibus normis particularibus datis, si opus fuerit.

Sed hic prae oculis habenda est *cautio* posita in art. 97 sequenti (Finis proprius status perfectionis adspirantibus proponendus). Si id tempestive et convenienter fiat, plures deceptiones in candidatis evitabuntur quae saepe sunt causae infidelitatis.

4) Retinendum est autem quod *genuina germina* vocationis, etsi fundatam spem perseverantiae afferant, minime vero gignunt certitudinem. Ideoque numerus eorum adulescentium qui non perseverant erit semper relative magnus, ut verificatur etiam in Seminariis dioecesanis Minoribus. Id quod maxime refert est illos candidatos *tempestive et citius* dimittere qui talem spem amplius non afferunt.

Ad B) *Placet* quod huiusmodi normae executoriales magis particulares non dentur in Concilio, sed deinde per modum Instructionis executoriae.

ART. 96

I. *Observ.*: GODFREY (concordant aliqui ut ad art. 94, n. II): « In oratione publica fidelium, meminisse iuvat necessitatem etiam vocationum religiosarum. Utile est in oratione inserere phrasim qua petitur benedictio pro familiis ut habeant privilegium et honorem dandi filios et filias vitae religiosae. Hoc placet multum familiis et parentibus ».

Respondetur: Est factum quod in Orationibus pro Vocationibus ab Ordinariis locorum imperatis in Ecclesiis publice recitandis, rarius sermo est de vocatione religiosa: agitur de sacerdotibus, et, ut ex contextu plerumque eruitur, saecularibus.

Quare, in fine huius articuli addi posset: « Ordinariis locorum commendatur ut in ecclesiis orationes publice fiant pro vocationibus etiam religiosis suscitandis ».

II. *Observ.*: CHEIKHO: « A) Opportunum aestimatur ut religiosi qui ministerium animarum habent, sive sint religiosi ritus latini, sive etiam ritus orientalis, utantur in ministerio ritu ipsorum fidelium ».

— 14 —

B) Optatur ut in hac Constitutione aliquid inseratur de candidatis rituum orientalium, in Congregationes religiosas aut ordines religiosos ingredientibus. Convenit ut illi candidati conservent ritum proprium pro bono fidelium orientalium eiusdem ritus ».

Respondetur: Ad A) Quoad ritum observandum a Religiosis in sacro ministerio exercendo apud fideles diversi ritus, iam provisum est in *textu concordato* Commissionis Mixtae Episcoporum et Religiosorum: art. 5, 6, 7.

Agitur evidenter de sacro ministerio exercendo penes aliquem *coetum* fidelium diversi ritus; non de aliquo fideli diversi ritus occasionaliter sacramenta petente.

Ad B) Canon 542, 2° praescribit veniam S. Congreg. Orientalis ut Orientales admittantur in latinas religiones. In hac licentia generatim continetur regula sequenda quoad *Ritum;* ideoque, non videtur necessarium ut Concilium aliquid magis particulare addat.

Notarem tantum quod *transitus* ab uno ritu ad alium subicitur normis quae multis apparent *severiores aequo,* et videntur *laedere* libertatem ipsam fidelium proprium ritum seligendi in materia quae a Iure Ecclesiastico unice pendet: ritus non sunt propter se, sed propter fideles. Quod valet praesertim de his nationibus ubi unus ritus est omnino praevalens, sed immigrantes habentur, qui venerunt ex alia natione ubi diversus ritus fuit.

ART. 99

I. *Observ.*: LÉGER (concordant: Rugambwa, Rakotomalala): « In prima paragrapho art. 99 ubi agitur de idoneitate ad admissionem, ut indicia proponuntur pietas, recta intentio, dotes animi et corporis. Credo quod mentio etiam et maxime facienda est de virtutibus fidei, spei et caritatis, scil. de vera fonte vitae christianae ».

Respondetur: Proculdubio, virtutes theologales sunt vera fundamenta vitae christianae et authenticae vocationis sacerdotalis et religiosae. Sed hic, non agitur de elementis constitutivis vitae christianae et vocationis enucleandis: quod pertinet potius ad aspectum *doctrinalem* vocationis; sed de *signis sufficientibus* ad vocationes practice diiudicandas vel ad candidatos admittendos, iuxta principia iam auctoritative inculcata a Summis Pontificibus, speciatim a Pio XI, in Codice quoque relata, concordanter quoque

— 15 —

ad ea quae habentur in Capite de *Vocatione* (Primae Partis, art. 22).

Ideoque, non videtur opportunum aliud hic addere circa fidem, spem et caritatem, quae certo certius in *omni catholico* admittendo plane praesupponuntur.

II. *Observ.*: ALFRINK (concordant: Liénart, Bea, Antezana, Bazin, Bernier, Jelmini): « Pluries in schemate dicitur — et recte dicitur — ut v. gr. in num. 99 — ut Superiores religiosorum illos tantum candidatos admittant, quos ad perfectionem christianam in instituto assequendam sufficienter probaverit.

Saepius autem accidit ut candidatus quis utique sacerdotium anhelet, sed non statum religiosum. Dum autem iuvenes sunt, hanc distinctionem saepius difficulter vident. Munus erit directorum spiritualium ut bene distinguant inter ambas vocationes. Et si habent aliquem candidatum qui sacerdotium quidem appetit, sed non statum religiosum, illum nullo modo cogant ut in ordinem ingrediatur vel congregationem intret vel ibi maneat, sed illi omnem libertatem dent ut ad seminarium dioecesanum transeat.

Saepius isti candidati postea intelligentes se quidem sacerdotium voluisse sed non statum religiosum, difficultates creant et dedecus fiunt tum statui religioso, tum sacerdotio ».

Respondetur: Ad incommoda ista praecavenda datur art. 97 praecedens (Finis proprius status perfectionis adspirantibus proponendus): si rite observetur, candidati qui sacerdotium cupiunt sed non vitam religiosam vel non admittentur, vel, errore tempestive detecto, dimittentur.

Forte quod in hoc art. 97 utiliter addi potest (pag. 7, lin. 3-4): « ... Proponendi sunt, ita ut non solo Sacerdotii vel apostolatus exercendi desiderio ad Institutum attrahantur... ».

III. *Observ.*: SÉPINSKI: « Ad pag. 9, lin. 14, ponatur interpunctio (,) post verbum: agatur ».

Respondetur: *Placet.*

ART. 100

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant aliqui ut ad art. 93, II): « Pag. 9, ad 100 lin. 23: " ... aut non idoneis imponant " haec addi vellem: etiam — si necessarium sit — suspendendo eis absolutionem a peccatis donec institutum derelinquere non deliberaverint ».

Respondetur: *Placet.*

— 16 —

II. *Observ.*: COORAY: « Ad pag. 9, lin. 23, verbum *certo,* id est: " candidatis certo indignis " est omittendum: est periculum ne confessarii et directores nimis liberales indignos admittant, ratione huius verbi, cum certitudo non tam facile appareat ».

Respondetur: *Placet.* Eo magis quod ad *definitivam* cooptationem, neque *dubiae* vocationes accedere possunt.

III. *Observ.*: EX OFFICIO.

Altera pars huius articuli, quae ad *Directores Spirituales* spectat, attentionem scriptoris effugit; ideoque est restituenda, scilicet:

« Pariter, directores spirituales officium habent in foro interno non sacramentali iudicandi de divina vocatione alumnorum, atque secreto servato, indignos et non idoneos monendi ut vitam inchoatam sponte relinquant [16] ».

N. B.: Haec nota (16) invenitur in pagina 10.

ART. 105

I. *Observ.*: GODFREY (concordant: ut supra ad art. 94, n. I): « De neuropsychicis caute procedatur. Mulieres medicae seligendae non sunt pro cura psychopatica alumnorum puerorum. Opus est maxima cautela in selectione peritorum. Episcopi generatim habent informationes de qualitate et charactere medicorum catholicorum. Experientia docet infelix consilium dari posse a medicis ignorantibus vitae religiosae ».

Respondetur: Clausula in articulo: « normis Sanctae Sedis hac in re servatis », implicite includit omnes necessarias cautiones quas pro certo Sancta Sedes non omittet dare praeter illas iam datas.

ART. 107

I. *Observ.*: SÉPINSKI: « A) ad pag. 12, lin. 8 fiat interpunctio (,) post verbum " ut ", et corrigatur: " ulteriore ";

B) ad pag. 12, lin. 13, fiat interpunctio (,) post verbum: " quidem " ».

Respondetur: *Placet* ad utrumque.

— 17 —

ART. 109

I. *Observ.*: SPELLMAN: « Quamquam aliquae materiae tractatae in Capite 28 de admissione alumnorum ad Sacros Ordines religiosis propriae sunt, tamen, hae materiae convenienter includi possint in Schemate de Ordine a Commissione de Disciplina Sacramentorum proposito, Canones de ordinatione religiosorum et de titulis canonicis pro religiosis nunc includuntur in illa parte Codicis I. C. quae agit de Sacramentis, et non in illa parte quae agit directe de religiosis. Idem ordo in Concilii decretis servari deberet ».

Respondetur: Non videtur incommodum ut fiat iuxta placitum Em.mi Relatoris; sed caute, ut ea quae sunt propria religiosorum distincte enuntientur sine confusione quae hac in re non deest in Codice, praesertim quoad assimilationem Iuris religiosorum non exemptorum iuri saecularium!

ART. 111

I. *Observ.*: LÉGER (concordant: Rugambwa, Rakotomalala): « In art. 111 ubi tractatur de receptione ordinum minorum, aliquid dici debet de ordinibus maioribus. Saepe enim in religionibus, ordinum maiorum receptio regulariter praecipitatur, quod non est sine detrimento pro seriosa praeparatione candidatorum ».

Respondetur: De Ordinibus Maioribus, generatim, magna habetur aestimatio eorumque receptio cum debita praeparatione habetur. Tantum exceptionaliter interstitia non servatur, pro candidatis qui curriculo theologico partim saltem confecto Religionem ingressi sunt: inde necessitas, post probationem votorum temporariorum et professionem perpetuam Ordines Maiores citius conferendi ita ut munera sacerdotalia sine otiosa mora exercere valeant.

De Ordinibus Minoribus autem specialis erat ratio eorumdem aestimationem extollendi et eorum receptionem melius curandi. Ideoque, non videtur necessarium aliquid addere pro Ordinibus Maioribus, cum id quod hic dicitur: « Ordinationes, praesertim sacerdotales... » sufficiat.

ART. 114

I. *Observ.*: SPELLMAN: « Caput 29 in regimine sacramentali poenitentiae in institutis status perfectionis aliquas mutatio-

— 18 —

nes, diu exspectatas, introducit. Uniformitas et continuitas directionis spiritualis cum debita conscientiae libertate bene componuntur. Videtur esse non inopportunum anteponere aliquam introductionem in qua ratio totius quaestionis proponi possit. Insuper, hoc Caput cum schemate de Sacramento Poenitentiae a Commissione de Disciplina Sacramentorum proposito conferendum est ».

Respondetur: 1) *Placet* praemittere, ad modum *Prooemii,* novum articulum, v. gr. modo sequenti:

« 114. A) [*Momentum administrationis Sacramenti Poenitentiae*]. Omnibus compertum est quanti momenti sit in Institutis statuum perfectionis prudens ac ordinata administratio Sacramenti Poenitentiae quo asseclae perfectionis christianae conscientiam " ab omni inquinamento carnis et spiritus " (*II Cor.* VII, 1) in dies purgant et ad perfectam cordis et animi munditiam pervenire valeant quae unionem cum Deo parat et fovet.

Ut usus huius Sacramenti plenos obtineat suos effectus, sufficiens copia confessariorum idoneorum sodalibus est praebenda et debita libertas conscientiae omnino relinquenda. Cavendum est autem ne indiscreti recursus ad confessarios, praeter ordinarios et extraordinarios, praesertim in communitatibus religiosarum, detrimentum afferat disciplinae aliosque inducat abusus. Quare ut omnia hac in re ordinatim in bonum animarum procedant quaedam statuuntur normae servandae ».

2) Proculdubio hae normae erant concordandae cum Schemate Commissionis de Sacramentis: sed sine *praeiudicio* iuris religiosorum. In Codice, Caput II speciale: « De Confessariis et Cappellanis » inseritur in ipsa parte *De Religiosis*: quia sunt plura particularia quae difficiliter in schemate generali de sacramentis tractari possunt.

II. *Observ.*: Ruffini (concordant ut supra ad art. 93, n. II): « Superiores Seminarii, collegiive — ut legitur in can. 891 *C.I.C.* — Sacramentales Confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audeant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant ». Est norma sapientissima et prudentissima; cur non extenditur ad Superiores religiosorum? ».

Respondetur: Petita extensio praedictae normae ad *Superiores* iam habetur in can. 518 § 2: « Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure servandis, confessiones audire subditorum, *qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant* ».

— 19 —

Concessio *facultatis* hic Superioribus facta, non derogat praescriptis Codicis quoad *usum* huius facultatis, speciatim respectu subditorum.

Art. 115

I. *Observ.*: Ruffini (concordant ut supra ad art. 93, n. II): « A) Pag. 3 lin. 16, cur post *iurisdictionem,* tacetur adiectivum delegatam?

B) lin. 18 " ... e clero saeculari ". Occasione capio id proponendi: Quotiescumque in Concilio Vaticano II sermo erit de clero qui hic dicitur *saecularis,* appelletur *dioecesanus* sicut recte optabat et contendebat Card. Mercier ».

Respondetur: Ad A) Iam huic observationi ample responsum est supra. Cfr. Observ. Gen. IX (Dell'Acqua) C, pag. 8.

Ad B) Pariter huic observationi responsum datur supra. Cfr. Observ. Gen. VI (Silva), pag. 5, ad A).

II. *Observ.*: Siri: « Ad lin. 18 adiungatur: " pro iis tantum de quibus superiori articulo " ».

Respondetur: Additio proposita iam implicite continetur in locutione « ... iurisdictionem ad confessiones sacramentales *qua pollent...* »: haec enim directe refertur ad iurisdictionem de qua in art. 114 praecedenti. Ideoque haec additio, licet non noceat, non est necessaria et gratia maioris concisionis sermonis omissa est.

III. *Observ.*: Godfrey (concordant ut supra ad art. 94, n. I): « Monentur Superiorissae de protegenda libertate conscientiae sororum: urget Episcopum ad vigilantiam ».

Respondetur: De hoc explicite, et, ut videtur, sufficienter, agit articulus 118 sequens (Obligatio antistitae servandi libertatem conscientiae subditorum).

IV. *Observ.*: Richaud: « Ad pag. 4, lin. 3, addenda est verbis: " nonnisi qui ab aliquo Ordinario " haec praecisio: " Ordinario loci " et deleantur verba sequentia: " vel Superiore " ».

— 20 —

Respondetur: Iuxta observationem Generalem IX (Dell'Acqua) n. 10 (cfr. supra, pag. 9, D) loco: « ... ab aliquo », *dicitur*: « a proprio Ordinario... ».

Neque est valida ratio restringendi hanc concessionem facultatum ad solos sacerdotes ab *Ordinario loci* approbatos, cum ceteri sive a proprio Ordinario religioso, sive a proprio Superiore, praebeant *idem testimonium idoneitatis,* quae est conditio concessionis.

V. *Observ.*: LANDÁZURI: « Non placet ut Superiores religiosi Institutorum clericalium habeant potestatem delegandi iurisdictionem ad audiendas confessiones sacramentales in favorem sacerdotum subditorum et *etiam cleri saecularis vel dioecesani* ».

Respondetur: Vi praesentis articuli, datur Superioribus religiosis facultas concedendi Sacerdotibus Saecularibus seu dioecesanis facultatem audiendi confessiones *suorum subditorum* aliarumque personarum de quibus in art. 114; non vero, ad audiendas confessiones *aliorum sacerdotum* saecularium vel dioecesanorum, nisi per accidens, si unus eorum inveniatur in categoria personarum de quibus in art. 114. Et hoc non est aliquid novi: habetur iam in can. 875 § 1: « ... cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e *clero saeculari...* ».

ART. 116

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant ut supra ad art. 93, n. 11): « Pag. 4, lin. 11 " eorum confessariis " aperte dicatur Confessarios istos peculiari indigere iurisdictione ab Ordinario loci concedenda; cfr. can. 876 *C.I.C.* ».

Respondetur: Consulendo *libertati* conscientiae religiosarum, Commissio consulte voluit religiosas, ut dicitur in hoc articulo, *aequiparare* ceteris mulieribus, quoad conditiones *validitatis* Confessionis earum. Quare, hic articulus *derogat* canoni 876, quatenus non amplius exigit peculiarem iurisdictionem pro religiosis mulieribus audiendis: sufficit illa ad mulieres valide audiendas; et conditiones appositae pro confessionibus mulierum sunt tantum ad liceitatem, sicut sunt pro mulieribus in genere.

Hoc non impedit autem quominus servanda sit vigens *ordinatio* Confessariorum Ordinariorum et Extraordinariorum, qui etiam ab Ordinariis locorum sunt *designandi*: sed illa designatio, supposita iam iurisdictione in sacerdote ad confessiones mu-

— 21 —

lierum in genere audiendas, non praescribitur ad *validitatem* confessionum religiosarum.

Ideoque, standum est praescripto huius articuli ut ipse iacet.

ART. 117

I. *Observ.*: ALOISI MASELLA: « Libertas quae conceditur religiosis mulieribus instituendi valide et licite confessionem apud quemlibet sacerdotem pro confessionibus mulierum ab aliquo Ordinario loci approbatum videtur excessiva. Neque auctoritas Superiorissae ut usus illius facultatis non noceat aut abusibus locum det satis munita videtur ».

Respondetur: i) In Commissione multum disceptatum est utrum sufficeret approbatio ab « aliquo Ordinario », ut in textu; an exigi deberet approbatio ab Ordinario loci ubi confessio instituitur: et maioritate suffragiorum vinxit prima sententia quae habetur in articulo.

ii) Ratio est ut religiosis mulieribus ampla detur libertas confessionem *occasionalem* instituendi, ad tranquillitatem suae conscientiae. Neque talis facultas excessiva videtur, si omnia bene ponderantur. Etenim,

a) agitur de confessione *occasionali*: nam regulariter, servanda est ordinatio Confessariorum Ordinariorum et extraordinariorum ut supra dictum est.

b) Haec confessio occasionalis valde urgere potest ad tranquillitatem animi Religiosae: unde necessitas praebendi facilitatem, pro occasione sibi oblata, eam instituendi.

c) Sub uno respectu, dici potest (et dicitur) quod tunc religiosa invenitur in conditione favorabiliore quam mulier in saeculo, quae valide confiteri potest tantum ad Confessarium ab Ordinario loci ubi confessio instituitur approbatum; sed alio aspectu invenitur in peiore conditione: quia religiosa tenetur ad disciplinam quoad *egressum* e domo, secus ac mulier in saeculo. Unde non valet semper ad confessarium extra domum recurrere; sed debet capere occasionem alicuius sacerdotis *in domo* transeuntis, quin ipsa debeat ab eo inquirere an sit approbatus ab Ordinario loci huius vel non: quod esset valde odiosum pro utroque. Id vero maiorem vim adhuc habet si agatur de *moniali* quae numquam e monasterio egreditur!

d) Quare, ne suscitentur inutiles difficultates quae possent effective coarctare libertatem conscientiae religiosarum, et quidem, cum serio detrimento, statuitur in articulo quod sufficit

— 22 —

approbatio ab *aliquo Ordinario loci,* quin proinde de origine approbationis sacerdotis sibi ignoti religiosa inquirere debeat.

iii) Neque talis praxis gravia incommoda habet, praecise quia agitur non de confessione habituali, sed *occasionali* et proinde *exceptionali.* Et insuper, si reapse agatur de sacerdote approbato ab alio Ordinario loci quam dioecesis ubi fit confessio, id evenire potest vix *extra* ipsam *domum* religiosam, et rarissimis occasionibus transitus talis sacerdotis in domo: propterea periculum veri abusus valde reducitur; imo, minus est quam periculum abusus si confessio instituatur apud sacerdotem approbatum in dioecesi, sed *extra* domum, ad quem religiosa posset recurrere frequentius.

Extra domum religiosam, enim, sacerdos non approbatus in dioecesi non sedebit in confessionali; et proinde, nulla soror ad eum sese praesentabit.

Concludendo dicimus:

a) *ex una parte,* dispositio articuli melius libertatem conscientiae religiosarum tuetur, in certis occasionibus quando vere tali libertate indigere possunt;

b) *ex altera parte,* dato caractere *occasionali* et exceptionali huius confessionis, plerumque in sola domo religiosa possibilis, valde reducitur periculum abusus vel incommoda.

II. *Observ.*: RUFFINI (concordant ut supra ad art. 93, n. II): « Pag. 4, lin. 19: " ... confessionem instituat apud quemlibet sacerdotem "; modo tamen confessio fiat extra domum religiosam, in Ecclesia vel oratorio publico ».

Respondetur: Commissio consulte voluit excludere omnes conditiones iure vigente impositas ad *validitatem* confessionis occasionalis religiosarum: quae conditiones ut patet plus nocent quam iuvant et perniciose libertatem conscientiae coarctant. Ad *liceitatem* autem, servanda sunt conditiones pro ceteris mulieribus audiendis impositae, ut dictum est.

Cur revera tantus timor circa confessiones religiosarum, quasi ipsae essent periculosiores quam mulieres in saeculo ad quas audiendas tam faciliter conceditur facultas, etiam sacerdotibus iuvenibus!

III. *Observ.*: D'ALTON (concordant: Browne, Cooray, McKeefry): « Non placet provisio in paragrapho 117 qua religiosa potest confessionem valide instituere apud confessarium ab *aliquo* Ordinario loci approbatum. Etenim ex tali provisione sacerdos ex ultimis finibus terrae potest confessiones religiosarum audire in dioecesi ubi nihil de eo scitur. Talis provisio, in re in qua abusus timeri possunt, esset, meo iudicio, valde periculosa et insuper daret talem copiam confessariorum religiosis qualem nec laici in Ecclesia habent. Omnino velim, ergo, ut verbum *aliquo* deleatur ita ut confessarius debeat esse approbatus ab Ordinario loci *in quo confessio fit* ».

— 23 —

Respondetur: Iam huic observationi responsum est in praecedenti. Ut patet, incommoda ab Em.mo Relatore recensita supponunt confessionem *occasionalem* esse aliquid omnino *habituale;* et quod transitus alicuius sacerdotis *extranei* in domo religiosa esset factum quasi quotidianum! Dum e contra agitur de casu *exceptionali,* pro quo, propterea, verus abusus non est timendus.

IV. *Observ.*: GRACIAS: « Num 116 et 117 introducunt innovationem optatam, sed numerus 117 qui incipit voce " praeterea " nihil numero praecedenti addit. Omnia patent verbis numeri 116: " religiosae et sodales Societatum vitae communis coeteris mulieribus in omnibus aequiparantur ".

Forse hic numerus 117 possit supprimi; vel melius potest coniungi numero praecedenti, exempli gratia, modo sequenti: " ... sed circa conditiones ad validitatem et liceitatem confessionis requisitas, etiam religiosae et sodales Societatum vitae communis caeteris mulieribus in omnibus aequiparantur (117). *Ideoque,* si aliqua religiosa aliave sodalis societatis vitae communis confessionem instituit apud sacerdotem quemlibet pro confessionibus mulierum ab aliquo Ordinario loci approbatum, confessio valida et de se licita est, servatis, ad liceitatem dumtaxat, normis de loco pro mulierum confessionibus " ».

Respondetur: Dato quod in art. 117 ad validitatem confessionis *occasionalis* sufficiat approbatio confessarii ab *aliquo* Ordinario loci, non est simplex applicatio normae pro mulieribus audiendis in genere datae: ideoque, melius de hoc casu separatim agere ut ea quae noviter hic introducuntur clarius pateant.

ART. 118

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant ut supra ad art. 93, n. II): « Pag. 4, lin. 30 ss.: Haec vigilantia ab Episcopo exerceri ne potest etiam si Sorores ad Institutum exemptum pertineant? ».

Respondetur: Nihil derogatur canoni 2414 praescribenti: « Antistita quae contra praescriptum can. 521 § 3, 522, 523

— 24 —

gesserit, a loci Ordinario moneatur; si iterum deliquerit, ab eodem officii privatione puniatur, illico tamen certiore facta Sacra Congregatione de Religiosis ».

ART. 120

I. *Observ.*: SPELLMAN: « Recognitio precationis in modum Divini Officii in institutis status perfectionis confectae tamquam oratio Ecclesiae publica in bonum totius Mystici Corporis vere tendit. Caput 30, tamen, aptius in schemate decreti de Sacra Liturgia ponatur ».

Respondetur: Cum agatur de norma ipsis Religiosis danda, videtur melius ut habeatur in Schemate de Religiosis; ut in Codice, habetur praescriptum circa obligationem *Chori,* in parte de Religiosis, canon 610: est complementum aliquod totius *disciplinae* propriae Religiosorum.

II. *Observ.*: RUFFINI (concordant ut supra ad art. 93, n. II): « Potestne haberi oratio publica Ecclesiae, oratio monialium? Nonne minister *publicus* Ecclesiae est Sacerdos tantum ».

Respondetur: Quaestio auctoritative resolvitur his verbis Constitutionis Apostolicae *Sponsa Christi,* art. V, § 1: « Ecclesia ad *orationem publicam* quae eius nomine, sive in choro (c. 610 § 1) sive privatim (c. 610 § 3) Deo funditur, solas *moniales* inter mulieres Deo sacras deputat... ».
His deputatio haec extenditur etiam ad alias religiosas.

III. *Observ.*: GUT: « Mihi persuasum est etiam moniales nomine Ecclesiae divinum officium recitare. Solemni ritu occasione professionis illis breviarium traditur. Non auderem ne dubium quidem proferre hac de re apud moniales nostras ».

Respondetur: *Placet.*

ART. 122

I. *Observ.*: LÉGER (concordant: Rugambwa, Bea, Rakotomalala): « Hoc tantum dicam quod articulum 122 non mihi placet. Propono ut etiam moniales linguam vernaculam adhibeant in Officio divino. Etiam enim moniales intelligere debent officium. Et quia earum cognitio latinae linguae valde insufficiens est (non sunt mulieres eruditae) legitimum et necessarium est illud ius concedere ».

— 25 —

Respondetur: Commissio *consulte* moniales excepit a norma de qua in praesenti articulo. Ratio est quia, si una ex parte, et ipsae debeant intelligere preces quas recitant, ex altera parte, cum in Schemate nostro de Institutione sodalium, etiam *Institutio intellectualis monialium* congruenter sit promovenda, nihil impedit quominus istae animae contemplativae sufficiens tempus devoveant ut sufficientem linguae latinae cognitionem sibi comparent ad textum Sancti Officii intelligendum, de cetero ipsis convenienter explanandum a personis competentibus. In art. 55 enim hoc habetur: « Monialibus autem impertiatur *solida institutio in sacris disciplinis earum conditioni accommodata* ». Et iuxta observationem Em.mi Card. Spellman (Observ. Gen. III, in fasciculo praecedenti) ad art. 48 additur: «Specialiter commendatur Ordinariis locorum et Superioribus competentibus providere ne Monasteriis Monialium sibi subiectis desint educatores et directores spirituales quibus cura institutionis et formationis monialium concredatur » (cfr. Responsa Fasc. praec.).
Si vero in aliquibus locis, praesertim missionum, nimis difficile sit pro Monialibus addiscere latinum, dispensationes concedi poterunt; sed pro ceteris remaneat *Officium Divinum* in sua forma authentica.

II. *Observ.*: RICHAUD: « Optarem quod officium, sive parvum sive magis completum, sit idem pro omnibus sororibus cuiuslibet Instituti et in concordantia aliqua per respectum ad officium romanum universale.
Opinor insuper quod multas determinationes in istis schematibus conveniunt quoque pro alumnis cleri saecularis ».

Respondetur: 1) Si ageretur de institutis vitae contemplativae, tantum, forte quod uniformitas proposita posset induci; sed data nimia varietate institutorum vitae activae quae tamen huiusmodi preces publicas habent et quidem secundum etiam proprias traditiones, non videtur convenire omnes istas preces ad aliquem textum uniformem et communem reducere.
2) Quoad extensionem harum determinationum ad alumnorum cleri saecularis, ad nos non pertinet iudicare.

III. *Observ.*: SÉPINSKI: « Ad pag. 6, lin. 20-21 ubi agitur de lingua vernacula permittenda in Officiis, clarius indicatur auctoritas quae debet approbare ».

Respondetur: Posset enim addi: « ... iuxta textum ab *auctoritate ecclesiastica* rite approbatum; quin hic determinetur a

— 26 —

Sancta Sede vel ab Ordinario loci: id quod definiri poterit in aliqua Instructione executoria.

IV. *Observ.*: JANSSENS: « Etiam monialibus concedatur usus linguae vernaculae in Officio persolvendo ».

Respondetur: Iam provisum in responso praecedenti I, ad art. 122 (Léger) (cfr. supra pag. 25).

ART. 123

I. *Observ.*: SIRI: « Materia Cap. XXXI non est in actu Conciliari deducenda ».

Respondetur: Iam provisum est in Responso ad Obs. Gen. VI (Silva Santiago) (cfr. supra, pag. 6 ad B).

ART. 126

I. *Observatio*: GODFREY (concordant ut supra ad art. 94, n. I): « Mea humili opinione mentio sacri coelibatus in Concilio non debet fieri nisi per transennam, et gaudeo quod in schemate fit mentio de documento " Lex Sacri Coelibatus " et de exclusiva reservatione materiae de coelibatu exclusive Sanctae Sedi. Sed dubito de tractatione de lapsis in Concilio. Nec dicatur verbum de dispensatione obligationis in Concilio: non est locus pro tali materia ».

Respondetur: 1) De *Reservatione* adhibenda in loquendo de lege coelibatus et de eadem dispensatione, schema videtur plene respondere observationi Em.mi Relatoris.

2) Quoad vero opportunitatem huius capitis, responsum iam datum est tum supra immediate in Responso ad Observationem praecedentem, tum maxime ad Observ. Gen. VI (Silva Santiago) (cfr. supra, pag. 6 ad B).

ART. 127

I. *Observ.*: CENTO: « Experientia edoctus, censeo melius providendum esse ad aequitatem in dimittendis sororibus ».

Respondetur: Ad talem aequitatem obtinendam, etiam respectu sororum, tendit totus articulus 127: « ut hi processus dimissionis, *perfecta aequitate* servata... peragantur ».

— 27 —

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, significare an textus huius partis schematis sit sufficienter emendatus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS DECRETI

DE RELIGIOSIS

PARS V

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

— 3 —

DE EMENDATIONE SCHEMATIS

DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE SEU DE RELIGIOSIS

(Cap. XXXII)

Postremum caput schematis, nempe 32, *De missionibus* inscribitur: examinatum fuit a Patribus Pont. Commissionis Centralis die 15 iunii 1962.

Pro emendatione textus huius capitis nunc examinandae sunt observationes Patrum Pont. Commissionis Centralis et responsiones eis datae a Pont. Commissione de Religiosis.

OBSERVATIONES GENERALES ET RESPONSA EIS DATA

I. *Observ.*: PIZZARDO (concordant: Masella, Alter): « Schema concordandum cum Commissione de missionibus ».

Respondetur: Hoc erit munus Subcommissionis de materia mixta.

II. *Observ.*: GODFREY: « Schema brevius esse deberet, mea humili opinione ».

Respondetur: Schema iam satis breve est; abbreviari nequit nisi demendo ea quae tamquam necessario dicenda ideoque a Commissione inserta sunt in eo.

III. *Observ.*: O'CONNOR: « Non videtur mihi conveniens ad bonum Ecclesiae in genere et Missionum in specie dualitatem potestatis extollere prout in pag. sexta, linea vigesima et sequentibus, ubi distinctio fit inter potestatem ecclesiasticam, et potestatem religiosam. Una enim exstat in Ecclesia Sacra Hierarchia et quisquis potestatem seu iurisdictionem legitime exercet potestati ecclesiasticae participat ».

Respondetur: i) *Quoad rem*: nullum esse potest dubium quod praeter *Sacram Hierarchiam*, divinitus constitutam, sit *Hie-*

— 4 —

rarchia interna institutorum Status Perfectionis sub Romano Pontifice, iure ecclesiastico constituta (cfr. Schema: « Constitutio de Statibus Perf. », art. 27).

ii) *Quoad denominationem*: Potestas qua Superioris unius vel alterius hierarchiae, vero quodam sensu lato, est *Ecclesiastica.* Sed ad confusionem vitandam in istis Superioribus designandis, *usu* praesertim Instructione S. Congr. de Propaganda Fide d. 8 decembris 1929 invecto, Superior *Missionis* vel *Ecclesiasticus* dicitur ille Praelatus a S. Sede nominatus ad missionem regendam; et Superior *Religiosus,* praepositus *internus* Instituti religiosi.

iii) Sicut Superior *Missionis* dicitur per antonomasiam « ecclesiasticus » ita potestas qua pollet dicitur « ecclesiastica », prae alia quae propria est Superioris religiosi quaeque dicitur « religiosa ».

Unicam denominationem « ecclesiasticam » pro utraque potestate adhibere, stricte esset rectum; sed confusionem certo gigneret.

IV. *Observ.*: BAZIN: « Hoc schema videtur codificare Instructionem S. C. de Propaganda diei 8-12-1929, quae referebat non solum ad Religiosos Missionarios, sed et ad societates sine votis (ut MEP, PIME etc.). Sed in hoc schemate, vix nihil dicitur de Superioribus societatum sine votis, quamvis hae societates multae sint et in multis locis laborent. Nolunt dici " religiosi ", sed indigent claris regulis ad magna incommoda et graves molestias vitandas ».

Respondetur: Sine dubio, citata Instructio S. Congr. de Propaganda Fide etiam ad Societates sine votis spectabat: ideoque titulus fert: « Ad Vicarios Praefectosque apostolicos et ad Superiores *Institutorum,* quibus a S. Sede missiones concreditae sunt, quo nonobstante, in textu, eadem instructio loquitur tantum de Superioribus *Religiosis.* Cum « a Rubro ad Nigrum » valeat illatio, vox « religiosus », *lato sensu* intelligi debet, etiam sodales et superiores Societatum sine votis comprehendens.

Hoc sensu latiore etiam in praesenti schemate vox « religiosus » assumenda est, prout id a contextu requiratur. Eo magis, quod de usu huius vocis habetur specialis *norma* in Schemate Primo: « Constitutio de Statibus Perfectionis Adquirendae », art. 14: (Terminologia: terminus « religiosus » stricto et latu sensu) (cfr. ibid., pag. 15).

Ideoque, implicite sed sufficienter Societates sine votis *includuntur* in schemate.

— 5 —

V. *Observ.*: CÂMARA: « Concordo. Sed interrogo: quando missio concredita est alicui Instituto Religioso, nonne praevidendum est ut candidati ad Sacerdotium non omnes in Instituto recipiantur ut unica possibilitas ad sacerdotium, sed qui praeferant alium Seminarium eis facultetur?

Mihi videtur si ullus candidatus pertineat proprie et plene ad Missiones, quacumque ex causa, illi Religiosi relinquant territorium Missionis, deerit clerus proprius. Et quando Missio elevata fuerit in Dioecesim, clerum proprium non habebit.

Hoc refero, quia in Brasilia nonnulli Praelati Religiosi putant se ingratum esse erga Institutum vocationes ad sacerdotium dirigere ad Seminarium dioecesanum et non ad Institutum. De hoc re iam certiorem feci Nuntiaturam Apostolicam ».

Respondetur: i) Non est dubium quod, iuxta instructiones Sanctae Sedis valde perspicuas, *Clerus saecularis* est promovendus, etiam in Missionibus alicui Instituto concreditis. Hoc munus autem, directe pertinet ad Superiorem *Missionis* seu Ecclesiasticum, qui utique ministerio sodalium sui Instituti utitur ad proprium seminarium regendum.

ii) De facto, Institutio sacerdotum saecularium in Missionibus effective et generaliter promovetur adeo ut hodie plurimi indigenae ad ipsum Episcopatum evehantur. Quando hoc opus sit incipiendum, est quaestio de *prudentia*: norma absoluta dari nequit.

De Ratione agendi diversa, in Brasilia, iudicare poterit ipsa Sedes Apostolica, cui casus, ut dicitur, relatus est.

iii) Cum de clero saeculari instituendo non sit hodie generalis difficultas vel reluctantia ex parte missionariorum, schema ab hac quaestione abstinuit.

VI. *Observ.*: SPELLMAN: « Hoc schema videtur bene providere apostolatum religiosorum in divino mandato, Ecclesiae dato, exsequendo praedicandi evangelium omni creaturae in mundum universum ita ut in locis missionum superiores ecclesiastici vel ordinarii locorum et Superiores religiosi concorditer agant ad bonum animarum promovendum, sine aliquo detrimento vitae religiosae eorum qui simul sunt et missionarii et religiosi. Omnibus ponendis positis, ut hoc schema cum schematibus a Commissione de Missionibus iam propositis concordaret, de capite XXXII: " De Missionibus " in schemate de Statibus perfectionis adquirendae suffragium fertur. Placet ».

Respondetur: De schemate cum illo Commissionis de Mis-

— 6 —

sionibus concordando, iam actum est in Resp. ad Observ. I (Pizzardo), pag. 3.

VII. *Observ.*: THÚC: « Concilientur pro Concilio Oecumenico in quantum conciliari possunt opiniones Patrum de hac re ».

Respondetur: Optimum quidem desiderium, sed potius arduum munus! De cetero, ut dictum est in Responsis ad Schema I, « Constitutio de Statibus Perfectionis », *opus* Concilii non est varias sententias vel opiniones conciliare; sed in luce harum sententiarum et opinionum, opus *veritatis* et *iustitiae* conficere, principiis theologicis et iuridicis solide fundatum.

VIII. *Observ.*: ALTER: « Schema componendum est cum decretis a Commissione de Missionibus iam disceptatis in " Commissione Centrali Praeparatoria " et in unitis tractatis considerandis ».

Respondetur: De hac concordantia iam actum est in Resp. ad Observ. I: pag. 3. Concordantia autem fieri non debet praeiudicio eorum quae in praesenti schemate retineri debent.

OBSERVATIONES PARTICULARES ET RESPONSA EIS DATA

ART. 129

I. *Observ.*: SÉPINSKI: « Ad pag. 5, lin. 17-18: dicerem: " in mundo universo " ».

Respondetur: Placet.

ART. 130

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant: Quiroga, McKeefry, Godfrey): « Pag. 6, lin. 11: Num necesse est ut Superior Ecclesiasticus seligatur semper inter sodales Instituti religiosi ».

Respondetur: i) Non est necessarium ut *Missio* semper sit concredita alicui Instituto Religioso. De Facto, plurimae sunt hodie non ita concreditae, de quibus habetur specialis articulus 135: De Apostolatu religiosorum in Missionibus *non commissis* proprio Instituto.

Hoc in casu, Superior Missionis potest esse saecularis vel religiosus diversi Instituti.

ii) In Missione autem *concredita* alicui Instituto, Superior Missionis debet esset *unus* ex illo instituto: aliter *Commissio* non haberet amplius sensum. Sicut in *Paroecia* concredita alicui Religioni, parochus semper debet esse unus ex hac Religione, a proprio Superiore praesentatus Ordinario loci qui missionem canonicam ei concedit (cfr. can. 456, *C.I.C.*). Ita, idem servatur in *Missione* concredita Instituto: Superior Supremus *praesentat candidatos* pro munere Superioris Missionis (Vicarii, Praefecti, immo Episcopi dioecesis concreditae) et S. Sedes *unum* ex istis vel, si casus fuerit ex aliis alumnis eiusdem Instituti seligit et Superiorem Missionis instituit. Est *praxis constans* S. Congr. de Prop. Fide.

— 7 —

II. *Observ.*: LÉGER (concordant: Quiroga, McKeefry, Graner, Bazin): « In hoc schemate. Quando quaestio est de Ordinario loci missionis, melius est eum semper vocare *Superiorem Ecclesiasticum* in oppositione cum *Superiore Religioso* ».

Respondetur: Instructio S. Congr. de Prop. Fide (8 dec. 1929), ut supra dictum est (cfr. Resp. ad Observ. III: O'Connor, pag. 3), Ordinarium loci vocat etiam et passim « Superiorem Missionis ». Et videtur haec appellatio esse praeferenda; quia sic vitatur difficultas quam Exc.mus Relator O'Connor, in Observ. III, pag. 3, signavit ex usu alterius termini: Superior ecclesiasticus, potestas ecclesiastica.

III. *Observ.*: CENTO: « Licet rationibus obviis conveniat generatim ut Superior Ecclesiasticus seligatur inter sodales Instituti cui Missio credita est, nullo modo tamen decet strictam obligationem Sanctae Sedi de hoc imponere ».

Respondetur: Non imponitur Sanctae Sedi obligatio *concredendi* Missiones alicui Instituto; sed si id faciat, illud facere debet secundum *naturam* huiusmodi commissionis iuridicae; et esset contra naturam huius commissionis Superiorem Missionis seligere extra Institutum cui Missio concreditur, ut supra fusius explicatum est (cfr. Resp. ad Observ. Art. 130, Obs. I: Ruffini, pag. 6).

II. *Observ.*: SILVA: « Pag. 6, lin. 19: Praxis suadet unitatem regiminis in missionibus. Praeferendum videtur systema ut Praelatus Missionis simul Superior religiosorum exsistat ».

Respondetur: *Praxis* universalis *hodierna,* salvis paucis exceptionibus, est ut Superior Missionis sit distinctus a Superiore Instituti: quod magis respondet *Codici Iuris Canonici,* necnon Instructioni S. Congr. de Prop. Fide d. 8 dec. 1929.

— 8 —

Ut experientia docet, magna essent incommoda si vi legis generalis utrumque munus in eadem persona uniri deberet; quare in non paucis casibus ad hac unitate retrahendum fuit. Tantum per modum exceptionis, peculiaribus in adiunctis, unitas munerum in eodem Superiore servari poterit.

ART. 131

I. *Observ.*: LÉGER (concordant: Quiroga, McKeefry, Graner, Bazin): « In lin. 28 dicatur: " Quoad particularia definienda, specialis *conventio* iniri semper debet inter Superiorem Ecclesiasticum et Superiorem *maiorem* Instituti probante Sancta Sede ". Experientia enim probavit sufficienter absolutam necessitatem talis conventionis, ad vitandas difficultates facile possibiles in cooperatione inter Superiorem Ecclesiasticum et Institutum cui concredita est Missio ».

Respondetur: i) Huiusmodi conventio quoad particularia, non est semper necessaria neque opportuna: quia, non solum generaliter suppletur ab ipsa Instructione S. Congr. de Propaganda Fide d. 8 dec. 1929 quae iam non pauca particularia definit; sed *plerumque* singulis Institutis missionalibus datur « *Statutus Missionum* », a S. Congregatione de Prop. approbatus, qui est *applicatio* in particulari et pro determinato Instituto ipsius Instructionis S. Congregationis. Ita, ulterior Conventio esset superflua.

Sicubi talis *Statutus Missionum* non habetur, tunc conventio utilis erit. Propterea, textus schematis *non* est immutandus.

ii) Neque necessarium est dicere: superior *maior* cum in non paucis Institutis non sit unicus; in schemate melius habetur: Superior *competens*: qui intelligitur competens ad normam Constitutionum.

II. *Observ.*: MARELLA (concordat: Alter): « Placet et valde placet praesertim art. 131. Systema Conventionum cum adprob. S. S. inita inde ab anno 1946 post bellum vigere coepit in Iaponia ubi adest Hierarchia indigena et candide fateor optimos effectus habuisse et habere. Sunt Episcopi qui inierunt sex vel plures Conventiones cum diversis Congregationibus in suis Dioecesibus adlaborantibus, et omnia concorditer usque nunc procedunt ».

Respondetur: De bono effectu huiusmodi Conventionum non est dubitandum; sed in casibus ab Em.mo Relatore adductis, non agitur de Missione *concredita* alicui Instituto; sed in qua

— 9 —

Institutum recipitur, ad normam eorum quae in art. 135 schematis dicuntur. In istis casibus, tunc cum Instructio S. Congr. 1929, non applicetur (directe saltem) neque *Statutus Missionum* specialis habeatur, urget necessitas *Conventionis*. Sed, ut dictum est, hic non est casus de quo in art. 131.

ART. 132

I. *Observ.*: LÉGER (concordant: Quiroga, McKeefry, Graner, Bazin): « Linea 4 dicatur: " Hic diversarum stationum et *quasi-paroeciarum*, rectores, *omnibusque aliis* officiis ac muneribus aptos viros *praesentat;* Superior... ". Ratio est quia, Superior religiosus debet intervenire in omnibus nominatione suorum religiosorum, quia dependent a se ipso. Praeterea, verbum " proponat ", quod invenitur in Instructione 8 dec. 1929, non fuit clarum. Qualis sit differentia canonica inter praesentationem et propositionem? Inde in praxi melius est dare ius praesentationis Superiori religioso ».

Respondetur: i) *Placet* addere verba (pag. 7, lin. 4-5) « et *quasi-paroeciarum... omnibusque aliis...* » ut ab Em.mo Relatore suggeritur.

ii) Absque dubio, « in omnibus nominationibus suorum religiosorum, Superior religiosus intervenire debet: sed aliter et aliter ». Id fieri potest.

Inter *praesentationem* et *propositionem* candidati, est quaedam differentia: in *praesentatione*: habetur ex parte Superioris verum ius candidatum offerendi, ita ut Ordinarius iuridice non valeat in officio alium nominare qui non fuerit praesentatus, etsi possit praesentatum reiicere: quo casu, Superior alium praesentare debet. Ita est casus praesentationis *Parochi,* ad normam can. 456.

Simplex autem *propositio* non implicat ius strictum ex parte Superioris ita ut Ordinarius valeret, summo iure, alium nominare qui non fuerit propositus: est veluti modus vivendi.

iii) Ita S. Congr. de Propaganda Fide, praetulit dicere tantum: « Proponere ». ... *propositio* ista non potest quidem dici *praesentatio canonica,* de qua Benedictus XIV in Const. *Firmandis* § II, diei 6 novembris 1744 (*Collectanea P. F.* n. 348) et can. 456 pro parochis religiosis loquuntur.

« Ordinarius dependens a S. C. de Prop. Fide sub hoc respectu maiore facultate gaudet quam Ordinarius in territorio extra eius iurisdictionem. Iste nominat eum, qui est praesentatus; ille nomi-

— 10 —

nat " prout in Domino iudicaverit ". Iste recusare potest eum qui fuit praesentatus et instare ut alius praesentetur; ille nominare potest candidatum qui non fuit propositus » (PAVENTI, *Breviarium Iuris Missionalis,* Ann. 1952: pag. 102).

iv) Quare, dicere « praesentare » loco: « proponere, esset conferre Superiori Religioso maius ius quam intendit S. Congreg. de Prop. Fide et minuere ius Ordinarii loci: id quod relinquimus iudicio Subcommissionis decidendum.

v) Attamen, bene notandum est quod si agatur de paroecia vel quasi-paroecia *in perpetuum* Instituto, ex speciali Indulto S. Congr. de Prop. Fide concessa, tunc applicandus esset simpliciter can. 456, cum iure *praesentandi* ex parte Superioris religiosi: quia tali casui, non valet Instructio 1929, quae pro missionibus *concreditis* et ut talibus *tantum* datur.

vi) Ceterum hae animadversiones satis indicant quo modo in ipsa Commissione Centrali agnoscatur absoluta necessitas ut Religiosi in ministerio apostolico exercendo, ita sub Ordinariis locorum laborent, ut plena et perfecta dependentia servetur a propriis Superioribus in his quae ad vitam religiosam pertinent, vel cum hac vita connexa sunt. Ideo, licet mutatio proposita non videatur accipienda, spiritus qui illam informat, grato animo a Commissione accipitur.

II. *Observ.*: LÉGER (concordat ut in observ. I praecedenti Di Jorio): « Linea 8 (pag. 7) non mihi placet principium de prohibitione co-habitationis missionariorum saecularium cum missionariis religiosis. Distinctio ea inter clerum saecularem et religiosum est inutilis et etiam periculosa. Inde, religiosi debeant ius habere cohabitandi cum sacerdotibus saecularibus, praesertim in territoriis missionum, quia ordinarie saeculares pauci sunt et de facto optimi effectus possunt oriri ex tali co-residentia.

Missionarii religiosi possunt semper observare Constitutiones proprii Instituti, ad aedificationem cleri saecularis, cum quo co-habitant ».

Respondetur: i) Prohibitio co-habitationis certo non infertur in schemate *contra* Sacerdotes saeculares; sed *pro disciplina religiosa* servanda. Sicut in aliis locis non admittitur huiusmodi cohabitatio, nisi per rarissimam exceptionem, eadem disciplina, inquantum fieri potest, observanda est etiam in locis Missionum et quidem, sine iniuria pro clero saeculari: sacerdotes saeculares et religiosi constituunt duos *status*, iuridice distinctos, cum proprio modo vivendi.

ii) Sane, bene intelligitur quod in locis Missionum, cohabitatio ista potest esse haud raro non tantum utilis sed necessaria. Propterea in schemate *non est prohibitio cuiusvis cohabitationis*, ut observatio Em.mi Relatoris et aliorum deinde videtur supponere: sed *consulte* Commissio dixit: « *in eorum* (saecularium) *domibus* cum ipsis cohabitare, ut non excluderetur cohabitatio sacerdotum saecularium in *domibus religiosorum*: in suis domibus enim, religiosi possunt proprias Constitutiones observare, nonobstante praesentia sacerdotum saecularium, ut recte dicit Em.mus Relatore, sed non ita, saltem cum eadem facilitate, in *domibus sacerdotum* saecularium.

— 11 —

iii) Hac *distinctione retenta,* prohibitio haec quae de cetero neque est absoluta, non est nimis severa; et, experientia facta, etiam valde opportuna. Quare, in hoc, textus non est immutandus. De cetero, Schema Commissionis de Missionibus, Fasciculo « De Disciplina Cleri », loquitur tantum « De cleri saecularis vita communi », sine relatione ad cohabitationem cum religiosis.

III. *Observ.*: Circa idem argumentum *De cohabitatione*:

A) « P. 7, lin. 8: Paragraphum potest interpretari ut clericis saecularibus iniuriosus. Quia res parvi est momenti, omittatur » (Card. SILVA).

B) « Adhaereo iis quae ab Em.mo Card. Léger dicta sunt de cohabitatione sacerdotum saecularium cum missionariis religiosis, quae videtur potius fovenda quam prohibenda » (Card. DI JORIO).

C) « De cohabitatione cleri religiosi et cleri saecularis textus posset esse minus durior " nequeunt " » (✠ LEFEBVRE).

D) « Prohibitio cohabitationis missionarii religiosi cum sacerdotibus saecularibus, de qua in schema " de missionibus " pagina septima linea octava, non placet » (✠ BERNARD).

Respondetur: Hae omnes observationes procedunt, neglecta distinctione facta supra in Resp. ad Observ. II (Léger) ii): qua retenta, prohibitio neque est absoluta, neque durior vel iniuriosa: sed simpliciter recta est disciplina, ut religiosi remaneant, etiam in missionibus, tales.

IV. *Observ.*: SÉPINSKI: « A) Ad pag. 7, lin. 18-19: pressius dicatur: " rem Superiori Ecclesiastico missionis exponat ".

B) Ad pag. 7, lin. 25: clarius dicatur: " Superior Ecclesiasticus vero " ».

Respondetur: De hac denominatione actum est in Resp. ad Observ. III (O'Connor), supra pag. 3, ii), iii), et iterum ad

— 12 —

Observ. II (Léger), sup. pag. 10, qua concluditur denominationem « Superior Missionis » esse praeferendam. Sic respondetur ad A) et B).

ART. 133

I. *Observ.*: SÉPINSKI: « A) Linea 30-31 (pag. 7): item " Superioris Ecclesiastici ".

B) Ad pag. 7, lin. 36: item " Superiori Ecclesiastico " ».

Respondetur: De hoc iam actum est in Responso praecedenti.

ART. 134

I. *Observ.*: RUFFINI (concordant: Quiroga, McKeefry, Godfrey): « Pag. 8, lin. 12 s.: " In locis Missionum Religiosos operibus artis conficiendis vacare, mihi non placet " ».

Respondetur: Certo id evenire non potest nisi per modum exceptionis, praesertim in certa arte indigena quam Ecclesia vult missionarios promovere; res affertur hic tantum ad exemplum.

II. *Observ.*: SILVA: « Pag. 8, lin. 1-16: " Suadetur omissio. Res non sunt dignitati Concilii consentaneae " ».

Respondetur: Sunt tamen res necessario inculcandae, ut experientia docet, et quidem inculcandae auctoritative ut hae normae effective observentur ab omnibus: ideoque, opportunum est ut a Concilio edantur.

III. *Observ.*: COORAY: « A) Placet iuxta modum. Modus est sequens: debebam aliquid dicere de iis quae tractata sunt in n. 134 de stipendiis missarum et de iuribus stolae, ad patefaciendam mentem et problemata quaedam Episcoporum nostrae provinciae. Sed iam hac de re tractatum est quando agebatur de Missionibus et quidem " de Disciplina cleri ". Unde optandum est ut recognoscatur hic numerus et etiam totum decretum collatis observationibus ibi factis. Claritatis causa quaedam adnotationes in scriptis trado.

B) Pag. 8, lin. 5 et sq. Si honoraria Missarum ac iura stolae sodalium cedi debent Superiori religioso, plura exinde incommoda consequentur:

1) Disparitas inter sacerdotes saeculares et religiosos: nam iuxta ea quae dicta sunt ad QQ de Missionibus in Schemate " de

— 13 —

Disciplina Cleri ", sacerdotes saeculares haec emolumenta cedere debent aerario communi dioecesano.

2) Gravamen nimis onerosum aerarii dioecesani: absque stipendiis Missarum et iuribus stolae permultis in Missionum locis redditus stationum haud sufficiunt ad sustentationem sacerdotum, multo minus ad missionis progressum fovendum. Unde nihil supererit Episcopis agendum nisi recurrere ad S. Congregationem de Prop. Fide pro subsidiis amplioribus.

3) Causa esset admirationi, imo scandali fidelium, si isti scirent religiosos praeter plenam sustentationem, etiam stipendia Missarum et iura stolae tamquam emolumenta personalia percipere.

Unde stipendia Missarum et iura stolae cedi debent ut partem redditus ad sustentationem sacerdotum destinati.

C) Haec declaro non ex incuria de necessitatibus institutorum religiosorum qui tantum fructum in locis missionum afferunt propriis laboribus, sed propter veram et sinceram difficultatem Episcoporum missionariorum qui generatim apud gentes pauperrimas in vinea Domini laborant. Ita sentiunt omnes Episcopi provinciae nostrae. Si deest sufficientia pecuniaria pro missione, religiosi missionarii una manu destruunt quae alia manu aedificant.

D) Quantum ad necessitatem Institutorum religiosorum, aliter hic de rebus providendum esset consulto etiam Eminentissimo praesule Congregationis de Propaganda Fide ».

Respondetur: Ad A) De schemate cum illo de Missionibus concordando, iam actum est in Resp. ad Observ. I (Pizzardo) pag. 3, et VIII (Alter), pag. 6, retinendo quod talis concordantia non debet esse simplex compromissum in damnum praesentis schematis.

Ad B) i) Praemittendum est normam in hoc art. 134, lin. 5-6 statutam, scilicet: « honoraria SS. Missarum et iura stolae non missioni sed secundum Constitutiones missionario vel instituto cedunt », non esse *novitatem* in iure Missionali: In « Statuto *Missionum* » enim particulari Congregationum iam habetur: et in nostro, sic exprimetur:

« 37. *Honoraria SS. Missarum et iura stolae ad peculium Congregationis pertinent* ».

Hoc habetur tum in editione anni 1912, tum in alia revisa 1934, semper facta cum approbatione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide. Idem habetur in aliis statutibus pro Mis-

— 14 —

sionibus. Unde nihil habetur in Schemate neque *contra* ius, neque *praeter* ius: sed est omnino *secundum ius missionale.*

ii) Ad rem rite assequendam, retinendum est quod iuxta *ius commune,* eleemosynae Missarum sunt *fructus omnino personalis* Sacerdotis celebrantis et applicantis missam, et *adeo inviolabilis,* ut excludatur *ius* Ordinarii loci tributum imponendi « super eleemosynis Missarum sive manualium sive fundatarum » (can. 1506, *C.I.C.*). Neque intra dotem *beneficii* computandae sunt, eo quod beneficium debet esse sufficiens ad congruam sustentationem; et in hoc est differentia cum « iuribus stolae » quae ad dotem beneficialem constituendam conferri possunt (cfr. can. 1410).

iii) Ideoque, Eleemosynae Missarum, secundum ius, pertinent ad sacerdotem celebrantem, non devolvuntur ad Ordinarium loci: salvo caso binationis, cum sacerdos, sine indulto, ius non habeat ad secundum stipendium missae, excepto die Nativitatis Domini.

Hoc ius *fundamentale* de honorariis Missarum non mutatur in locis missionum, nisi per peculiares dispositiones. Ideoque ibidem sustinetur ita ut eleemosynae missarum a sacerdote celebrante percipiendae sunt, et si ille sit religiosus, ab eius Instituto secundum Constitutiones, ut habetur in schemate.

Porro non apparet valida ratio hoc ius *commune* mutandi, licet in certis casibus, quaedam accommodatio intervenire possit, et de facto ita factum est, inter Ordinarium et Superiores religiosos *consentientes,* secundum quam *pars* eleemosynarum Missarum *cedebantur* Ordinario.

iv) *Prima ratio* ab Exc.mo Relatore allata contra normam Schematis, est « Disparitas inter sacerdotes saeculares et religiosos » (cfr. sup. pag. 12, B, 1).

Respondetur:

a) Est etiam disparitas inter sacerdotem saecularem extra locos Missionum et sacerdotem in locis Missionis, si huic denegatur ius percipiendi eleemosynas Missarum: num poterit semper observari?

b) Quaedam disparitas quidem invenitur in eo quod dum sacerdos saecularis eleemosynas Missarum Ordinario loci cedit, missionarius religiosus proprio Superiori eas tradit. Sed huiusmodi disparitatis *validae* sunt *rationes.* Imprimis, discrepantia est etiam inter statum iuridicum utriusque sacerdotis: sacerdos saecularis Vicariatui Apostolico vel Dioecesi missionali est *incardinatus;* dum missionarius religiosus proprio Instituto remanet

— 15 —

adscriptus (cfr. can. 111, § 2), licet operam suam in bonum Missionis gratuite praestet. Insuper, plerique sacerdotes saeculares educati fuerunt sumptibus Missionis: quae ratio affertur in ipso Schemate de Missionibus: « De Disciplina Cleri », pag. 9: « ... in hoc casu necessarium erit ut sacerdos (saecularis, de quo *solo* loquitur schema) praesertim qui, forsan inde a Seminario Minore, sumptibus Missionis educatus est... »; e contra, missionarius Religiosus proprii Instituti sumptibus plerumque educatus est, sine ullo contributo ex parte Missionis: unde omnino aequum est ut et ipse ad novos missionarios praeparandos contribuere valeat, eleemosynas Missarum Instituto conferendo. Neque praetereundum est quod sicut generales sumptus regiminis Missionis ab ipsa Missione sustinentur, etiam aequum est ut regimini Instituti, quod missionibus adlaborat, et ipsi missionarii religiosi inquantum possunt subveniant. Ideoque, haec disparitas, aliunde non exaggeranda, quae validis iustificatur rationibus, est omnino aequa, minime odiosa propptereaque convenienter retinenda.

De cetero, ut supra dictum est; quandiu sacerdotes saeculares privari poterunt propriis eleemosynis Missarum quibus ceteri sacerdotes saeculares extra locos missiones fruuntur?

Quoad autem ceteros Missionis reditus, est perfecta paritas inter saeculares et religiosos qui eos debebunt conferre Aerario communi, si de facto hoc institutum fuerit.

v) *Secunda ratio* est veluti instantia prioris: *necessitas Dioecesis.*

a) Conceditur quod in Missionibus (et frequentissime etiam extra missiones) aerarium dioecesanum ultra modum gravetur: ita ut non valeat omnia opera bona congruenter sustinere et minus adhuc promovere pro suo zelo apostolico Bonus Pastor.

b) Sed admitti debet etiam quod aerarium Institutorum missionalium non solum valde gravatur; sed saepe fere vacuum remanet. Et tamen habet obligationes pecuniarias sustinendas, descriptas in ipso *statu Missionum;* et praeterea habet suas domus *formationes* sustinendas, e quibus missionarii proficiscuntur! Unde possit has expensas necessarias facere, si privetur eleemosynis Missarum, cum a Superiore Missionis missionarii accipiant tantum *sustentationem,* sed nullum *stipendium!*

Ergo, retentio eleemosynarum est *necessitas* pro institutis; et ultimatim in ipsum bonum missionis vertit: nam si institutum defectu subsidiorum *depereat,* neque poterit missionarios mittere!

— 16 —

vi) *Tertia ratio* desumitur ex possibili *scandalo* passo ex parte fidelium (cfr. pag. 12, B, 3).

Si fideles ob hoc scandalum patiantur, est quia non recte instruuntur: nihil scandalosum esse potest in eo quod Religiosi percipiunt *id quod suum* est, illoque utuntur non ut melius et iucundius vivant, sed proprium Institutum sustineant quod in bonum missionis et ipsorum fidelium vires impendit et ipsos missionarios praeparet.

De iis fideles instrumento, eorum conscientia conformabitur ad genuinum sensum iustitiae et aequitatis, deposita erronea rerum aestimatione.

Ad C) Exc.mus Relator suam mentem declarat « non ex incuria de necessitatibus institutorum religiosorum... sed propter veram et sinceram difficultatem Episcoporum missionariorum... » (cfr. sup. pag. 12, C).

Optime: eodem sensu animi etiam Commissio normam art. 134 statuit: non ex incuria de necessitatibus Ordinariorum locorum... sed propter veram et sinceram difficultatem Institutorum. Unde remanet quod bonum pro utroque, Ordinario et Instituto, est ex aequo quaerendum, tribuendo cuique suum, prae oculis habendo quod religiosi missionarii non quaerunt stipendia: sed sustentationem et eleemosynas Missarum cum iuribus stolae, quae sibi de iure competunt.

Ad D) Exc.mus Relator suggerit, « quantum ad necessitatem Institutorum religiosorum (ut) aliter his de rebus providendum esset... » (cfr. pag. 13, C).

Sed *quomodo?* Religiosi alios reditus non habent nisi *superfluum* stipendiorum, quod obtinent parce vivendo, et eleemosynas missarum seu iura stolarum. Cum in Missionibus stipendia non percipiant, quomodo suis necessitatibus providere poterunt si etiam eleemosynas missarum cedere debeant? Norma normalis proinde, non est mendicare apud S. Congregationem de Propaganda Fide, ut suggerit Exc.mus Relator: sed retinere id quod suum est.

Concludendo hoc possumus dicere: Ea quae in responsis deducuntur, valent praecipue et *absolute* pro eleemosynis Missarum quarum perceptio est *ius inviolabile sacerdotis celebrantis*, ut dictum est (pag. 14).

Quoad *iura stolae* autem, prae oculis habendum est quod in plurimis Missionum Stationibus de facto nec cognoscuntur: quia Missionarii suum ministerium gratuito praestant; vel ita minima sunt ut reapse futile esset de iis rationem habere ideoque legem ferre. Sicubi vero, in quadam Statione aut quasi-paroecia, ob

— 17 —

praesentiam alicuius familiae aut personae conspicuae, dantur revera eleemosynae seu praestationes quae iuri stolae aequivaleant, casus praevideatur in conventione de qua superius sermo fit.

IV. *Observ.*: LEFEBVRE: « De re oeconomica, Instituti religiosi debent invitari relinquere Missionibus pauperibus quod stricto iure eis competit ».

Respondetur: Instituta religiosa possunt cedere quod stricto iure sibi competit, dummodo id facere possunt sine gravi damno. De facto, scimus quod id fit, saltem secundum *mensuram* possibilem: si non ex toto, saltem ex parte, ita ut valeant opus suum missionale continuare.

V. *Observ.*: D'ALTON: « Anceps haero de iis quae dicuntur, paragrapho 154 de iuribus stolae. Melius esset, ni fallor, ut iura stolae cederent ipsi missioni ».

Respondetur: De hoc provisum est in Resp. ad Observ. III (Cooray), in fine, pag. 16, « *Concludendo* ».

ART. 135

I. *Observ.*: LÉGER (concordant: Quiroga, McKeefry, Graner, Bazin): « A) Quando in territorio missionis sunt alii religiosi, clericales vel laici, ac religiosi Instituti cui Missio ipsa concredita est, tunc semper est absolute necessaria conventio inter Superiorem Ecclesiasticum et Superiorem maiorem istorum religiosorum. Hoc principium valet pro Sororibus et Fratribus. Ex absentia talis conventionis difficultates facile possunt oriri, specialiter quando Missio ipsa datur clero locali seu nationali.

B) In fine schematis quaestio est de statu missionariorum quando Missio ipsa aufertur ab Instituto cui commissa est. Ordinarie magnae difficultates possunt haberi in hoc momento. Inde, in ipsa conventione absolute necessaria inter Superiorem ecclesiasticum et Superiorem maiorem Instituti, semper debet esse mentio de statu futuro omnium missionariorum quando Missio ipsa nondum erit commissa Instituto extraneo ».

Respondetur: i) Iuxta votum Em.mi Relatoris providetur in schemate *concordato* inter Commissionem Episcoporum et Commissionem Religiosorum, art. 15 (Commissio operis ab Ordinario loci *conventione facienda*): quae norma apostolatus, valet etiam in locis missionum quae non sunt concreditae pro-

— 18 —

prio Instituto. Norma, insuper, est generalis, valet sive pro sacerdotibus, sive pro fratribus et sororibus.

ii) Hic articulus 135 non applicatur tantum quando Missio alicui Instituto concredita ab eodem subtrahitur; sed universaliter, quandocumque religiosi adlaborant in Missione aliqua proprio Instituto non concredita vel quando in talem missionem primo adveniunt.

iii) Transitus autem ab uno statu iuridico ad alium non est in conventione necessario inserendus. Primo, quia, hoc est definitum ab ipso iure vel iurisprudentia: cessante commissione, institutum cadit sub regimine commune missionum. Secundo, ut supra dictum est, quando aliqua missio alicui Instituto concreditur, specialis conventio non est necessaria: quia omnia providentur sive in Instructione S. Congr. de Prop. Fide d. 8 dec. 1929, sive in *Statuto Missionum* ab eadem S. Congregatione approbato: quo casu deest conventio qua talis provisio inseri posset.

Ex experientia constat quod huiusmodi transitus fit sine seria difficultate: quia tandem, fit auctoritate Sanctae Sedis.

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, significare an textus huius partis schematis sit sufficienter emendatus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

B) *PROCESSUS VERBALIS*

Il giorno 18 luglio 1962 alle ore 10 nell'abitazione dell'Em.mo Card. Clemente Micara al Palazzo della Cancelleria si riunisce la Sottocommissione degli Emendamenti con la partecipazione degli Em.mi Cardd. Clemente Micara, Giacomo Copello, Carlo Confalonieri e Michele Browne, sotto la presidenza del Card. Carlo Confalonieri.

Segretario: Mons. Vincenzo Fagiolo. Assenti: Cardd. Frings, Léger, Siri. Relatore: Card. Michele Browne.

Dopo la preghiera di rito *il Card. Presidente* saluta gli Em.mi Membri e prega il Card. Browne di iniziare la sua relazione.

Il Card. Michele Browne: È all'ordine del giorno l'emendamento dello schema *De Religiosis*; non tutto lo schema, perché in gran parte è stato già emendato; restano infatti da emendare il fascicolo primo, che comprende i capitoli da uno a cinque, il fascicolo sesto (capp. XVI, XVII, XVIII), il settimo (capp. XIX, XX, XXI, XXII), l'ottavo (capp. XXIII, XXIV, XXV), il nono (capp. XXVII, XXVIII), il decimo (capp. XXIX, XXX, XXXI) e l'undicesimo (cap. XXXII).

Il fascicolo primo tratta *De statu perfectionis adquirendae in genere; Tres species status perfectionis adquirendae; De diversis formis status perfectionis adquirendae et de erroribus repellendis; Habitudo statuum perfectionis adquirendae ad Ecclesiam; Excellentia status perfectionis adquirendae et errores repellendi.*

Presso la Commissione Centrale questo fascicolo ha dato luogo a numerose osservazioni generali da parte dei Cardinali Pizzardo, Aloisi Masella, Cicognani, Liénart, Spellman, Frings, Ruffini, Siri, Léger, Montini, Cento, König, Richaud, Döpfner, Marella, Silva, Coussa, Bea, e gli Ecc.mi O'Connor, Lefebvre, Hurley, Perrin, Thûc, Suhr, Janssens, Salmon.

Il Card. Browne espone le dette osservazioni generali, riportando dopo ognuna la risposta data ad esse dalla Commissione dei Religiosi. Quindi l'Em.mo riferisce le osservazioni particolari e le singole risposte ad esse date.

La Sottocommissione, dopo l'esposizione del Card. Relatore, ha preso atto delle correzioni e cambiamenti introdotti nel testo del primo fascicolo, facendo però voti che la materia venga ridotta; ed in particolare ha osservato che al n. 27: «Hierarchia interna status perfectionis adquirendae», deve esser tolto il concetto ed il senso della doppia gerarchia.

Quindi l'Em.mo Browne, Relatore, prende in esame il fascicolo sesto che comprende i capitoli XVI-XVIII, iniziando dalle osservazioni generali. Sull'osservazione fatta dal Card. Spellman (cf. p. 9 h) di tutelare il segreto sulle cose

di coscienza e di non deflettere dalla norma del can. 530, *il Card. Micara* dice di non accettare la risposta della Commissione dei Religiosi che vorrebbe deflettere da quella norma. Gli altri si associano.

Il Card. Browne riprende l'esposizione delle osservazioni e delle risposte ad esse date dalla Commissione, seguendo l'ordine della posizione; osserva che le risposte della Commissione dei Religiosi sono generalmente pertinenti e ben fatte.

La Sottocommissione accetta la proposta di Silva Santiago di riservare il nome «seminario» ai seminari diocesani, escludendolo per gli Istituti di studio e formazione dei religiosi.

Al n. 49 *il Card. Browne* vorrebbe aggiungere: «prundenter utique sese gerendo et cum perfecto obsequio erga instructiones S. Sedis»: la proposta non viene accettata, perché il numero già finisce in tal senso.

Al n. 53: «De institutione religiosa: quae praestare debet», propone di mettere: «quam maxime» al posto di «etiam» dell'aggiunta.

La proposta viene accettata.

Su questo fascicolo non vengono fatte altre osservazioni, per cui resta approvato con le emendazioni introdotte.

Il Card. Relatore passa quindi all'esame del fascicolo settimo (capp. XIX-XXII), seguendo lo stesso ordine di esposizione. Nessuna osservazione viene fatta: la Sottocommissione accetta le risposte e le spiegazioni della Commissione dei Religiosi con le correzioni fatte al testo, che resta perciò emendato.

Viene approvato anche il testo del fascicolo ottavo (capp. XXIII-XXV) senza modifiche: dopo l'esposizione del Card. Relatore, tutti si dicono soddisfatti delle spiegazioni e non propongono altre modifiche.

Quindi *il Card. Browne* passa all'esame del fascicolo nono (capp. XXVI-XVIII), seguendo lo stesso ordine di esposizione: osservazioni e risposte.

Viene proposto che il termine clero «secolare» venga lasciato e di non usare quello di clero «diocesano», poiché questo secondo termine può essere comprensivo di tutto il clero, sia regolare che diocesano.

Il testo del fascicolo viene perciò approvato.

Quindi *il Card. Relatore* passa all'esame del fascicolo decimo (capp. XXIX-XXXI) riferendo le singole osservazioni e risposte.

Sull'art. 117: «De confessario occasionali», si apre una discussione, alla quale tutti prendono parte per rilevare chi la chiarezza delle norme, chi il radicale cambiamento con il passato, chi i benefici spirituali che se ne possono sperare, concludendo per l'accettazione del numero nel suo testo originario e integrale.

Sull'art. 122 «De lingua vernacula permittenda in Officiis», *il Card. Confalonieri* propone di togliere «monialibus exceptis»; e la proposta viene accettata.

Sul capitolo XXXI: «*De sacerdotibus aliisque religiosis qui defecerunt*», si è tutti d'avviso che non è il caso di parlare facendone un capitolo a parte, ma basta inserire i nn. 123-127 al posto dove è stato suggerito dalla Commissione dei Religiosi.

Non vengono fatte altre osservazioni ed il testo viene perciò approvato con gli emendamenti in esso introdotti.

Il Card. Browne passa quindi all'esame dell'ultimo fasciolo, l'undicesimo: *De Missionibus*, riferendo le osservazioni generali dei Cardd. Pizzardo, Godfrey, Spellman, Câmara e degli Ecc.mi O'Connor, Bazin, Thûc, Alter, e quindi quelle particolari ai nn. 129, 130, 131, 132, 133, 134, 135.

Il Card. Confalonieri propone di passare questo fascicolo allo schema *De Missionibus*, o almeno cercare di concordarlo con esso. La proposta piace ai Cardd. Micara, Copello e Browne.

Termina così il lavoro di emendamento di questo schema *De Religiosis*.

A conclusione però tutti gli Em.mi Membri ripropongono di suggerire alla Commissione dei Religiosi di ridurre lo schema alla parte fondamentale ed essenziale, lasciando il resto alla prossima codificazione o alla S. Sede.

Fatta la preghiera di rito, la seduta viene tolta.

SESSIO XIV

(20 Iulii 1962)

A) *DOCUMENTA*

1

Rev.mus D. AUGUSTINUS MAYER

Secretarius commissionis de studiis
et seminariis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO
DE STUDIIS ET SEMINARIIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 397/62

E Civitate Vaticana, die 18 giugno 1962

Ill.mo e Rev.mo Monsignore,

Come Ella ben sa tutti gli schemi di decreti preparati da questa Commissione sono stati già discussi dalla Commissione Centrale.

Sarebbe nostro vivo desiderio potere avere al più presto possibile le osservazioni fatte dagli Eminentissimi, Eccellentissimi e Reverendissimi Membri della Centrale, particolarmente quelle proposte nei riguardi della Costituzione *De sacrorum alumnis formandis*. Poiché infatti i relatori dei nostri argomenti sono in prevalenza professori di Università ed Eccellentissimi Vescovi, durante il prossimo mese di luglio per essi è più facile trovare il tempo disponibile per lo studio delle osservazioni e proposte.

Nella sicurezza che Ella vorrà benignamente prendere in considerazione la

presente richiesta, La ringrazio anticipatamente e mi confermo con sensi di particolare stima ed ossequio

della Signoria Vostra Ill.ma e Rev.ma
devotissimo nel Signore
AGOSTINO MAYER, *segr.*

Ill.mo e Rev.mo
Mons. Vincenzo FAGIOLO
Segretario della Sottocommissione degli emendamenti

2

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 272/SE

E Civitate Vaticana, die 22 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 18 e 19 c.m.,[1] in vista degli emendamenti da apportare agli schemi *De Apostolatu laicorum*.[2]

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre, l'Eminenza Vostra Reverendissima è pregata di far esaminare le proposte stesse dal Segretario della

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 526-564; 600-621; 845 ss.

[2] *Schema constitutionis de apostolatu laicorum*. Prooemium generale et pars I: *Notiones generales*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 50.

Pars II: *De apostolatu laicorum in actione ad regnum Christi directe provehendum*, 1962, pp. 51.

Pars III: *De apostolatu laicorum in actione caritativa*, 1962, pp. 18.

Pars IV: *De apostolatu laicorum in actione sociali*, 1962, pp. 48.

In *Acta et Documenta...Series II*, vol. II, pars IV, pp. 468-520; 565-597; vol. III, pars II, pp. 303-388.

Commissione, cui Ella presiede, dal Redattore dello schema, cui gli emendamenti si riferiscono, e da un esperto di Sua fiducia, con il compito di riferire quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed indicare i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine.

Già ringraziando bacio umilissimamente le sacre Mani e con i sensi della più profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Fernando CENTO
Presidente della Pont. Comm. dell'Apostolato dei laici

3

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 273/SE

E Civitate Vaticana, die 22 giugno 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 12 e 13 c.m.,[1] in vista degli

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 63-110; 136-157; 176-219; 835 ss.

emendamenti da apportare agli schemi *De Sacrorum alumnis formandis,*[2] *De Scholis catholicis*[3] et *De obsequio erga Magisterium Ecclesiae in tradendis disciplinis sacris.*[4]

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre già comunicate a Codesta Commissione in data 27 marzo scorso,[5] questa Sottocommissione desidera sapere quali degli emendamenti proposti siano da accogliere ed i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine.

Già ringraziando bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Giuseppe PIZZARDO
Presidente della Pont. Comm. degli Studi e Seminari

---

[2] *Quaestiones de studiis et seminariis. Schema constitutionis de sacrorum alumnis formandis*:

Prooemium. Caput I: *De seminariorum ordinatione generali*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 19.

Cap. II: *De institutione spirituali*, 1962, p. 19.

Cap. III: *De disciplina in seminariis*, 1962, p. 14.

Cap. V: *De institutione pastorali in seminariis.* Cap. VI: *De formatione post seminarium perficienda*, 1962, p. 23.

In *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 24-58; vol. III, pars II, pp. 79-122.

[3] *Schema constitutionis de scholis catholicis,* Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 36: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 110-133; vol. III, pars II, pp. 140-163.

[4] *Schema decreti de obsequio erga Ecclesiae magisterium in tradendis disciplinis sacris*:

Caput I: *Notiones fundamentales*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 11.

Caput II: *De ratione docendi Sacram Scripturam*, 1962, pp. 11.

Cap. III: *De doctrina S. Thomae servanda*, 1962, pp. 17.

In *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 157-173; vol. III, pars II, pp. 164-180.

[5] Cf. pp. 90-91.

4

EM.MUS IOSEPH CARD. PIZZARDO
Praeses commissionis de studiis et semimariis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE STUDIIS ET SEMINARIIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 415/62

E Civitate Vaticana, die 9 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Ho l'onore di trasmetterLe le risposte alle osservazioni proposte dai Membri della Pontificia Commissione Centrale riguardo allo schema della Costituzione *De Scholis Catholicis* preparato da questa Commissione.

Dette risposte sono state raggruppate in due fascicoli di cui il primo contiene l'esame delle obiezioni, mentre il secondo comprende gli emendamenti del testo accettati.[1] Inoltre viene accluso un esemplare del decreto stampato cui sono state inserite le varie modifiche.

Sarà mia premura inviare a Vostra Eminenza Reverendissima al più presto possibile le risposte concernenti gli altri schemi.

BaciandoLe umilissimamente le Mani, mi confermo con sensi di profonda stima

dell'Eminenza Vostra Rev.ma servitor vero
GIUSEPPE Card. PIZZARDO, *pres.*
AGOSTINO MAYER, *segr.*

Sua Eminenza Reverendissima
Il Sig. Cardinale Carlo CONFALONIERI,
Presidente della Sottocommissione,
Centrale degli emendamenti degli schemi

---

[1] Commissionis responsiones editae sunt in fasciculo *De emendatione schematum constitutionum De sacrorum alumnis formandis et De studiis ecclesiasticis atque scholis catholicis. Pars II*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 38 ss.: cf. pp. 457-483.

ADNEXUM

Schema emendatum constitutionis
DE SCHOLIS CATHOLICIS[1]

1. [*Prooemium*]. – Divini Magistri praecepto «Euntes... docete» (*Mt.* 28,18) fideliter obsecuta, Ecclesia Christi, Matrem, Magistram et Educatricem omnium populorum semetipsam agnoscens,[2] nihil antiquius sibique carius umquam habuit quam per rectam integramque educationem ac institutionem filios suos «in mensuram aetatis plenitudinis Christi» (*Eph.* 4,13) adducere. Quod munus Ecclesia inde ab ipsis vitae suae exordiis praeprimis divini verbi praedicatione atque assidua doctrinae christianae institutione seu catechesi semper adimplere studuit. Quibus decursu temporum, maternae sollicitudinis amore ac intuitu ducta, alia in christiano populo efformando adiunxit subsidia, inter quae potissimas partes agebant et agunt catholicae scholae.[3]

Quandoquidem autem hisce nostris temporibus integralis educationis beneficium apud omnes populos et coetus quam maxime appetitur, cum neminem lateat educationem esse viam ad dignitatem humanam tuendam et ad populorum progressum provehendum, Ecclesia Catholica, cunctas gentes materna sollicitudine amplexa, omnes homines, civium consociationes seu corporationes atque publicas imprimis auctoritates enixe hortatur, ut germano fraternae necessitudinis sensu ducti populorum necessitatibus, non solum materialibus sed potissimum spiritualibus sublevandis efficaciter consulere satagant.

Ispa vero Ecclesia, Oecumenico Concilio congregata, educationis et scholae causam in omnium populorum beneficium promovere cupiens, dolenti animo animadvertit in campo educationis tot doctrinas late grassantes non solum divinae revelationis principiis, sed rectae etiam rationis postulatis ipsique humanae dignitati adversari, non paucos quoque ipsius Ecclesiae filios catholicam in re doctrinam magno cum conscientiarum periculo ignorare.[4] Ideo haec Sancta Oecumenica Synodus, Romanorum Pontificum ac potissimum Pii Papae XI exempla tenens, statuit firma doctrinae christianae de scholis principia denuo declarare, iterum inculcare atque ut in praxim efficacius deducantur providere.[5]

I – *Praecipua educationis principia*[6]

2. [*Subiectum passivum educationis*].[7] – Peropportunum autem Patribus visum est in mentem revocare praecipua doctrinae capita circa educationem, quae scholarum catholicarum primarium finem constituit.

In primis, tamquam omnium fundamentum, firmiter tenendum est hominem in praesenti ordine salutis non solum finem temporalem, in humano consortio consequendum, sed finem quoque personalem habere, quo scilicet cuiusvis humanae societatis fines transcendit, solique deo subest; ac praeterea, in praesenti ordine salutis, ad supernaturalem finem, personalem ac aeternum, infinita Dei bonitate, esse vocatum. Quapropter quaevis recta educandi ratio hoc sibi imprimis proponere debet, ut hominem ad illam perfectionem perducat, quae ad rectam vitam in pleno humanorum iurium exercitio officiorumque observantia gerendam et ad finem ultimum supernaturalem adipiscendum omnino requiritur.[8]

Educatio igitur totum hominem complecti debet: corpus et animam, cum omnibus suis facultatibus et virtutibus, prout ipse in praesenti humani generis condicione invenitur. Qmnes pariter homines cuiusvis aetatis, stirpis, culturae ac condicionis, praesertim vero qui in puerili ac iuvenili aetate versantur, ius primarium ac nativum habent ad illam integralem educationem recipiendam, phisicam nempe, intellectualem, moralem ac religiosam, sine qua fines sibi proprios attingere nequeunt.[9]

3. [*Subiectum activum*].[10] – Munus educationis impertiendae, *cui exequendo cuncti, humanae necessitudinis vinculo coniuncti, operam suam praestare debent*, prae ceteris omnibus ex iure naturali familiae competere, quae verum germanumque educationis sacrarium constituit, Sancta Synodus apertis gravibusque verbis confirmat. Parentes enim, vi muneris ipsis proprii,[11] prolem educandi et gravissima obligatione tenentur et inviolabili iure gaudent,[12] quae eas solas patiuntur limitationes, quas ipsa lex naturalis vel divina positiva postulant. *Quod si parentes quamvis ob causam, prolem educandam scholis, uti plerumque fit, tradere malint, ideo a gravi filios educandi munere sese omnino vacare posse minime existiment, nam, obligatione tenentur non solum optimas suis filiis scholas quaerere, sed etiam magistrorum operam sedula attentione prosequi, rectum filiorum educandorum progressum diligenter probare, omneque ipsius scholae educandi ministerium assiduo iuvare concursu.*

Neque sola Familia, ex lege naturali, educandi officio tenetur, *sed ceteris quoque humanis corporationibus* imprimisque ipsi rei publicae officia et iura, ex natura et amplitudine proprii finis temporalis definienda, hac in re competunt: proprium ac nativum circa ea quae hunc finem consequendum specifice respiciunt; *subsidiarium* vero etiam aliquando cumulativum, quod cetera, cum Civitas, *cuius est bono communi providere, civium* iura et officia defendere, adiuvare et, si opus fuerit, supplere debeat.

Singulari *deinde* ratione et independenter a quavis humana potestate hoc officium et ius ad Ecclesiam spectat, et quidem, quod ad religiosam et moralem educationem attinet, ex positiva institutione divina, cum ipsi infallibile et universale magisterium atque spiritualis maternitatis munus concredita sint a Deo; consequenter vero et ex ipsa lege naturae ius quoque habet quoad ceteros humanae vitae adspectus, etiam ad ordinem naturalem pertinentes: *gratia enim et ordo supernaturalis naturam eiusque ordinationem non destruunt, sed complent et perficiunt, arcteque cum ipsis cohaerent; et Ecclesia, societas perfecta ac independens, finem assequendum habet, qui ex ipsa natura rerum, ius ad educationem integralem, humanam et supernaturalem, impertiendum omnino requirit.*[13]

Cum autem haec tripartiti ordinis munera suapte natura arcte inter se cohaerent, Familia, Ecclesia et Civitas, communi consilio summaque concordia, in educatione impertienda cooperentur oportet, particularibus quoque, si casus ferat, initis conventionibus.[14]

4. [*Falsae sententiae*].[15] – Proinde omnes doctrinae circa educationem, quae hominem a Deo creatum agnoscere nolunt; quae originalem lapsum vel universam humanae redemptionis oeconomiam negant vel ab ea quoquo modo praescindunt; vel quae revelationi divinae doctrinaeque christianae vim educandi eatenus tantum tribuunt, quatenus eas humanae culturae utiles esse existimant, plenum educationis conceptum nequaquam attingunt.[16] Ab eodem educationis conceptu pariter deficiunt ii omnes qui in educatione impertienda aut solas physicas educandi vires respiciunt; aut singulis animae facultatibus exclusivas vel nimias partes assignant; aut qui propriae vel selectae stirpi, iuvenili aetati, vel iis qui ingenio aut divitiis praecellunt, educationem reservant;

aut tandem qui valorum debitam inter se subordinationem seu, quam aiunt, hierarchiam quoquo modo subvertunt.[17] Valde denique errant quicumque, Familiae et Ecclesiae iura negantes, impedientes, vel quovis modo conculcantes, munus educandi potiore vel exclusivo iure Civitati vindicare audent.[18]

II – *Scholae catholicae momentum et dotes*

5. Ut Ecclesia munus educandi populos, divinitus sibi concreditum, rite expleret, pro diversorum temporum condicionibus, scholas aperire, Studia Generalia condere, Religiones, Societates et Instituta, necnon laicorum consociationes educationis ministerio dedita, approbare atque erigere numquam destitit, ita ut, teste historia, ipsa semper liberalissimam scholae matrem atque patronam sese exhibuerit.[19]

Etsi vero Ecclesiae in hodierni apostolatus munere explendo tot mira huius aetatis inventa utilissimum praebeant adiutorium, nihilominus instrumentum catholicae educationis impertiendae apprime necessarium et summopere efficax hodie quoque schola catholica demonstratur.[20] Ministerium vero in ea exercitum validam Ecclesiae docendi muneri operam conferre verumque apostolatum modernis necessitatibus maxime congruentem constituere apertis verbis Patres profitentur; ideoque sacerdotes, religiosos et laicos, qui in scholis catholicis operam navant, vehementer exhortantur ut in vocatione qua vocati sunt fideliter perseverent.[21]

6. [*Condiciones ad scholam catholicam requisitae*].[22] – Ut autem aliqua schola perfecte catholica dici possit minime sufficit ut in ea aliqualis instructio religiosa tradatur. Ea dumtaxat schola perfecte catholica est censenda in qua tota instructio ac doctrina, eiusque ordinatio tota, nempe magistri, studiorum ratio, libri ad quamvis disciplinam quod pertinet, ceteraque omnia quae alumnum circumsaepiunt, christiano spiritu, sub ductu maternaque Ecclesiae vigilantia, adeo sint imbuta ut religio ipsa totius instituendi rationis cum fundamentum tum fastigium et finem constituat.[23]

Illae vero scholae catholicae quae *a publica ecclesiastica auctoritate* approbantur vel eriguntur eique plene subsunt,[24] sive ab auctoritate pontificia vel dioecesana directe et immediate, sive mediante auctoritate religiosis familiis aequiparatisque in iure societatibus praeposita hoc fiat,[25] scholae publicae sunt,[26] et stricto sensu scholae Ecclesiae vocantur.[27]

7. [*Scholarum catholicarum perfectio curanda*]. – Summopere igitur curandum erit ut scholae catholicae illas condiciones adimpleant, quae ad educandi munus rite obeundum omnino requiruntur. Ipsae proinde magistrorum peritia ac numero, alumnorum ordine ac disciplina, instituendi ac docendi methodis, paedagogicisque ac didacticis subsidiis ita emineant, ut apud publicam ac privatorum opinionem optima ubique fama gaudeant; praesertim vero sensu ac spiritu christiano praecellant.[28]

Quapropter in scholis catholicis instructio religiosa in maxima aestimatione est habenda. Ipsa nempe primum locum teneat, professoresque vere peritos exemplarique vita christiana commendatos habeat, qui sciant principia religiosa alte mentibus imprimere gravioresque quaestiones et problemata moderna, pro alumnorum captu diversaque aetate, sensu et spiritu christiano ac ecclesiali, solide tractare.[29]

Praeterea in omnibus scholis, praesertim vero in mediis et superioribus, pius ac prudens Director spiritualis constituatur, quem, in morali alumnorum formatione, ceteri adiuvare satagant; qui omnes verbo et exemplo alumnos ad solidiora vitae christia-

nae principia et virtutum opera, persuasione ductos, attrahere studeant, immoderatum independentiae desiderium, recto libertatis usu et amore disciplinae corrigant, amorem et fidelitatem erga Ecclesiam eiusque doctrinas excitent, moralemque eorum ac socialem conscientiam efforment.[30]

Quo fiet ut scholae catholicae, verae educationis palaestrae, non solum erudiant, sed etiam authenticam iuvenum personalitatem christianam effingant atque evolvant; imo, quod eas maxime decet, vocationes sive sacerdotales sive religiosas efficaciter foveant, atque alumnos ita praeparent, ut in rebus tam domesticis quam publicis gerendis, apostolica operositate, praeclarum christianae suae condicionis testimonium omnibus exhibeant.

III – *Familiae et Ecclesiae iura circa scholas*

8. [*Libertas scholae*].[31] – Cum, salvo divino Ecclesiae Magisterio quoad doctrinam fidem vel mores respicientem, veritas commune patrimonium constituat et educatio moralis etiam ac religiosa sit oporteat, libertatemque conscientiae, dummodo bono communi non contradicat, neque in ipso educandi opere violare umquam liceat, docet haec Sancta Oecumenica Synodus libertatem scholae, quae omnium scholarum aequalia iura et officia secum fert, non secus ac ceteras civiles libertates, ad inalienabilia hominis iura pertinere; publicaeque auctoritatis officium esse res ita disponere ut, ad ipsius boni communis emolumentum, parentes et cives, in eligenda schola, hac vera gaudeant libertate.[32] Quare quodvis scholae monopolium, a quavis auctoritate attentatum ex errata opinione circa iurium originem et naturam plerumque procedens, uti omnino iniustum reiciendum est, quippe quod verae, etiam conscientiae, libertati obstet sive quia eam radicitus negat, sive quia, libertatis iure speculative agnito, illud practice inane reddit, aequalia iura, oeconomica subsidia, aliaque beneficia reliquis scholis concedere recusando.[33]

Ast dum Ecclesia hanc humanam libertatem, etiam conscientiae, indefesse ac fideliter tuetur, indifferentismi doctrinae, quae omnes religiones aequales esse propugnat, suffragari nullo modo intendit, neque auctoritatum civilium agendi modum probare, quae indifferentismi placitis positive favent.

9. [*Ius scholas condendi*].[34] – Declarat praeterea Sancta Synodus ius ac officium condendi ac regendi scholas, quatenus ipsae medium educationis impertiendae constituunt, imprimis ad familiam, una cum iure subsidiario scholas libere eligendi, pertinere; dein vero ad Ecclesiam et Civitatem spectare.[35]

Cum autem schola sit etiam medium communicandae veritatis, hoc idem ius aperiendi scholas, salvo semper Magisterio Ecclesiae, et intra limites boni communis, omnibus competit ea ratione et mensura qua veritatis patrimonium possident.[36]

Ecclesia vero hoc ius sibi vindicat imprimis ex institutione divina, quatenus ipsa mandatum accepit docendi omnes gentes, quod directe ad sacras disciplinas, fidem et mores respicientes, pertinet, indirecte vero etiam ad humanas extenditur. Ex lege autem naturali, cum nempe fideles, sive qua singuli, sive qua societate coniuncti, ob christianam suam condicionem, nullum ius amittant, hoc idem ius competit tum singulis christifidelibus eorumque adsociationibus et societatibus, tum praesertim ipsi Ecclesiae, et quidem quoad omnes scholas cuiusvis generis et gradus; idque vel ideo quia universa cultura catholica cognitionem altiorem de Deo, de homine atque de mundo, necnon de hominis ad utrumque necessitudine constituit, quam Universita-

tes catholicae magis in dies elaborant, ceterae vero scholae catholicae alumnis progressive tradunt.[37]

10. [*Ius invigilandi*].[38] – Praeterea vi Magisterii divini Ecclesiae competit ius directum et immediatum invigilandi in ea quae ad fidem et mores pertinent. Invigilabunt proinde pastores ne quid fidei vel moribus contrarium in scholis alumni doceantur.

Curabunt quoque iidem animarum pastores ut, ubi pueri catholici, ob penuriam scholarum catholicarum, scholas neutras vel mixtae religionis, eas praesertim in quibus magistri diversarum confessionum religiosarum docent,[39] frequentare coguntur, opportuna ad pericula arcenda adhibeantur remedia atque eorum instructioni religiosae diligenter provideatur.

11. [*Pueri scholas non catholicas frequentantes*]. – Item sollicite providendum erit educationi religiosae puerorum catholicorum qui scholas non catholicas frequentant, sive per instructionem religiosam ibi tradendam vel a parentibus domi procurandam, de qua gravissima obligatione pastores eos frequenter moneant; sive potissimum per assiduam et bene ordinatam institutionem catecheticam, tam pro pueris quam pro adultis, sub ductu Ecclesiae, statutis temporibus et locis, habendam.

12. [*Coeducatio*]. – Monet tandem haec ipsa Sancta Synodus ut prudens in educatione habeatur ratio diversitatis utriusque sexus et finis unicuique in familia et societate a divina providentia praestituti, ideoque in scholis catholicis in eis praesertim quae mediae dicuntur, coeducatio ne permittatur, nisi peculiaribus causis ab Ordinario probandis et cunctis ad probitatem morum servandam cautionibus adhibitis, iuxta normas ac instructiones ab Apostolica Sede pluries traditas.[40]

IV – *Magistrorum formatio, officia et iura*

13. [*Magistrorum formatio*].[41] – Habent deinde Patres sibi maxime persuasum inter praecipua Auctoritatum ecclesiasticarum, quae rei scholasticae praesunt, munera, adnumerandum esse officium diligenter providendi accuratae magistrorum formationi religiosae, scientificae ac paedagogicae,[42] etiam titulis academicis comprobandae,[43] quam ipsi magistri toto nisu acquirere et in dies perficere tenentur, ut schola catholica finem sibi proprium apte consequi valeat.

Peculiari vero cura professores religionis, sive sacerdotes sive religiosi vel religiosae, sive laici, tam pro scholis quam pro catechetica institutione tradenda, praeparentur; qui non secus ac ceterarum disciplinarum professores, titulis academicis praediti sint oportet. Ad quam formationem in sacris disciplinis rite obtinendam, Instituta superiora et Facultates erigantur, quae iure concedendi titulos academicos seu didacticos ab ipsa quoque auctoritate civili agnitos, polleant.

Insuper haec Sancta Synodus speciali sollicitudine prosequitur magistros catholicos qui in scholis non catholicis docendi muneri incumbunt, eosque enixe admonet, ut in tanto munere laudabiliter exequendo rectae educationi impertiendae indefessam operam navent, erga Magisterium ecclesiasticum semper dociles sese ostendant ac christiana circa educationem et scholam principia probae vitae testimonio imprimis promovere studeant. Quod ut efficacius obtineatur, curent animarum pastores, ut ii magistri peculiari assistentia spirituali fruantur, et, si casus ferat, in Adsociationes, capacitate iuridica etiam civili praeditas, apte coalescant.[44]

14. [*Magistri iura et officia*].[45] – Ut autem sacrum institutionis opus diligenti cura exerceatur, omnino providendum erit ut magistri proprii status iuribus gaudeant, imprimis vero quoad aequam eorum retributionem et rectam veritatis profitendi libertatem. Meminerint tamen ipsi magistri se non proprio nomine agere, sed vices Ecclesiae, parentum et societatis gerere; quapropter in officio suo exequendo non solum, nihil docere vel facere praesumant, quod legitimum delegantium iuri, officio ac voluntati adversetur, verum etiam, maximo erga discipulos amore ac reverentia, assumptum sibi opus perfectius in dies exercere totis viribus conentur.

V – *Scholae catholicae fovendae*

15. [*Scholae catholicae fovendae*]. – Sancta Oecumenica Synodus summopere exoptat et, in quantum rerum ac locorum adiuncta hoc fieri permittunt, praecipit, ut scholae catholicae ubique impense foveantur, sive circa iam existentes meliorem in dies curam adhibendo iuxta huius decreti tenorem, sive novas quam plurimas condendo pro temporum ac locorum necessitatibus.[46]

Quae specialis commendatio valet non solum de infantum asylis, de scholis elementariis et mediis, in quibus totius vitae christianae fundamenta ponuntur, verum etiam de condendis et promovendis Universitatibus, quibus Patres particulari decreto provident, necnon, consideratis hodiernae societatis condicionibus, de scholis quae professionales vel technicae vocantur, atque de institutionibus pro erudiendis adultis. Illae enim optima praebent auxilia ad opificum condicionem sublevandam et ad fidem vitamque christianam contra materialismi athei insidias incolumes custodiendas; in his autem probi viri et optimi patres et matresfamilias formantur, qui recta fidei christianae ac proprii officii conscientia ducti, tum domesticam vitam tum socialem actionem in temporale bonum ac aeternum efficaciter dirigere valeant.[47] Nec parvipendenda est utilitas inceptorum quibus praecipue adulti per epistolarum commercium methodice ordinatum in variis disciplinis ulterius instruuntur, et praesertim instructio ope radiophonii et televisorii, quae maiores in dies partes agunt etiam uti scholarum subsidia.

16. [*Conscientia fidelium et publica opinio efformanda*].[48] Omnia item perficienda erunt ut tam clericorum quam laicorum, eorum praesertim qui diligentiorem apostolatui operam navant, conscientia de momento educationis atque scholae catholicae informetur; sacerdotes utriusque cleri omnesque religiosi, etiam ad ministerium scholarum non destinati, doctrinam catholicam circa educationem et scholam probe noscant, et parentes de hac re deque eorum gravissimo officio necnon de obligatione filios ad scholas catholicas mittendi frequenter moneantur atque edoceantur.

Ad scholae libertatem et educationis iura, in bonum commune, tuenda et provehenda, prae oculis habitis adiunctis historicis et socialibus uniuscuiusque regionis,[49] cuncta praeterea adhibeantur media: prelum aliaque moderna subsidia ad ideas opinionesque divulgandas tantopere efficacia, congressus, pacta cum auctoritatibus civilibus; omnesque coordinentur vires: christifidelium laicorum videlicet apostolica cooperatio, Actio Catholica, Associationes nationales et internationales docentium, parentum, collegiorum, alumnorum et exalumnorum, Associationes quoque civiles, imprimis magistrorum et docentium, necnon actio deputatorum legumlatorum, dein ipsa quoque iura civilia, in comitiis administrativis et politicis exercenda, denique cooperatio cum organisationibus nationalibus et internationalibus.

VI – *Scholae catholicae sustentandae*

17. [*Sustentatio scholarum catholicarum*].[50] – Praeterea munus incumbit Patribus enixe ac paterne admonendi omnes ut prompto animo officium impleant suppeditandi media, quibus scholae catholicae sustententur, ut ipsae revera liberae sint et omnibus, cuiusvis condicionis, imprimis vero pauperibus, pateant.[51]

Sumptus autem ad rem necessarios suppeditare per se quidem parentum est, at debitis per eosdem solutis civitatis taxis, publici aerarii imprimis officium salva semper legitima scholae libertate evadit, habita ratione numeri scholarum, alumnorum ac professorum, naturae quoque ac gradus scholarum ceterorumque quae ad scholas referuntur; ipsa enim iustitia distributiva postulat ut publica pecunia, pro scholarum sustentatione collecta, ad cunctorum scholas sustentandas, aequa quadam ac rata portione, erogetur.[52]

Libenter quidem Sancta Synodus merito honestat laude auctoritates civiles, quae iustitiae distributivae memores, omnibus scholis aequa subsidia tribuunt. Ubi vero res publica hoc officium erga scholas non statales nullatenus vel insufficienter tantum adimpleat,[53] recursus ad quaevis alia legitima media fiat, uti sunt: voluntariae vel fixae fidelium oblationes, Institutorum ecclesiasticorum et civilium certae erogationes, piae fundationes, adsociationes ad scholas catholicas sustentandas erectae, rata pars redituum vel pecuniae ecclesiae, cooperatio gratuita personarum physicarum vel moralium aliaque id genus.[54]

Insuper haec Sancta Synodus, sicut enixe commendat ut ea quae progredientis aetatis inventa utiliter postulant, in scholis catholicis erigendis et gerendis sedulo assumantur, ita omnes quorum interest monet ut oeconomica subsidia pro scholarum sustentatione undequaque accepta, rite administrent et sobrie impendant, ut debita de bono scholarum catholicarum nomine cura habeatur.

VII – *Organisatio centralis et cooperatio*

18. [*Organisatio centralis*]. – Ad facilius et efficacius supradicta omnia obtinenda, Apostolica Auctoritate instituatur organisatio quaedam centralis seu hierarchica omnium scholarum catholicarum in gradu internationali, nationali et regionali seu dioecesano, quae salva semper sana quadam eorum quorum interest autonomia, iuxta regionum postulata et Institutorum religiosorum methodos ac spiritum, problematum omnibus scholis communium diligentem curam atque directionem gerant.[55]

19. [*Universalis cooperatio*]. – Tandem haec Sancta Oecumenica Synodus vehementer omnes hortatur ut mutuam sibi validamque cooperationem praestent.[56]

Curent proinde Ordinarii locorum ac Superiores religiosi apostolicam subditorum operam in bonum animarum arcte inter se coordinare; clerus dioecesanus, familiae religiosae, parentes in educationis opere mutuum sibi adiutorium efficaciter praebeant; omnesque insuper una cum fidelibus, qui operibus apostolatus sese devovent, unanimiter procedant. Impense quoque foveatur cooperatio auctoritatibus civilibus praestanda, atque cum illis organisationibus nationalibus et internationalibus, quae iura hominis, praecipue vero pueri, defendere sincero animo conantur, amica habeatur necessitudo, ut ita non solum iniustae dispositiones vel usurpationes efficacius praecaveantur, sed ipsa quoque christianae instructionis ac educationis causa maius in dies emolumentum capiat.

NOTAE

[...]

5

EM.MUS IOSEPH CARD. PIZZARDO

Praeses commissionis de studiis et semimariis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE STUDIIS ET SEMINARIIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 420/62

E Civitate Vaticana, die 12 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Facendo seguito alla mia ultima del 9 m.c. (Prot. 415/62), mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le risposte alle proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pontificia Commissione Centrale nei riguardi del Prooemium e dei Capp. I *De Seminariorum ordinatione generali*, II *De institutione spirituali*, III *De disciplina in Seminariis* dello schema di Costituzione *De sacrorum alumnis formandis*.[1]

Accludo anche le risposte riguardanti lo schema *De ratione docendi Sacram Scripturam*.[2]

Sarà mia premura di inviarLe, non appena possibile, i pareri di questa Commissione sulle osservazioni proposte in confronto degli altri schemi.

Mi è gradita l'occasione per porgere a Vostra Eminenza i sensi della mia profonda venerazione, mentre baciandoLe umilissimamente le Mani, mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo, um.mo, obb.mo servitor vero

GIUSEPPE Card. PIZZARDO, *pres.*
AGOSTINO MAYER, *segr.*

Sua Eminenza Reverendissima
Il Sig. Cardinale Carlo CONFALONIERI,
Presidente della Pont. Sottocommissione
Centrale degli emendamenti degli schemi

---

[1] Commissionis responsiones typis editae sunt in *De emendatione schematum constitutionum De sacrorum alumnis formandis et De studiis ecclesiasticis atque scholis catholicis. Pars II*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 3-27: cf. pp. 458 ss.

[2] Commissionis responsiones editae sunt in *De emendatione...*, pp. 63-69: cf. pp. 488-491.

ADNEXA

I

Schema emendatum Constitutionis
DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

PROOEMIUM

Divinus Redemptor, ut humani generis redemptionis opera, quam ipse e Cruce pendens consummavit, ad saeculorum usque occasum perpetuaretur, Ecclesiam unici aeternique sacerdotii sui participem esse voluit;[1] Apostolis etenim iisque qui in sacerdotio succederent, potestatem tradidit consecrandi, offerendi et ministrandi suum ipsius corpus et sanguinem, nec non et peccata dimittendi et retinendi[2] eosque constituit Evangelii praecones et novi populi electi duces.[3]

Apostolici vero praecepti «Manus cito nemini imposueris» (cfr. *1 Tim.* 5,22) memor, Ecclesia non solum ius proprium et exclusivum sibi vindicavit futuros altaris ministros instituendi,[4] sed etiam actuosa maternaque sollicitudine provexit, idoneam suorum sacerdotum conformationem.[5] Quod quidem gravissimum munus inde a Concilio Tridentino prosecuta est in Seminariis quibus erigendis adaptandis promovendis impensam devovit curam. Haec igitur Sacrosancta Vaticana Synodus, cum totius Ecclesiae bonum a Seminariis quam maxime pendere sibi persuasum habeat,[6] quaedam statuenda decrevit quibus, secundum venerandas ecclesiasticas traditiones ac nullo semoto certo progressu, tota alumnorum institutio Christi Aeterni Sacerdotis missioni in progredientis aetatis discriminibus explendae securius conformetur.[7]

NOTAE AD PROOEMIUM

[...]

Caput I

DE SEMINARIORUM ORDINATIONE GENERALI

1. [*Seminarii finis*]. – Seminarii est eos qui in spem divini ministerii educantur, sapienter progrediente institutione, sub Episcopi regimine, ita excolere ut Christo Sacerdoti per Ordinis Sacramentum digne configurentur atque ad apostolicum munus sancte obeundum rite praeparentur. In Seminario ergo Dominum Iesum omnes, et qui praesunt et qui subsunt, ante oculos incessanter habeant: moderatores et magistri ut cum Apostolo veraciter dicere possint «Imitatores mei estote, sicut et ego Christi» (*1 Cor.* 11,1); sacrorum alumni ut discipulorum more intimos sensus mentemque Christi Iesu induant, Eius opera imitari incipiant et veri pastores, ad Divini Pastoris imaginem, conformentur.[1]

Seminariorum vero nomine, nulla addita specificatione, ea tantum significantur instituta, quae clero saeculari seu dioecesano efformando destinantur.

2. [*Seminarii variae species*]. – Ad Christi ministros rite efformandos praeter Seminaria maiora pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus praescripta, etiam quae vocantur minora necnon ea peculiaria collegia quae pro locorum adiunctis eidem fini, eadem ratione inserviunt, aptissima sunt et carissima Ecclesiae; quare haec Sancta Synodus, Tridentini Concilii rationes pro pueris et adulescentibus in Seminariis instituendis adhuc validas censens, Episcopis ea enixe commendat. Ut autem huiusmodi adulescentuli a nativo suae domus humo separati in Seminariis apte proficiant, sollertissima cura habenda est, «ut singulorum puerorum indoles cuiusque propria recte conformetur»; itemque «res ipsa postulat, ut, quam pueri in Seminariis vitam ducant, cum communi omnium puerorum vita, quantum potest, congruat»; particulari illorum religiosa conformatione sancte servata.[2]

Particularibus recentioris aetatis conditionibus consulens, haec S. Synodus Ordinarios hortatur ut tardioribus quoque vocationibus, curriculum studiorum mediorum quod attinet, peculiaribus institutis dioecesanis vel regionalibus provideant, aptis ibidem adhibitis methodis, nulla autem circa idoneitatis normas exceptione facta.[3]

3. [*Seminaria interdioecesana et regionalia*]. – Ubi vires singularum dioeceseon non sufficiunt ad sacrorum tirones iuxta Sanctae Sedis praecepta et huius Synodi decreta in proprio Seminario rite instituendos, erigenda fovendaque sunt Seminaria interdioecesana vel regionalia; ea quidem tamquam propria habenda sunt a singulis Episcopis, qui proinde secundum normas a Sancta Sede approbatas in eorum regimine aequa ratione partes habeant aptosque Superiores et Magistros ceteraque subsidia communi nisu ipsius suppeditent.[4]

4. [*Moderatorum et Magistrorum electio*]. – Cum alumnorum institutionis optatus exitus multo magis quam a sapientibus legibus ab educatoribus bonis et expertis pendeat, haec Sancta Vaticana Synodus graviter monet Episcopos ut Seminariorum moderatores et magistros inter optimos eligant, viros ad animos Christo lucrandos eximie aptos, neque timeant eos avocare ab aliis ministeriis quae, quamvis gravia, numquam Seminario sunt anteponenda.[5] Curent insuper, ne praecipue Seminariorum moderatores alienis onerentur officiis

5. [*Moderatorum particularis praeparatio*]. – Etsi in Seminariorum institutoribus innata alios moderandi indoles, ingenium ac potissimum dona gratiae plurimum valeant, tamen, uti iidem gravissimis obligationibus coram Deo et Ecclesia initis satisfacere possint, peculiaris quoque institutio accedat oportet. Exinde, quemadmodum Concilium Tridentinum specificae ipsorum alumnorum institutioni faustissimo cum exitu providit, ita haec Sacrosancta Vaticana Synodus vehementer exoptat, ut non solum qui ad docendum in Seminariis destinantur, sed potissimum ii qui ad Superiorum et Directorum spiritus officia ibidem deputantur, ad tam arduum munus explendum specifica institutione diligenter praeparentur.[6] Curent ergo Episcopi ut quos ex proprio clero iuvenibus levitis moderandis aptiores iudicaverint, tempestive ad ea Instituta mittant in quibus profunda conformatione spirituali, psychologica atque paedagogica possint ditari. Promoveant insuper Rectorum ac moderatorum cuiuscumque nationis vel regionis periodicos conventus in quibus sub Episcoporum ductu Seminariorum educatores fructus experimento ac usu collectos inter se communicent ac quomodo progredientis aetatis necessitatibus aptius consulatur communia conferant consilia.[7]

6. [*Moderatorum ac Magistrorum dotes*]. – Ut sacrorum alumni Iesu Christi Sacerdotis virtutibus plene, firme informentur, Rectores et Moderatores spiritus imprimis

amore Christi et Ecclesiae ferveant oportet atque scientia sacra, prudentia, psychologica et paedagogica arte atque pastorali experientia ita praecellant ut totius Seminarii sint quasi anima. Sed et ceteri Seminarii moderatores atque magistri profunde sentiant quantopere ab ipsorum quoque doctrina, oratione, abnegationis ac oboedientiae exemplis, animarum zelo pendeat formationis exitus. Semper sint memores sanctos sacerdotes in Seminario efformari nonnisi ab eis qui ad sanctitatem generose tendunt.[8]

7. [*Moderatorum cooperatio*]. – Certissima quoque omnium mentibus inhaereat persuasio, alumnos eo securius ad Christi Sacerdotium praeparari quo plenius tota Seminarii vita instantissimae respondeat Domini orationi: «Ut omnes unum sint» (*Io.* 17,21). Moderatores ergo et magistri a Domini Spiritu ducti et compaginati ita inter semetipsos unum ex multis corpus efforment, ut Ecclesiae mysterium in Seminariis insigni praefulgeat splendore. Rectori igitur, fulcro unitatis, tota Seminarii familia aequo animo oboediat sicut patri ac filiali adhaereat concordia. Arctissima vigeat inter Rectorem et Moderatores spiritus operae consortio, sed accurata quoque officiorum distinctio, ne Rector secretum conscientiae forum invadat, nec Spiritus moderator externae se immisceat disciplinae. Rectore denique praeeunte, omnes Seminarii moderatores ac magistri in alumnis instituendis fidelissimos se exhibeant Episcopi cooperatores: «Quotquot enim Dei et Iesu Christi sunt, hi sunt cum Episcopo».[9] Ipse dioeceseos Pastor autem assidua praedilectionis cura adiuvet eos qui in Seminario laborant ac ipsis alumnis se demonstret verum in Christo Patrem.[10]

8. [*Alumnorum selectio ac probatio*]. – Seminarium cum particulari ex fine a communi collegio vel quavis schola catholica differat, per singulos tirocinii annos palaestra sit oportet non solum sedulae alumnorum educationis, sed vigilantissimae eorum selectionis et probationis.

a) Cuius selectionis ratio pro alumnorum aetate diversa erit, in pueris aliquantulum mitior, severa omnino in iuvenibus. Nullatenus autem in Seminarium minus admittendi sunt qui vocationis saltem germina non prodant, in Seminarium vero maius qui eius signa certa non exhibeant; citiusque dimittendi sunt qui idonei non reperiantur vel Seminarii finem assequi amplius nolunt.[11]

b) Haec Sacrosancta igitur Oecumenica Synodus Seminarii moderatores graviter monet ut proprii officii memores sedula cura ad solidum iudicium de positiva alumnorum idoneitate sibi efformandum attendant; utrum scilicet vere spiritu Christi agantur, sufficientis ingenii dotibus polleant, congrua salute physica et psychica ac praecipue sano iudicio sint praediti atque intentione recta, voluntate libera, firma et actuosa ad Domini Sacerdotium participandum anhelent. Audiantur etiam magistrorum sententiae nec, dato peculiari momento quod vacationum tempori pro probanda vocatione competit, negligatur quid proprii alumnorum parochi, alii quoque sacerdotes et interdum laici prudentes ad debitam hauriendam certitudinem conferre valeant imprimis in scrutiniis ante ordinum susceptionem peragendis; aliquando opportunum erit consilium quoque medici periti ac christiani sensus exquirere. Quibus omnibus auditis, semper solius auctoritatis ecclesiasticae est de vocatione sacerdotali iudicare et de admittendo alumno decernere.[12]

c) Normis ab Ecclesia circa castitatis probationem editis ii qui in Seminariis vel iuvenum animos moderantur vel sacras confessiones excipiunt, intra sui cuiusque muneris fines, graviter ipsorum onerata conscientia, fidelissime pareant. Nec quidquam de debita severitate remittant, sibi persuasum habentes se ita alumnorum bono caritate ve-

re paterna consulere ac magna ex parte causas auferre, cur catholica Ecclesia lacrimas fundat simulque christianus populus in sacerdotum moribus offendat.[13] Ut autem omnes quotquot iuvenum institutioni incumbunt normas ab Apostolica Sede statutas apprime cognoscant et eisdem utantur in probanda vocatione principiis, huiusmodi normae in unico documento apte colligantur; Episcopi vero curent ut hae normae Seminarii moderatoribus, magistris atque confessariis quotannis in memoriam revocentur.[14]

9. [*Tutior semper sententia sequenda*]. – In casibus autem dubiis de alumnorum idoneitate, Praesules et Seminariorum moderatores, nullo habito humano respectu, sed rationis supremo animarum Episcopo reddendae unice memores, tutiorem semper sententiam amplectantur[15] neque sacerdotum inducti penuria hodie fere in tota Ecclesia deplorata ullo pacto iustum et severum de alumnorum aptitudine iudicium minuant, confidentes quod « Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam quin inveniantur idonei ministri sufficientes ad necessitatem plebis, si digni promoverentur et indigni repellerentur ».[16]

10. [*Seminariorum Statuta*]. – Praecipit denique Sancta Synodus ut non solum in unoquoque Seminario maiore, sed etiam in Seminariis minoribus vel Institutis, quae eisdem pro locorum adiunctis aequiparantur, Statuta habeantur ab Episcopo vel a competente auctoritate approbata eaque scripta omnium sint in manibus ita ut « quid agere, quid observare debeant, doceantur tum qui in eodem Seminario in spem Ecclesiae instituuntur, tum qui in horum institutionem operam suam impendunt ».[17] In redigendis autem Statutis attendatur ad huius Sanctae Synodi decreta, ad Pontificia de re documenta necnon ad particulares locorum et gentium conditiones; prae oculis habeantur institutorum peculiaris natura, alumnorum aetas, regulae in aliis Seminariis fructuose vigentes nec praetermittantur ea quae a probato disciplinae paedagogicae progressu commendantur.

Seminarii Statuta concisa brevitate contineant leges quae modo stabili decerni possunt; eae vero regulae quae pro adiunctis facilius sunt mutandae, in particulari « Consuetudinario » colligantur.[18]

Sancta Sinodus denique valde commendat ut in unaquaque natione aptum directorium exaretur quo Seminariorum superioribus et magistris in propriis muneribus explendis efficaciora principia et consilia, praecipue de re paedagogica, suppeditentur.

11. [*Visitatio Apostolica periodice instituenda*]. – Firmis manentibus iure et obligatione Episcopi in proprio Seminario Visitationem canonicam peragendi, statis periodis in singulis Seminariis peragatur Visitatio Apostolica, per expertos et discretos ecclesiasticos viros ita instituenda ut paterna et actuosa Ordinariorum circa Seminaria sollicitudo exinde opportunum recipiat iuvamen.[19] In Ecclesiis vero Orientalibus haec particularis seminariorum visitatio a Patriarchis exercenda erit.

NOTAE

[...]

Caput II

De institutione spirituali

1. [*Prooemium*]. – Quam excelsa sanctitatis forma in sacerdotibus ab ipso sacro Ordine postuletur, praesertim recentiores Pontifices praeclaris illustrarunt documentis.[1] Adauctis autem societatis christianae necessitatibus consulentes, huius Sanctae Synodi Patres ad ea principia in Seminariis tuenda singulariter hortantur, quibus veluti fundamentis alumnorum tota ad sacerdotalem sanctitatem formatio nititur.[2]

2. [*Vitae spiritualis primatus*]. – Sicut pro fidelibus, ita maxime pro futuris Domini sacerdotibus vitae spiritualis medulla in hoc consistit ut non soli, sed cum Patre et Filio Eius Iesu Christo et Spiritu Sancto vivant familiari et assidua societate (cf. *1 Io.* 1,3 sq.). Quo intimior haec societas eo fortius charitas Dei in futuris dominici gregis pastoribus alit zelum animarum.

Propterea praecipua Rectoris[3] cura sit ut in Seminario vita spiritualis primatum clare et firme semper occupet atque cetera omnia, studia, exercitationes pastorales, vita communis ac disciplina ita ordinentur ut in vitae spiritualis fastigium componantur. A ceteris quoque Seminarii moderatoribus et magistris sacrorum alumni iuventur in arctissima inter scientiam praecipue sacram et vitam spiritualem percipienda unitate, ita ut disciplinae in Seminariis traditae alumnos conducant ad cognoscendum Christum «et virtutem resurrectionis eius, et societatem passionum illius» (cf. *Phil.* 3,10); vita vero spiritualis veritatibus fidei innixa ad scientiam altius sitiendam compellat et ad futurum munus pastorale disponat eos qui «non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis» (cf. *1 Cor.* 2,4) praedicaturi sunt Christum.[4]

3. [*Moderator spiritus et unitas directionis spiritualis*]. – Sub Seminarii Rectore, vitae interioris primatum peculiari cura custodiat et promoveat moderator spiritus,[5] qui ante alumnorum oculos in primis ponat Christum crucifixum (cf. *Gal.* 3,1), ad dexteram Patris exaltatum eumque datum «caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius» (cf. *Eph.* 1,22 sq.). Ut Ipsum ardenter quaerant, inveniant ac teneant, in orationis spiritum et praxim ipsos introducat. Christi sacerdotium participandum ita profunde alumnorum animis inscribat, ut mortis Dominicae mysterium celebraturi vere agnoscant quod agunt, imitentur quod tractant.[6] Attento autem animo semper reputet quantopere a Seminariis externa differat vitae ratio, quam alumni sacerdotio initiati media agent in plebe, atque futura operositate pastorali semper prae oculis habita, eos ita apte conformet ut in saeculo munus sacerdotale obituri, soli Deo adhaerentes veram mundo valeant ministrare vitam.[7] In vocationis discriminibus ad Spiritus Sancti vocem discernendam et generose sequendam alumnos ducat; omnes paterna cura ita recipiat ut mentem et voluntatem docili humilitate ei patefaciant.

Ut publice omnibus et privatim singulis solidum praebeat alimentum, Scripturarum et Sacrae Liturgiae studium, theologiam dogmaticam spiritualem et pastoralem imprimis excolere constanter pergat; animorum indoli tam diversae quo melius consulat, psychologicarum atque paedagogicarum disciplinarum studium ne negligat. Ut autem singulos vere cognoscere et efficaciter curare valeat, director spiritus nonnisi congruo alumnorum numero praeponatur. Quare servata directionis spiritualis unitate, nihil obstat quominus plures dentur in Seminario moderatores spiritus, secundum probatas eorum consuetudines.[8] Alumnis autem commendetur, ut stabilem moderatorem

spiritu eligant cui eorum conscientia prorsus aperta sit et qui utiliter sit simul eorum confessarius ordinarius.

Confessarii vero ordinarii et extraordinarii alumnis libere et commode offerendi eligantur idonei ad cognoscendas et colendas vocationes; qui unanimiter cum spiritus moderatore agant, iisdem normis eodemque spiritu. Meminerint grave ipsis incumbere officium imponendi obligationem discedendi e Seminario iis quos ad Sacerdotium non idoneos cognoverint; positivum autem et definitivum de vocatione iudicium ne proferant candidato, nisi iam per congruum temporis spatium particularem directionem eius susceperint spiritualem.[9]

4. [*Formationis spiritualis particulares periodi*]. – Ad vitam spiritualem profundius excolendam et ad vocationem sacerdotalem matura decisione amplectendam in pluribus Seminariis annus vel congrua saltem periodus particularis formationis spiritualis institui consuevit.[10] Quo temporis intervallo alumni in intimiore cum Domino unione initiati, dilucidam et maturiorem propriae vocationis conscientiam acquirant, et in sancto proposito Christum sequendi ita confirmentur ut magno corde et animo volenti theologicum tirocinium aggrediantur. Etsi cetera studia tunc non sint omnino seposita, in scientia Sanctorum praecipue proficiant, orationem mentalem, practicam asceticam, Scripturarum sensum et dulcedinem una cum Liturgiae amore discant, ut Dei homines se sentiant et ad Dei hominumque ministerium mancipari assuefiant. Quae incepta haec Sancta Oecumenica Synodus enixe laudans, dioecesium Pastoribus quam maxime commendat, ut huiusmodi particulare vitae spiritualis tirocinium locorum et conditionum adiunctis opportune accommodatum in propriis Seminariis introducant.

Etiam diaconi, ubi ministeriis et officiis sui ordinis obeundis iam in paroeciis incubuerint, simili impensiore tirocinio spirituali in Seminario ad sacerdotium praeparentur.[11]

Peropportune quoque sacerdotes iuniores, postquam per quinque circiter annos in Domini vinea operam navaverunt, ad Seminarium vel aliam domum aptam per unum aliumve mensem convocantur, ut spiritum orationis et zelum apostolicum instaurent sicut in huius Constitutionis conclusione disponitur.[12]

5. [*Vita sacramentalis et oratio*]. – Formatio spiritualis ad id tendit ut sacrorum alumnus cui suiipsius missionem Salvator noster committet, non solum sacrae ordinationis charactere, sed intima totius vitae consortione alter fiat Christus: «vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus» (*Gal.* 2,20). Quam vitam sacrorum alumni, moderatorum doctrina et exemplo adiuti, hauriant potissimum «ex ipso eoque necessario fonte, hoc est ex actuosa cum sacrosanctis mysteriis publicis solemnibusque Ecclesiae communicatione».[13]

a) Sacer cultus universus, praecipue eius centrum et fons, ipsum eucharisticum sacrificium, in Seminariis sic explicetur et sic celebretur, ut clerici de sacro altaris mysterio, una cum Christo hostias Deo gratas sese offerendo et eucharistico pane refecti, profunde vivere discant; sacro Ecclesiae anno durante ad mysteria Christi participanda ducantur ut, sacerdotio aucti, populum sibi commissum in intimam cultus imprimis sacrificalis participationem initiare valeant.

b) Ad spiritum orationis alumni ita formentur ut futuri sacerdotes fiant viri orationis qui libenter orent, orationi in primis mentali quotidie fideliter vacent eiusque necessitatem persentiant, et pro ipsorum vita interiore alenda et pro quocumque apostolatu cum fructu exercendo.[14] Ut autem orationem, quam ipsa Ecclesia peculiariter

eis committet, amare discant, institutione sapienter progrediente initientur in psalmorum et totius Officii Divini intellectum et gustum; in curriculo saltem theologico quaedam Officii partes, ut Laudes et Vesperae, quotidie communiter recitentur et diebus festivis cantentur.[15]

c) Vita liturgica, ad quam pertinet etiam confessio sacramentalis sacrorum alumnis semel saltem in hebdomada frequentanda,[16] minime excludit, sed potius exigit cetera quoque pia exercitia in Seminariis lege sancita vel usu probata, maxime orationem mentalem et lectionem spiritualem, conscientiae examen, periodicas spirituales recollectiones aliasque peculiares devotiones; quae omnia sic ordinanda sunt, ut ad veriorem et pleniorem sacrorum mysteriorum participationem disponant eorumque efficaciam ad totam vitam extendant.[17]

Inter varias pietatis devotiones, duae haec valde commendandae sunt Seminarii alumnis: amantissime colant Iesum Christum praesentem in sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quo ardenti amore impulsi saepius Tabernaculum adeant, ibique diutius morentur. Deiparae autem Virginis Matris divinae gratiae et clericorum dulcissimae Patronae cultores sint studiosissimi eiusque sub praesidio Christi Mysteria in rosarii precatione contemplari et imitari discant.[18]

d) Quo securius secundum Christi spiritum et Ecclesiae sensum vitam spiritualem alant, sacrorum tirones assidue incumbant legendis ac meditandis Scripturis Sacris et Missali atque, ad ordines promovendi, etiam Breviario, Rituali ac Pontificali. Curent quoque moderatores ut vitas Sanctorum perlegant et optima doctrinae spiritualis scripta cognoscant alumni neque ex fortuitis levibusque lectionibus vitae rationem instituant, qui tot animas in perfectionis christianae itinere moderaturi sunt.

6. [*Virtutes theologicae in alumnis praecipue excolendae*]. – Orationis et sacramentalis cum Christo unionis fructus simul et necessaria praeparatio sunt praecipue fides, spes, caritas, ad quarum exercitium alumni vigilantissimis comparentur curis.

a) Sicut Christus Apostolos primum statuit in fide, sacrorum alumnis non tantum «fides quae creditur» in praelectionibus perlucide exponatur oportet, sed ipsi in Seminario ea praecipue fide proficere discant qua Christus habitat in cordibus eorum (cf. *Eph.* 3,17). Hac fide a Seminarii annis totam vitae rationem ita imbuere assuefiant ut, sacerdotio aucti, mundo magis magisque ad sola terrena propenso exhibeant gaudium in credendo vitam futuri saeculi, gloriantes «in spe gloriae filiorum Dei» (cf. *Rom.* 5,2).

b) Ad hanc christianam spem excolendam futuri gregis dominici pastores particulari sollicitudine componantur. Praecipue elaborandum est, ne sibi suisque viribus, sed divino potius auxilio iuvenes levitae confidant, secundum illud: «Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus» (*1 Cor.* 3,7). Ne autem futurae vitae sacerdotalis solitudine, ne huius mundi vel gloria vel inimicitia facile frangantur, discant spem suam commitere Ei qui vicit mundum suisque promisit: «Ego vobiscum sum» (*Mt.* 28,20). Qua spe animati, in maioris perfectionis desiderio iugiter renoventur: «Non quod iam acceperim aut iam perfectus sim: ... quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu» (*Phil.* 3,12 ss.). Praeparentur quoque alumni ut laboris apostolici repulsas experti, Christi derelictioni consociati, glorientur in tribulationibus: «scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit» (*Rom.* 5,3 s.).

c) Secundum Domini mandatum et exemplar Apostolorumque doctrinam de caritatis primatu praecipue edoceantur qui ad Christi sacerdotium participandum assumentur. Sermones Domini in ultima cena prolati (*Io.* 13-17) habeantur tamquam Seminariorum codex quem assidue perlegant, pertractent, vivendo exprimant alumni. Caritas Dei quae per Spiritum Sanctum effusa est in cordibus eorum, ipsos urgeat imprimis ut «non iam sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit» (cf. 2 *Cor.* 5,15). In hac caritate radicati et fundati (cf. *Eph.* 3,18), assuefiant iam in Seminario de gratia sibi collata a Deo servire Ecclesiae, confratres aedificare in bonum exemplo, magnanimo auxilio, correctione fraterna; imprimis discant humili caritate et oboedientia adhaerere Christi Vicario et proprio Episcopo, dilatato corde participare in totius Ecclesiae vita secundum illud S. Augustini: «Quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum Sanctum»;[19] ita excolantur ut hauriant spiritum missionarium et oecumenicum, exerceant amorem erga pauperes et afflictos, absque invidia servent unitatem in distinctione gratiarum et munerum.

d) In hac igitur vita fidei, spei et caritatis sacrorum alumni ita conformentur ut et promptiores atque alacriores constituantur «Dei adiutores» (cf. *1 Cor.* 3,9) et illaesi evadant a minaci falsi naturalismi errore, cuius funesti fructus sunt orationis negligentia, propriae sufficientiae et autonomiae sensus, actuositatis insolentia, aestimatio immoderata bonorum naturae et technicae artis auxiliorum, gratiae bonis et subsidiis practice postpositis, hac vita fruendi cupiditas, vitae venturae exspectatione fere oblitterata.

7. [*Exercitium abnegationis*]. – Qui titulo sacerdotali vocantur Domini discipuli, ad Christi crucem tollendam praecipue parati sint oportet. Formentur igitur sacrorum alumni ad humilitatem et spiritum mortificationis, reprobata propensione in dies crescente sequendi methodos quae sapiunt huius mundi naturalismum et hedonismum. Non minus quam tempore S. Pauli Ecclesia hodie indiget sacrorum administris qui sint homines mundo crucifixi et quibus mundus ipse sit crucifixus (cf. *Gal.* 6,14); qui non sibi gloriam conquirant, sed Iesu Christo.[20]

8. [*Consiliorum evangelicorum spiritus*]. – Ita praeparentur alumni ut futuram vitam sacerdotalem secundum evangelicorum consiliorum spiritum componere assuefiant,[21] leges sancitas diligenter observantes sed magis Christi amore et imitatione attracti.

a) Iam a primis Seminarii annis modum vere simplicem et modestum suscipiant; in aedibus ad salubritatem et tranquillitatem idoneis, numquam vero in exquisitis commodis vivant ii, qui pauperibus evangelizare mittendi ab omni specie fastus alieni sint oportet, atque spiritu vere pauperes vitae futuri saeculi validum testimonium perhibeant mundo.[22]

b) Vigili diligentique cura promovenda est sacri Ordinis alumnorum educatio ad coelibatum ecclesiasticum, quo secundum proprias diversorum rituum leges, sacerdotes statum virginitatis christianae assumentes, integra animae et corporis deditione Domino inserviunt, vere spirituale cum Ipso connubium ineunt atque aptissimum impetrant auxilium ad perfectam caritatem in sacerdotali ministerio continuo exercendam. De periculis quae eorum castitati in hodierna societate occurrunt alumni moneantur, et aptis praesidiis instruantur. Quare quidquid officii sacerdotum coelibatus et ab iisdem servanda castitas exigunt, clerici clare cognoscant atque ita conformentur ut de bonis quoque matrimonii christiani eiusque in Ecclesia dignitate apte edocti, op-

tione mature deliberata ac magnanimi, digniorem ac beatiorem Domini praeferant amorem eiusque Regno dilatando semetipsos offerant hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (cf. *Rom.* 12,1).[23]

c) Meminerint imprimis sacerdotem eo efficacius Redemptionis instrumentum evadere quo arctius oboedientia uniatur Ipsi qui factus est pro nobis « oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (cf. *Phil.* 2,8).[24] Praeparentur ad promittendam et sancte servandam illam oboedientiam, qua Episcopi in cura animarum constituentur dociles cooperatores. Discant igitur alumni in Seminario oboedire non tantum externa exsecutione, sed et obsequio interiore, ita ut ipsorum oboedientia non quasi ad extra sit nedum coacta, sed libenti animo exhibeatur Superiori sicut patri. Superiores autem meminerint hac ipsa oboedientia discipulorum vires ac talenta debere non tam inhiberi quam excitari, emendari et perfici quo melius Dei consilio respondeant.[25]

9. [*Virtutum « humanarum » cultus*]. – Ad ipsam spiritualem, clericorum institutionem aliae quoque virtutes morales summopere curandae sunt, quae ad integram eorum formationem non solum christianam et sacerdotalem sed etiam humanam perfecte comparandam prorsus sunt necessariae. Diligenti igitur cura instituantur et exerceantur alumni in iis virtutibus quae etiam in societate humana magni fiunt. Sunt imprimis vitae integritas atque animi sinceritas, a fallacia et a cuiusvis generis simulatione abhorrens, assidua iustitiae cura, promissis servata fides, in agendo urbanitas, in conversando comitas cum modestia et gravitate coniunctae.

Pariter sedulo adlaborandum est ut alumni propriam indolem recte componant, ad fortitudinem et virile robur etiam exercitiis physicis formentur ut sibimetipsis moderari valeant, ac magis magisque in iis se explicet suarum actionum officiorumque conscientia, recta de hominibus et de eventibus iudicandi ratio, opera ultro sponteque incipiendi congrua facultas, ad aliorum incepta docili fraternoque servitio adiuvanda promptitudo. Quae omnia sacerdotem omnino decent et ad apostolatum valde iuvant.[26]

NOTAE

[...]

ANNOTATIO

Ad cap. III, *De disciplina in Seminario*, nulla emendatio effecta est.

II

Schema emendatum decreti

DE OBSEQUIO ERGA ECCLESIAE MAGISTERIUM IN TRADENDIS DISCIPLINIS SACRIS

Caput II

De ratione docendi sacram scripturam

Cum in instituendis Sanctae Matris Ecclesiae ministris Sacra Scriptura locum principem obtinere debeat atque eo firmius Christo Sacerdoti conformentur alumni quo profundiorem Sacrae Scripturae habeant cognitionem, iuxta illud Sancti Hieronymi: « Ignoratio scripturarum ignoratio Christi est »;[1] cum vero in huiusmodi disciplina tradenda propter ipsius verbi Dei sublimitatem necnon ob nova a progressu scientiarum orta problemata, eximia cura sit adhibenda, haec Sancta Oecumenica Synodus, ut iis quae in Constitutione de Fontibus Revelationis statuuntur, ipsa quoque Sacram Scripturam docendi ratio plene respondeat, has normas sequendas decernit.[2]

1. Omnes qui Sacrae Scripturae studio incumbunt Sancti Spiritus auxilio se indigere sciant, cum ea « quae a Deo donata sunt nobis », non spiritu huius mundi, sed Spiritu qui ex Deo est, scrutanda sint. Sacrae Scripturae magistri vero meminerint se munere fungi nomine Ecclesiae « quae a Christo Domino totius depositi veritatis divinitus revelatae custos et interpres constituta est ».[3] Vivo Ecclesiae Magisterio igitur fidelissime inhaerentes, doctrinae revelatae, non tantum scientiae humanae, quantumvis insignis et necessariae, agant magistros. Quare ad docendam Sacram Scripturam vocentur nonnisi ii qui debito studiorum curriculo expleto ac congruis gradibus academicis obtentis Sacra Theologia non minus ac linguarum antiquarum cognitione et criticae artis subsidiis profunde instructi, sana ac tuta doctrina eniteant, normis ab Apostolica Sede de re latis propriam docendi rationem omnino conforment ac sedulo curent ut alumni sacrarum litterarum incumbentes studiis Auctores omni exceptione maiores prae manibus habeant.[4]

2. In Sacra Scriptura tradenda initium sumatur ab origine divina sacrarum litterarum. Hinc doctrina catholica de inspiratione quam diligentissime exponatur; praecipuum eius consectarium, id est inerrantia, statuatur et declaretur atque « cognitis accurateque aestimatis antiquorum loquendi scribendique modis et artibus »;[5] veritas historica et obiectiva Sacrae Scripturae sarta tectaque conservetur[6] et Sacri autoris mens plenius illustriusque perspiciatur.[7] Interpretationis leges explanentur et diiudicentur. Ipsi vero Magistri interpretandi munere ita fungantur ut litteralem textuum et librorum sensum reperiant et exponant, ratione habita declarationum Magisterii Ecclesiae, interpretationum Sanctorum Patrum et analogiae fidei. Spiritualem seu typicam quoque verborum et gestorum significationem, dummodo eam a Deo intendi rite constet, debito modo explanare curent.[8]

3. Cum ingens rerum biblicarum copia nequeat tota tradi, curet potissimum magister clare monstrare quae sint doctrinae tum in Vetere tum in Novo Testamento a Spiritu Sancto propositae: quae sit ratio atque coniunctio inter utrumque Testamentum: quae revelationis ab exordiis ad Christum et Apostolos detur historica progressio. Du-

rante toto curriculo theologico habeatur cursim lectio Veteris et Novi Testamenti, adnexa explicatione concisa, sed solido fundamento scientifico innixa. Praeterea Sacrae Scripturae magister ne omittat in lucem ponere vitale momentum quod narrationes et doctrinae librorum sacrorum habent pro vita intellectuali et spirituali in cuiusvis temporis adiunctis.

Ad accuratiorem explicationem seligantur ex Vetere Testamento imprimis doctrina de generis humani primordiis, historia originis populi electi Israel, Prophetarum textus quidam insignes et Psalmi qui sunt ipsius Ecclesiae preces quotidianae; ex Novo Testamento praecipue quae Iesus fecit et docuit (cf. *Act.* 1,1) tradantur et Sancti Pauli Epistulae diligenter explicentur.[9]

Insuper, in Facultatibus et Studiorum Universitatibus Professores peculiares quaestiones deligant penitiori indagationi subiiciendas, ad maiorem doctrinae sacrae profectum. Quaestionum nondum enodatarum solutionem quaerant eam quae cum Ecclesiae doctrina concordet et certis scientiae profanae conclusionibus satisfaciat; ac sancte caventes, ne fidei veritates laedantur neve fideles ipsique sacerdotes circumferantur omni vento doctrinae (cf. *Eph.* 4,14), id mereantur, magistra semper Ecclesia, obtinere ut integra veritas divina clarius appareat, profundius colatur, latius promulgetur.

4. Magistri rei biblicae in singulis libris vel textibus imprimis ipsum verbi Dei inaestimabilem thesaurum ita patefacere quaerant, ut divinae Scripturae usus in universam influat Theologiam eiusque prope sit anima; sacrorum alumnos edoceant quantum Scripturae divinitus inspiratae cognitio et amor conferant «ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus» (cf. *2 Tim.* 3,16); futuros sacerdotes Dei sermoni vivo et efficaci (cf. *Hebr.* 4,12) ita reddant familiares, ut «non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis», sed «in doctrina Spiritus» (cf. *2 Cor.* 2,4,13) laetum nuntium communicare ipsosque fideles ad eam Sacri Textus, lectionem ducere discant, qua «per consolationem Scripturarum» (cf. *Rom.* 15,4) spe roborentur.[10]

NOTAE

[...]

6

REV.MUS D. AUGUSTINUS MAYER

Secretarius commissionis de studiis et seminariis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE STUDIIS ET SEMINARIIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 420/62

E Civitate Vaticana, die 12 luglio 1962

Ill.mo e Rev.mo Monsignore,

Le mando qui, a parte, le seconde copie delle «Responsiones» e «Emendationes» inviate oggi stesso all'Em.mo Signor Card. Confalonieri.

Spero di mandarLe domani anche le «Responsiones» al Cap. V e VI della Costituzione *De Sacrorum alumnis formandis* anche senza attendere i pareri dei Relatori che sono fuori Roma e non hanno ancora risposto.

Con i migliori auguri per il Suo grande lavoro, Le porgo il mio deferente ossequio, con cui mi professo

di V.S. Ill.ma
devotissimo nel Signore
AGOSTINO MAYER, *segr.*

Ill.mo e Rev.mo Monsignore
Mons. Vincenzo FAGIOLO
Segretario della Sottocommissione per gli emendamenti

7

EM.MUS IOSEPH CARD. PIZZARDO

Praeses commissionis de studiis et seminariis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE STUDIIS ET SEMINARIIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 423/62

E Civitate Vaticana, die 14 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Faccendo seguito alla mia del 12 c.m. (Prot. 420/62)[1] ho l'onore di trasmetterLe le risposte alle Osservazioni proposte dalla Commissione Centrale ai Capi V e VI della Costituzione *De sacrorum alumnis formandis*.[2]

Con la presente trasmissione, codesta Pontificia Sottocommissione Centrale viene ad essere in possesso di tutti i pareri concernenti le proposte avanzate nei riguardi della sovra detta Costituzione.

Il vivo e dettagliato interesse con cui la Commissione Centrale ha esaminato gli schemi della Costituzione rileva, mi sembra, l'importanza degli argomenti i quali, tenendo conto anche dei voti espressi dai Vescovi di tutto il mondo, non dovranno venire rimessi agli Organi ordinari, come qualche Membro della Centrale ha voluto insinuare, ma sottoposti all'esame dei Padri del Concilio. Del resto questa Commissione si è tenuta strettamente alla tematica assegnatale dal Santo Padre.

Colgo volentieri l'occasione per baciarLe umilissimamente le Mani e confermarmi con sensi di profonda venerazione

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo, um.mo, obbl.mo servitor vero

GIUSEPPE Card. PIZZARDO, *pres.*
AGOSTINO MAYER, *segr.*

Sua Eminenza Reverendissima
Il Sig. Card. Carlo CONFALONIERI
Presidente della Pont. Sottocommissione
Centrale degli emendamenti degli schemi

---

[1] Cf. p. 342.

[2] Commissionis responsiones editae sunt in fasciculo *De emendatione schematum constitutionum De sacrorum alumnis formandis et De studiis ecclesiasticis atque scholis catholicis. Pars II*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 28-36: cf. pp. 471-475.

ADNEXUM

Schema emendatum constitutionis
DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

Caput V

DE INSTITUTIONE PASTORALI IN SEMINARIIS[1]

1. [*De Pastoris forma*]. – Ad pascendum dominicum gregem et ad aedificationem mystici Corporis Christi (cf. *Eph.* 4,11) necnon ad oves reducendas quae perierunt et alias adducendas quae adhuc ex ovili Domini non sunt (cf. *Io.* 10,16), Sancta Mater Ecclesia nihil antiquius habet quam sacrorum alumnos conformare veros pastores, operarios inconfusibiles (cfr. *2 Tim.* 2,15), ad omne opus bonum instructos (cfr. *2 Tim.* 3,17).

Clarissimis autem S. Scripturae testimoniis innixa, Sanctorumque Patrum traditioni ac exemplo, atque repetitis Ecclesiae monitis inhaerens, haec Sancta Synodus totius institutionis sacerdotalis fundamentum et coronam in eo esse declarat ut «pastoralis animus» ad Divini Pastoris imaginem in futuro Christi ministro effingatur.

Talibus pastoribus eget Ecclesia qui, virtute corroborati per Spiritum Sanctum in interiorem hominem (cf. *Eph.* 3,16), filiali erga coelestem Patrem amore, ardenti in totam Ecclesiam deditione, hominumque flagranti amore ita sint imbuti ut in apostolica forma viventes omnia libentissime impendant et superimpendantur ipsi pro animabus sibi creditis (cf. *2 Cor.* 12,15), vitam quoque pro fratribus ponere semper parati (cf. *1 Io.* 3,16).

Inordinatus igitur suipsius amor, cupiditas voluptatum, laboris taedium, terrestrium bonorum et honorum appetentia necnon animi demissio ac pessimismus pastoris animum omnino dedecent et sublimi eius muneri prorsus opponuntur.[2]

2. [*Institutio apostolica a primis Seminarii annis inchoanda*]. – Alumnorum institutio, sive spiritualis sive intellectualis, sicut et ipsa Seminarii disciplina et vita communis ad propositum finem pastoralis formationis continenter et composite vergere debent.

A primis ergo minoris Seminarii annis adulescentulis per catecheticam instructionem perfecta apostolatus christiani species effulgeat apertisque in campis messis multa pateat, atque per eucharisticam pietatem, per officia caritatis in pauperes ac infirmos necnon per zelum et orationem pro errantibus et infidelibus apostolicum eorum studium in dies augeatur.

In apostolicae caritatis exercitiis alumni a Seminarii Moderatoribus prudenter manuducantur; tempore autem vacationum valide ad hoc cooperentur Parochi, quorum grave officium erit tum spiritualis alumnorum cura, tum de eorum agendi ratione veridica sententia.[3]

3. [*... in curriculo philosophico continuanda*]. – Ab incepto philosophico curriculo, cuius disciplinis et methodo alumnorum maturitas non parum promovetur, Moderatores simul et Magistri uno animo curent ut ab illis, quorum futurum munus erit plebi christianae praeesse, idoneae aptitudines virtutesque excolantur, ita ut in ipsis «magis

magisque se explicet conscientia quid ex actibus suis in se recidat periculi, quid ipsi de hominibus ac de eventibus iudicii ferant, quid denique ipsi operis ultro sponteque suscipiant ».[4]

Ad christianum sensum socialem, quia « multi unum corpus sumus in Christo » (*Rom.* 12,5), alumni sedulo informentur, et sociali Ecclesiae doctrina eiusque potioribus applicationibus, secundum tradita ecclesiastica documenta ac imprimis Summorum Pontificum Encyclicas opportune initientur.

Opera apostolica in propria dioecesi florentia cognoscere incipiant; insuper per aliquem contactum, sed caute et gradatim, iuxta normas ab Apostolica Sede et ab Episcopis prolatas, subque Superiorum semper vigilantia et peritorum cura, agnoscant quid sentiant et appetant propriae Societatis homines et quaenam sint eorum religiosae, morales, culturales et materiales conditiones.[5]

4. [... *in cursu theologico praeprimis curanda*]. – In cursu autem theologico omnes sacrae disciplinae, ratione vere scientifica tradantur ad normam eorum quae in capite IV huius Constitutionis praescribuntur, ita tamen ut clarius appareant ea quae pastorali praedicationis et actionis ministerio maxime inserviant.

Cum vero futuri pastoris opera in eo praecipue versetur ut fidelibus et infidelibus Iesum Christum praedicet, et hunc crucifixum (cfr. *1 Cor.* 2,2), necesse est ut singulae disciplinae ad unum convergant centrum; quod est ipse Dominus Iesus Christus, Salvator noster ut centrum historiae salutis, quae in Ecclesia, praeprimis in sacrae liturgiae mysteriis semper est in actu; et hoc modo, dum unitas sacrarum disciplinarum per earum in Christo connexionem tironum mentibus lucide fulgebit, etiam cohaerentia studiorum, vitae spiritualis et apostolatus efficacius comparabitur. Pastoralis ergo aspectus et accentus quasi vitalis halitus a Magistris et Moderatoribus in tota institutione diffundatur.[6]

5. [*Formationis specifice pastoralis fundamentale principium*]. – In disciplinis vero specifice pastoralibus tradendis Magistri constanter et valide in lucem ponant, animarum pastores ob hoc potissimum praedicare verbum, in omnibus laborare et ministerium implere (cfr. *2 Tim.* 4,2-5) ut oves vitam habeant et abundantius habeant (cf. *Io.* 10,10).

Ad hunc supernaturalem finem consequendum, necessitatem divinae gratiae eiusque vim et effectum « in corde bono et optimo » (*Lc.* 8,15) instanter profiteri necesse est; mediaque supernaturalia, scilicet orationis exercitium et sacramentorum participationem, omnibus aliis mediis anteponenda esse diligenter docere.

Igitur theologiae pastoralis criteria et methodos, prudentia semper adhibita in novis vocibus seligendis, ab evangelicis monitis et exemplis, quorum summa est « quaerere primum regnum Dei et iustitiam eius » (cf. *Mt.* 6,33), Magistri numquam seiungant, immo pressius eruant ex fontibus S. Scripturae, Sanctorum Patrum et S. Liturgiae, a quibus fideles germanum et integrum vitae christianae sensum haurient.[7]

6. [*Formationis pastoralis praecipuae normae*]. – Sanctae et fructuosae actionis pastoralis spiritu et normis alumni fideliter imbuantur, et discant vitae apostolicae fundamentum esse caritatem pastoralem assiduo orationis cultu nutritam, eius vero incitamentum et praesidium sita esse in silentii amore et in proprii cubiculi operosa custodia, necnon in sacrarum disciplinarum diligenti studio et in vitae regula qua inter apostolicos labores rectus ordo semper servetur.

De docilitate et oboedientia proprio Pastori exhibendis ita ut nihil umquam fiat

vel proponatur nisi cum Episcopo, alumni instanter informentur; immo continenter instituantur ea mente eoque spiritu quibus efficacius omnes Sacerdotes cum suo Episcopo filiali animo stricte cohaereant, et «caritate fraternitatis invicem diligentes» (cf. *Rom.* 12,10) pastoralem actionem iunctim promoveant. Sedula igitur cura alumni adiuventur ut alicui officio vel operositati una cum aliis incumbere discant; percipiant quanti momenti sit apta inter singulos laboris distributio; quantum referat attenta et sapiens operae coordinatio; quam humilis serviendi dispositio requiratur in omni pastorali incepto.

Laicorum cooperationem magni faciant, quae in dies maioris momenti pro Regno Dei ubique extendendo venit, et studiose idoneos se reddant ad eorum associationes apostolatus instituendas et colendas, ipsisque laicis consilium et sacerdotale auxilium opportune praestandum. Unde eos humiliter et aperta mente audire assuefiant ut sic plenius cognoscant rei familiaris, vitae professionalis et socialis necessitates nec non difficultates vitae christianae et apostolicae ab ipsis laicis gerendae.

Cum vero opera apostolica non solum fines paroeciae, sed ipsius Dioeceseos necessario transcendant, ipsi alumni praeparentur, sub ductu Episcoporum, ad suum apostolatum in ampliore extensione coordinandum.[8] Ut ad eiusmodi specialia munera apostolica obeunda quidam sacerdotes iuniores opportune conformari possint, Seminariorum moderatores ne praetermittant Episcopis indicare particulares quas in alumnis cognoverint et excoluerint dotes pastorales.

7. [*Apta ad praecipua munera pastoralia praeparatio*]. – Cum apostolici labores uniuscuiusque aetatis necessitatibus inservire debeant, magni interest ut futuri pastores ad id efficaciter praeparentur; componantur in primis ad institutionem catecheticam tum pueris tum adultis, iuxta locorum exigentias, apta impertiendam methodo, quae praecipue in sacra pagina et cultu liturgico nitatur et recentiora etiam subsidia opportune adhibeat; item ad sanctam et salutarem praedicationem excolendam, qua fideles discant quae credere et facere ad salutem oporteat.[9] Praedicatio autem argumenta potiora et suam quasi medullam ex divinis libris Veteris et Novi Testamenti fideliter deducat; gravitatem, simplicitatem, et concinnitatem semper prae se ferat et probet «concionantem pro animi persuasione et ex corde loqui sublimemque expectare finem qui ministerio suo est praestitutus».[10]

Sacram Liturgiam ita celebrare addiscant ut virtutem eius et momentum persentientes, populum sibi committendum ad consciam et actuosam eiusdem participationem ducere valeant.

Diligentissime instituantur alumni in iis quae ad sacramenta digne ministranda et suscipienda conferunt, praesertim quod spectat Poenitentiae Sacramentum, officio pastoris coniunctissimum necnon in spirituali doctrina et ratione quibus animae in via perfectionis dirigantur; maxime enim interest ut sacrorum alumni ad artem animos regendi, quae est «ars artium», prudenter et progressive instituantur.

Adquirere studeant artem tam difficilem quam maxime necessariam occurrendi incredulis et errantibus necnon promovendi missionarium spiritum et actionem in omnibus fidelibus.

Subsidia etiam assumant quae disciplinae tum psychologicae tum sociologicae actioni pastorali valde utiliter afferre valent, iuxta rectas methodos, consilia et monita ecclesiasticae Auctoritatis. De hodiernis quoque technicis communicandi artibus (utpote prelo, radiophonia, televisione, cinematographo) necnon de activitatibus recreativis alumni, per graduales cognitiones et prudentes moderatosque usus, congrue edocean-

tur, ut easdem Regno Dei dilatando utiles reddere, pericula autem cum eis saepe connexa praecavere discant.[11]

8. [*Theologiae pastoralis praxis seu exercitationes*]. – Ad praxim pastoralem ineundam valde proderunt consentaneae exercitationes, quae ita secundum particulares locorum et temporum conditiones favendae sunt ut, prudenti Episcoporum iudicio, formationi alumnorum spirituali et intellectuali damnum minime ferant, atque ducentibus Superioribus semper fiant.

Praeter ea quae iam dicta sunt de oratione spiritu apostolico peragenda et de caritate in vitae consuetudine exercenda, valde commendanda sunt omnia incepta quibus mentes alumnorum apertius dilatentur ut Ecclesiae, immo totius humanae familiae, necessitates et labores comprehensos habeant. Veniunt in primis Opera pro missionibus et pro Ecclesiae unitate et ea omnia quae vitam catholicam respiciunt in regionibus ubi Ecclesia persecutionem patitur.

Aliae exercitationes videntur maxime commendandae scilicet: Ordinis iam recepti exercitium, catechesim pueris tradere sive per annum scholarem sive per ferias, semper tamen, sub ductu experti Magistri vel Parochi, tempore et in locis opportunis, prout prudentia suaserit;[12] vacationum praesertim tempore proprio Parocho adiutorio esse in sodalitatibus puerorum moderandis, quae ad apostolatum vel ad cultum liturgicum pertinent; aliquod commercium habere, ubi commode et sine ullo praeiudicio fieri possit, cum operariis, cum agri cultoribus, cum infirmis et pauperibus, cum iis qui in carcere detinentur et ceteris particularibus coetibus quorum indolem et necessitates pro animae salute cognoscere maxime interest.

Haec et alia similia Moderatores secundum Episcoporum placita promoventes, prae oculis semper habeant tum pastoralis institutionis finem et potiores partes quae ad vitam spiritualem et intellectualem spectant, tum condiciones et limites quos propter alumnorum aetatem et statum prudentia imponit. Ad id praecipue attendant, ut alumni ad exercitationes extra Seminarium faciendas bene praeparentur, eorumque experientiae in Seminario coram competente Magistro discutiantur et ab ipso diiudicentur.[13]

9. [*Magistrorum theologiae pastoralis specifica conformatio promovenda*]. – Ut disciplinarum pastoralium magistri alumnos ad munera apostolica efficaciter conformare valeant, ipsi non tantum experientia et zelo pastorali praecellant, sed de singulis actionis pastoralis aspectibus, particularibus quoque cursibus accurate instituantur oportet.

Notae

[...]

Caput VI

De formatione post Seminarium perficienda

1. [*Formatio sacerdotalis post Seminarium protrahenda*]. – Formatio sacerdotalis, quae accuratissime danda est in Seminario, ob modernae vitae adiuncta perfici debet post Seminarium, primis annis vitae sacerdotalis, sub aspectu spirituali, intellectuali et

praesertim pastorali. Neo-sacerdotes enim maxime egent, uti ipsa experientia edocet, quibusdam auxiliis, ut a tecta et collecta Seminarii vitae consuetudine ad actuosam et non paucis periculis obnoxiam operositatem pastoralem sine incommodo transeant.[1]

2. [*Episcoporum et parochorum circa neo-sacerdotes sollicitudo*]. – Oportet in primis ut Episcopi neo-sacerdotes «tamquam filios et fratres natu minores diligant», sollicitam paternamque curam eis continenter praestent atque opportunitatem eis praebeant aptum spiritus Directorem habendi, recollectiones menstruas et spiritualia exercitia ipsis aptata frequentandi ac piis unionibus sacerdotalibus participandi. *Si placet, hic textus substituatur sequenti*: Praesules insuper parochos instanter hortentur, ut neo-sacerdotes caritate vere fraterna suscipiant, paterne moneant et in ministerii exercitio patienter adiuvent.[2] Ad hoc maxime iuvabit consuetudo vitae communis inter clericos, quae summopere laudanda atque suadenda est.[3]

3. [*Formatio imprimis pastoralis post Seminarium continuanda*]. – Praeterea in pastoralis actionis primis gressibus, hac praesertim nostra aetate, quae plurimas et citissime evolventes difficultates praebet, in theologiae doctrinis ad singulos casus accommodandis et in practice evolvenda arte artium, iuvenes sacerdotes magnum emolumentum percipiunt ex scientia, prudentia et ductu Magistrorum vere peritorum, et praecipue ex acquisita experientia aliorum Pastorum.

Huiusmodi institutio effici potest per *annum pastoralem* in Convictu ecclesiastico sicut, auctoribus Episcopis enixeque Summis Pontificibus hortantibus, in aliquibus Dioecesibus vel Regionibus laudabiliter et fructuose iam fit.[4] Ea deinde utiliter protrahitur periodicis conventibus per quattuor vel quinque annos, quia in hac tam difficili discenda arte ipsa prolatio temporis plurimum ad finem confert, et gradatim perficitur per arctam doctrinae et praxis connexionem, per applicationem ecclesiastici pastoralis ministerii ad novas et varias necessitates, per fidelem et efficacem coordinationem omnium pastoralium inceptorum in Dioeceseos et totius Ecclesiae unitate.[5]

4. [*Tota formatio sacerdotalis peculiari tirocinio complenda*]. – Opportune tandem promovetur longior quidam conventus quo iuvenes sacerdotes post quinque circiter annos vitae sacerdotalis in Seminarium vel aptam domum convocantur per congruum tempus, v. gr. per mensem, ut vitam spiritualem instaurent atque in novis quaestionibus quae disciplinas sacras et ministerium sacerdotale tangunt ulterius instruantur. De his ac similibus inceptis utiliter agent etiam Episcoporum Coetus ut ex plurium Dioecesium collaboratione melius ad actum deduci possint.[6]

Meminerint vero quotquot maximo sacerdotum formandorum operi se dedicaverint quod «cum apparuerit Princeps Pastorum, immarcescibilem gloriae coronam» (cfr. *1 Petr.* 5,4) percipient, et eo pretiosiorem quo Christo acceptiores ministros eosque in ministerio fecundiores reddiderit recta sacerdotalis institutio.

NOTAE

[...]

8

REV.MUS D. AUGUSTINUS MAYER

Secretarius commissionis de studiis et seminariis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE STUDIIS ET SEMINARIIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 425/62

E Civitate Vaticana, die 14 luglio 1962

Ill.mo e Rev.mo Monsignore,

Come già nella trasmissione precedente (Prot. 420/62), Le mando di nuovo la seconda copia dei Documenti inviati oggi stesso all'Em.mo Signor Cardinale Confalonieri.

Aggiungo anche una pagina con due correzioni concernenti i capitoli I e II della Costituzione *De sacrorum Alumnis formandis* (Prot. N. 420/62).

Con sensi di deferente ossequio mi confermo

di V.S. Ill.ma e Rev.ma
devotissimo nel Signore
AGOSTINO MAYER, *segr.*

Ill.mo e Rev.mo
Mons. Vincenzo FAGIOLO
Segretario della Pont. Sottocommissione Centrale
degli emendamenti degli schemi

9

EM.MUS IOSEPH CARD. PIZZARDO

Praeses commissionis de studiis et semimariis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE STUDIIS ET SEMINARIIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 427/62

E Civitate Vaticana, die 17 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Le accludo le risposte alle osservazioni fatte dalla Pontificia Commissione Centrale, nella sessione del 13 giugno 1962, allo schema *De obsequio erga Ecclesiae Magisterium in tradendis disciplinis sacris*:

Caput I: *Notiones fundamentales*

Caput III: *De doctrina S. Thomae servanda.*[1]

Colla presente trasmissione questa Pontificia Commissione ha risposto a tutte le osservazioni avanzate dalla Commissione Centrale.

Colgo volentieri l'occasione per confermarmi con sensi di profonda stima

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo, um.mo, obbl.mo servitor vero

GIUSEPPE Card. PIZZARDO, *pres.*
AGOSTINO MAYER, *segr.*

Sua Eminenza Reverendissima
il Sig. Card. Carlo Confalonieri
Presidente della Pont. Sottocommissione
Centrale degli emendamenti degli schemi

---

[1] Commissionis responsiones typis editae sunt in fasciculo *De emendatione schematum constitutionum De sacrorum alumnis formandis et De studiis ecclesiasticis atque scholis catholicis, Pars II*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 55-62; 70-76: cf. pp. 484-488; 492-495.

ADNEXUM

Schema decreti
DE OBSEQUIO ERGA ECCLESIAE MAGISTERIUM IN TRADENDIS DISCIPLINIS SACRIS

Caput I
NOTIONES FUNDAMENTALES

1. [*Magisterium Ecclesiae*]. – Christus Dominus Ecclesiae, dilectissimae suae sponsae fidei depositum concredidit, illamque magistram divinae veritatis infallibilem instituit.[1] Romanus autem Pontifex, Petri successor et Christi Vicarius, atque in Eius communione Episcopi qui sunt successores Apostolorum, ita magisterium vivum et perenne Ecclesiae exercent, ut praeter ipsos alii magistri iure divino in Ecclesia non habeantur.[2]

2. [*Obsequium et coniunctio cum magisterio*]. – Ideo qui magistri missionem sacras disciplinas in scholis et Universitatibus[3] docendi a legitimo Ecclesiae magisterio receperunt, necesse est ut tamquam proximam in rebus fidei et morum veritatis normam divinum Ecclesiae magisterium agnoscant, ab illo dependeant, nihil antiquius habeant quam sentire cum Ecclesia et numquam sibi licitum retineant a mente Ecclesiae recedere.[4] Ita ergo quodam vivifico vinculo magistri sive in docendo sive in scribendo cum vivo Magisterio Ecclesiae coniunctos sese sentiant, ut discipulos sibi commissos cum ipso Christo, qui est veritas,[5] in corpore eius mystico, quod est Ecclesia,[6] strictius et intimius coniungere valeant.

3. [*Expositio et investigatio veritatis*]. – Obsequium vero quod magister disciplinae sacrae magisterio Ecclesiae tribuere debet neque mere extrinseca dispositio neque quasi mortua relatio censeri debet, cum potius vitalis sit coniunctio cum magisterio vivo. Qui ergo in Ecclesia munus docendi sortitur, in documentis et monumentis scriptis Magisterii insistere debet ut antiquam atque ad propria usque tempora semper vivam fidei traditionem fideliter communicet et vitalem eius vim in societatem et in homines cuiuscumque aetatis insinuet et immittat. Sacrae ergo disciplinae magister non tantum rectam de fide et de moribus doctrinam alumnos docere, sed etiam eos ad hanc doctrinam semper melius et profundius investigandam manuducere debet, ita ut, fide ipsorum roborata et illuminata, apti fiant simul ad propriam vitam Deo vivo et vero magis ac magis conformandam hominesque quae ipsis committentur in viam salutis promovendas.

Quapropter, ipsius Doctoris Angelici exemplum sectando, nitantur magistri omni vi omnique contentione ut disciplinas, quas tradunt, provehant; in quaestiones novas, quas hodierna cultura ac progrediens aetas in medium protulerunt, diligentissimam suam conferant pervestigationem, ea quidem qua par est prudentia et cautela,[7] novas doctrinas scientiarum progressu comparatas investigent et inquantum possibile est, ab omni errorum specie expurgatas, in propriam disciplinam assimilent et componant.[8] Caveant tamen ne doctrinam sacram perinde ac scientiam profanam tractare autument;[9] ita ut, si sententia aliqua neget vel deformet genuinum sensum veritatis a magisterio propositae, iam falsa sit censenda.[10] Nemo autem absque solido fundamento fideles et doctos catho-

licos magistros redarguat et exprobret, novas investigationes et novas applicationes traditionalis doctrinae quaerentes atque profundiores enucleationes producentes.[11]

4. [*Opiniones accurate discernendae*]. – Ideoque bene quisquis in suo campo magister de diversis opinionibus hinc inde exsurgentibus certior semper extet, ut in novis sententiis scrutandis, quod verum est retinens, quod autem falsum reiciens, doctrinam Ecclesiae integerrime teneat discipulosque ad plenam et solam Christi veritatem prudenter et scienter ducant. Errores autem ita alumnis suis indicare debet, ut proprium cuiusque principium summa attentione detegat. Discernat etiam utrum error quisquis proveniat ex aliquo principio in se erroneo, vel ex cuiusdam veri principii indebita applicatione, vel etiam ex quodam methodi defectu, vel ex insufficienti problematis inspectione. Tandem in talium errorum expositione distinguat inter auctores, qui Ecclesiae Auctoritatem impugnant eiusque magisterium negant, et auctores catholicos qui Ecclesiae magisterii non satis rationem habent.

5. [*Magisterii ecclesiastici documenta cognoscenda et colenda*]. – Summopere ergo curent magistri doctrinarum sacrarum ut alumni cognoscant et magni aestiment documenta sive antiqua sive moderna magisterii Ecclesiae quae « columna et firmamentum veritatis » est (cf. *1 Tim.* 3,15): eorumdem sensum verum aperiant, indicantes quomodo eorum doctrina cum veritatibus aliunde solide acquisitis bene componatur.

6. [*De diversis magisterii documentis*]. – Clare etiam et utiliter alumnos suos doceant differentiam inter magisterium infallibile et irreformabile, sive ordinarium sive extraordinarium, quod ab omnibus christifidelibus devotissime recipi debet, secluso lapsu in fide; et magisterium non infallibile, quod vero non solum silentium obsequiosum, sed etiam interiorem religiosum assensum exigit;[12] ita ut quando Romani Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, res illa, secundum mentem et voluntatem eorundem Pontificum, quaestio liberae inter theologos disceptationis iam haberi non possit, donec ulteriores investigationes factae et novae rationes, Ecclesiae reverenter propositae et ab Ipsa perpendendae, inventae sint.[13] Quare magister bene prae oculis habeat differentem valorem doctrinarum, apte distinguens quaenam secundum diversas notas theologicas de fide sint credenda, quaenam ut certa tenenda, quaenam ulteriori investigationi subicienda.

Cum vero Episcopi in communione cum Romano Pontifice in propria Ecclesia docentes vel in conciliis particularibus congregati, magistri authentici sint et evangelicae praedicationis testes,[14] sacrarum disciplinarum magistri supra et extra Episcoporum magisterium non sese existiment, quin immo in alumnis venerationem et amorem erga illud inducant.[15]

7. [*De auctoritate magistrorum*]. – Exinde magister et in docendo et in scribendo differentiam bene percipiat inter auctoritatem doctrinalem Summi Pontificis et Episcoporum in communione cum Ipso docentium, qui unice magistri authentici in Ecclesia a Christo statuti sunt,[16] et auctoritatem eorum, qui quidem ab Ecclesia delegationem docendi obtinent, quorum tamen doctrina non habet valorem authenticum nisi prout doctrinam ipsam magisterii Ecclesiae exponit vel etiam in quantum Ecclesia approbante et invigilante, communi et constanti consensu proponitur.[17] In aliis vero doctrinis vel opinionibus propriis et personalibus sacrae scientiae magistri nullam Ecclesiastici Magisterii habent auctoritatem, sed eam tantum quae eorum argumentis scientificis convenit.

Caveant ergo magistri ne suis opinionibus etsi bene fundatis valorem ipsius magisterii Ecclesiae tribuant. Quapropter prudentes et humiles sint, nec existiment suam

opinionem in rebus disputatis esse ipsius Ecclesiae doctrinam neve eos qui illam opinionem reiciunt, de errore in fide vel de deficiente erga Ecclesiae magisterium obsequio arguant.

8. [*Conclusio*]. Quae tandem de obsequio erga Magisterium dicta sunt, valent de omnibus disciplinis quae directe vel indirecte relationem habent cum revelatione; quare non tantum de disciplinis sacris, sed, servatis prudenter differentiis, valent etiam de aliis scientiis, imprimis de philosophia, quippe quae ad Revelationis veritates penetrandas, illustrandas et defendendas tantopere conferre possit.[18]

NOTAE

[...]

10

EM.MUS FERNANDUS CARD. CENTO

Praeses commissionis de apostolatu laicorum praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE APOSTOLATU LAICORUM
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 1398/62

E Civitate Vaticana, die 17 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Come l'Eminenza Vostra Reverendissima me n'aveva fatto richiesta, con il venerato foglio n. 272/SE, in data 22 giugno 1962,[1] ho fatto esaminare attentamente le proposte di emendamenti avanzati dagli Eminentissimi, Eccellentissimi e Reverendissimi Membri della Commissione Centrale, riguardanti gli schemi della Commissione « De Apostolatu Laicorum », da me presieduta.

Ho il piacere di rimettere all'Eminenza Vostra Reverendissima, insieme con il fascicolo di dette proposte, il risultato del lavoro compiuto, che io ho seguito da vicino, e cioè: l'indicazione degli emendamenti accolti e la giustificazione di quelli non accettati.[2] Unisco pure una copia dei quattro schemi emendati secondo le osservazioni fatte ed accolte.

---

[1] Cf. pp. 331-332.

[2] Commissionis responsiones typis editae sunt in fasciculo *De emendatione schematis constitutionis de apostolatu laicorum*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 52: cf. pp. 429-455.

Colgo l'occasione per esprimerLe i sensi della più profonda venerazione e, mentre Le bacio umilissimamente le sacre Mani, mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servitor vero

FERNANDO CENTO, *pres.*

A Sua Eminenza Reverendissima
il Sig. Card. Carlo CONFALONIERI
Presidente della Sottocommissione degli emendamenti

ADNEXA

I

NOTE ALLE OSSERVAZIONI GENERALI

Queste Osservazioni Generali sono undici; e sono di due generi: in effetti, solo quelle dei numeri 1, 8 e 11 riguardano difficoltà sollevate da un numero rilevante di Membri della Commissione Centrale.

Le altre sono state formulate da un solo Membro; ma, essendo di una certa importanza, indicate, inoltre, da parecchi altri Membri (« ad mentem Em.mi... », senza precisare, tuttavia, a quale parte dell'intervento del Sig. Cardinale si riferivano), abbiamo creduto bene trattarle più a fondo e a parte.

NOTE SULLE QUATTRO PARTI DELLA COSTITUZIONE

Per quanto riguarda le quattro Parti della Costituzione, sono state corrette secondo i criteri seguenti:

1. Abbiamo fatto le soppressioni segnalate nei quattro fascicoli delle Osservazioni;

2. Abbiamo apportato le correzioni accettate;

3. Abbiamo fatto, a nostra volta, un certo numero di nuove correzioni che ci sono sembrate necessarie.

La numerazione non è stata cambiata, né per le soppressioni, né per le aggiunte: per queste ultime, è stato adoperato il « bis ».

II

Schema emendatum constitutionis DE APOSTOLATU LAICORUM

PROOEMIUM GENERALE

[*Christus Apostolus*]. – «Sic... Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum».[1]

Constituit ergo Eum Pater «Apostolum et Pontificem confessionis nostrae»[2] et sacramento voluntatis suae proposuit «instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt, ... in laudem gloriae ipsius».[3]

Christus autem, quae placita sunt Patri semper faciens[4] venit in mundum, et, similis fratribus per omnia,[5] habitavit in nobis[6] atque nos ad se vocavit ut cum ipso manentes, amici eius, immo unum cum ipso fieremus in Ecclesia Sancta, socii passionum et consolationis[7] necnon missionis eius in universo mundo.

[*Unum cum Christo*]. – Ecclesia autem Christi est Civitas Dei Viventis et Ierusalem Coelestis,[8] eius membra sunt «cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo Iesu»;[9] immo ad Christum pertinent, testante Apostolo: «Vos autem estis corpus Christi et membra de membro».[10] «Quicumque enim in Christo baptizati estis Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina: omnes enim vos unum estis in Christo Iesu».[11] Si ergo christifideles unum sunt in Christo et «singuli... alter alterius membra»,[12] vivant oportet in perfecta communione sanctorum, «caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes; ... necessitatibus sanctorum communicantes»:[13] etenim «si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra».[14]

[*Missio Ecclesiae pro totius mundi salute – Omnes fideles participes*]. – Item, quia Ecclesia unum cum Christo est, cuius regale sacerdotium et opus Redemptionis in terris continuat, tota se et indesinenter impendit in missione implenda eiusdem, qui ait: «Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere: et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor».[15] Nec sinit caritas Christi, qua vivunt membra eius, ullum, qui veri nominis christianus esse cupit, ab hoc opere salvifico se eximere: «Etenim qui Deum diligit non velle nequit ut omnes eum diligant; qui autem proximum suum vere diligit, haud nequit sempiternam eius salutem non optare vel nolle. Iamvero in hoc, tamquam fundamento, apostolatus consistit; qui nihil aliud est quam usus quidam christianae illius caritatis qui omnibus hominibus praescriptus est»;[16] «hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire».[17]

[*Missio Ecclesiae extenditur etiam ad ordinem temporalem – Laicorum pars*]. – (Denique cum Christus sit «Principium, Primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse

primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris sive quae in coelis sunt »,[18] Ecclesiae missio est omnibus membris suis, potissimum vero christifidelibus laicis cooperantibus, mundum quoque temporalem, immo materialem, utpote creaturam ingemiscentem et parturientem usque adhuc, ad illum statum adducere, in quo perfecte liberabitur « a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei ».[19]

[*Laicorum actio semper in apostolatu Ecclesiae locum habuit*]. – Laicorum cooperationem inde ab exordio Ecclesiae locum habuisse luculenter ostendunt Actus Apostolorum[20] eorumque Epistolae.[21] Iam tempore persecutionum partem habuerunt in divulgando sermone Domini, in apologiis conficiendis pro religione christiana, in scientiis et arte christiana evolvendis. Quantum posterioribus antiqui et medii aevi saeculis ad orbem evangelica lege fermentandum contulerint viri et mulieres in alta potestate civili positi, quantum coetus operibus misericordiae sese devoventes, quantum multiplicium professionum sodalitia nemo est qui ignoret. Errare quidem potuerunt aliquando principes laici in recte determinando temporalium rerum ordine ad spiritualia: splendida tamen protulerunt in multis populis documenta et monumenta quae Ecclesiae virtutem universi mundi sacrandi illustrant.

[*Condiciones hodiernae*]. – Recentioribus saeculis, apud plures gentes occidentales praesertim, Divina Providentia permittente, multae provinciae ordinis temporalis sese alienarunt ab ordine spirituali, declinantes ad atheam usque et naturalisticam autonomiam, cum detrimento utriusque ordinis. Recentissimis tamen temporibus signa multiplicari videntur felicis cuiusdam rerum conversionis: cum enim profundiores quaestiones progressu scientifico et technico — aucto in dies hominum numero et ampliato rerum profanarum dominio — oriantur, non pauci homines adiguntur, saecularismi angustias superare mentemque suam veritatibus ac rebus divinis aperire; messis magnae conspicimus spatia dilatata quae laicorum praesertim expectant apostolatum. Accedit quod in regionibus nuper Evangelio conciliatis condiciones novarum communitatum christianarum saepe Ecclesiae primordia imitantur atque repetunt; quae communitates laicos in nationibus iam diu luce evangelica expertis cooperari desiderant cum laicis nativis, ut novus in universali Ecclesia apostolicus impetus praeparetur.

Eodem tempore, non sine peculiari Spiritus Sancti motione, in christifidelium animis et in ipsa communitate christiana vividior et profundior sensus Ecclesiae efficiebatur ac efficitur et inde magis magisque clarior persuasio etiam laicos arctissimo vinculo ad Ecclesiam pertinere et de vita ipsius participare ac respondere, immo et ipsos Ecclesiam esse ac ut membra Ecclesiae proprium munus adimplere in hac communitate idque necessarium esse ad ipsius vitam aeque evolvendam.[22]

Hierarchia proinde, de animarum et mundi salute sollicita, eoque magis quo urgentioribus in dies premitur necessitatibus evangelizationis et curae pastoralis, possibilitatem cleri longe excedentibus, instantius in dies etiam laicos arcessere non desiit neque desinit, ut missioni Ecclesiae Evangelii annuntiandi omni creaturae et omnia in Christo instaurandi cooperentur. Laeto conspicit animo laicos qui plures in dies, his omnibus moti allecti sunt et aliciuntur, ut seipsos ad opus Ecclesiae impendant.

[*Exhortatio*]. – Has igitur Romanorum Pontificum atque universi orbis episcoporum voces excipiens et urgens, haec Sacrosancta Synodus laicos magnopere hortatur ut aetatis huius nostrae gravitatem, necnon eius praegravia pericula vehementesque per-

turbationes atque eximiam intelligant spem; agnoscant quoque se, ut membra viva et actuosa Ecclesiae, munus et partes habere, quae ab aliis neque praestantur, neque praestari possunt.

Immo, ipse Christus, per hanc sanctam Synodum, omnibus christifidelibus ardentem invitationem renovat ut omnes cum ipso intimius in dies iungantur et, quae illius sunt, ut propria sentientes,[23] in eius salvificam missionem consocientur: denuo eos mittit in omnem civitatem et locum, ut illi viam sternant.[24]

Proinde haec Sacrosancta Synodus christifideles omnes enixe pro Deo et propter Deum obtestatur ut Christo eos vocanti pareant et Spiritus Sancti docibiles fiant.[25] Ab omnibus, sive sacerdotibus, sive religiosis, sive laicis, instanter expetit ut momentum cooperationis laicorum in apostolatu Christi et Ecclesiae agnoscant, utque in auxilium fratrum et Ecclesiae Christi omnes unanimiter praesto sint.

Notae

[...]

Pars I
NOTIONES GENERALES

Caput I
Laici in apostolatu ecclesiae[1]

1. [*Christifideles membra Corporis Christi Mystici*]. – Homo per sacramentum Baptismi in Corpus Christi Mysticum tamquam membrum inseritur atque per Confirmationem ad plenitudinem vitae christianae corroboratur. Iisdem sacramentis arcano ac analogico sed reali quodam modo particeps redditur Regalis Sacerdotii Christi viribusque et donis spiritualibus abunde ditatur ut ex omnibus membris Christi « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta » constituatur.[2]

2. [*Sentire et agere cum Ecclesia*]. – At sicut nullum membrum alicuius viventis organismi potest mere passive sese habere, sed simul cum vita debet etiam necessario operositatem totius organismi participare, sic in Corpore Mystico Christi, quod est Ecclesia, nullum membrum potest mere receptivum manere, sed debet, ut in eo vivat, et cum ipso sentire et agere.

Sentire cum Ecclesia est sese conformare menti eius intimoque corde participare sollicitudinem eius pro gloria Dei et salute animarum. Agere cum Ecclesia est efficaciter cooperari, quantum fieri potest, in vitali profectu quo Corpus Mysticum in terris indesinenter et necessario crescit « donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi »;[3] crescit vero Ecclesia « extensive » progrediente hominum aggregatione in sinum suum et « intensive » per ferventiorem in dies vitam fidelium christianam.

3. [*Sacerdotium universale fidelium*].[4] – Universale omnium fidelium sacerdotium qui Baptismate et Confirmatione Christo configurantur, non confundendum est cum ministeriali quod ut eius speciales tamquam Capitis Ecclesiae significarentur et conti-

nuarentur potestates, Christus Episcopis, presbyteris, diaconis committi voluit; utrumque tamen est unius eiusdem Christi sacerdotii realis participatio, quamvis ab invicem essentialiter differant.

Quo sacerdotio christifidelibus datum est: active participare in SS. Eucharistiae Sacrificio, quod quidem a solo ministro in persona Christi agenti conficitur, et una cum Christo Sacerdote et Victima, tamquam membra Capiti coniuncta, illum, seseque cum illo, aeterno Patri offerre ac de ipsius Corpore et Sanguine communicare; cultu liturgico, oratione, operibus caritatis «offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum»;[5] patientia in adversis et voluntariis poenitentiis cooperari cum Christo in opere redemptionis, iuxta illud: «vobis est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini»;[6] docere verbum Dei quos possunt et exemplo vitae suae mundo Christum praedicare: «vos autem genus electum, regale sacerdotium... ut virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum».[7]

4. [*Laici in Ecclesia Dei*]. – «Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum Corpus sumus in Christo, singuli alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam quae data est nobis differentes»;[8] proinde in populo sancto Dei, alii vocantur ad statum clericalem, alii ad «statum perfectionis», quem dicunt, amplectendum, alii vero ad Deo serviendum in communi Christifidelium statu et in ordinariis plerumque conditionibus vitae familiaris et socialis.[9]

Nomine laicorum hic veniunt Christifideles, quibus communia iura et officia personae in Ecclesia competunt, quique, ad statum clericalem vel perfectionis non pertinentes, vocantur ad suam christianam perfectionem in mediis mundi negotiis attingendam.[10]

5. [*Apostolatus laicorum*]. – Opus apostolicum Christi in terris continuare totius Ecclesiae missio est, quam ipsa non solum per Hierarchiam exsequitur, sed etiam per caeteros christifideles. Ideo apostolatus, qui strictiore sensu munus Apostolis concreditum dicit eorumque successoribus, latiore tamen sed vero sensu omnem Corporis Mystici actionem significat, qua, una cum et sub iisdem pastoribus, regnum Christi in terris progreditur per applicationem fructus Redemptionis; et hoc sensu etiam laici de apostolatu Ecclesiae participant et cum Hierarchia, etsi diversimode, unum in Ecclesia apostolatum exercent.

Cum vocatio ad apostolatum sit de essentia ipsius vocationis christianae, Christifideles omnes, ex eorum insertione Corpori Mystico et participatione Sacerdotii Christi, recipiunt divinitus datum ius et officium exercendi, suo quisque modo, apostolatum Ecclesiae.[11]

6. [*Laicorum munus magis proprium*]. – Dantur autem modi laicis magis proprii ad Ecclesiae missionem actuandam cooperandi, qui ex ipsorum actuositate et condicionibus exoriuntur:

a) vita ipsa testimonium Christo praebent, verbum Dei et caritatem Christi praesertim erga egentes fratres circumferunt, maxime vero praesentiam Christi, qua per gratiam ditantur, afferunt;

b) familiam christianam exstruunt, in qua peculiari ratione ordo naturalis supernaturali occurrit, quaeque filios humanae familiae ac Ecclesiae progignit;

c) munere proprio concurrunt ad consilium Dei, unicum quidem tam naturalia quam supernaturalia in se complectens, exsecutioni mandandum, adlaborantes scilicet

ad restaurandum ac perficiendum ordinem naturalem a peccato perturbato eumque spiritu christiano permeandum;

d) propria experientia ac laicali actuositate collatis, ad opus liturgicum, evangelizationis, caritativum, administrativum et organizativum Ecclesiae operam dant;[12]

e) fidelium cum Hierarchia, mundi et omnium hominum cum Ecclesia occursui favent.

In varia hac et multiplici operositate, laici, quippe qui rebus temporalibus immediatius et universalius implicentur quique ad hoc munus adimplendum gratiis peculiaribus a Deo ornentur, ad gloriam Eius qui in Christo «subiecit sibi omnia ut sit Deus omnia in omnibus»,[13] ita conferunt ut ab aliis substitui nequeant.

7. [*Dona charismatica*]. – Aliquando ad maiorem efficaciam apostolatus, Spiritus Sanctus confert laicis, sicut et clericis, dona charismatica extraordinaria; quae cum sint media peculiaribus necessitatibus Ecclesiae accommodata, non sunt tamen temere expectanda neque praesumptorie ab eis sperandi operarum fructus apostolicarum sed, dum a Deo conceduntur, humilitate et consolatione accipienda sunt et semper Ecclesiae iudicio et disciplinae subicienda.

8. [*Laicorum dignitas*]. – Agnoscant proinde laici dignitatem suam quae commune privilegium communisque gloria est omnium cuiuscumque conditionis membrorum Ecclesiae, ut pulchre demonstrat Augustinus: «Ubi me terret quod vobis sum, ibi me consolatur quod vobiscum sum. Vobis enim sum Episcopus, vobiscum sum Christianus. Illud est nomen suscepti officii, hoc gratiae; illud periculi est, hoc salutis».[14]

Notae

[...]

Caput II

De relatione ad hierarchiam[1]

Praeambulum

Ecclesia Corpus Mysticum est, in quo «officia membrorum dispertita sunt, sed unus spiritus continet omnia. Multa iubentur, multa fiunt: unus iubet, uni servitur».[2] Nam, ut ait S. Paulus, Christus «dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores; ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi».[3]

Haec autem diversitas et hierarchicus ordo ministeriorum non inficit fundamentalem aequalitatem et mutuam coniunctionem omnium membrorum Ecclesiae. Unde Augustinus: «Custodimus enim vos ex officio dispensationis, sed custodiri volumus vobiscum. Tamquam vobis pastores sumus, sed sub illo pastore vobiscum oves sumus. Tamquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno Magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus».[4]

Cum igitur Ecclesia familia sit, cuius membra «iam non (sunt) hospites et advenae, sed (sunt) cives sanctorum et domestici Dei»,[5] sua ipsa natura arctam unionem et concordem operam omnium membrorum suorum exigit.

9. [*Hierarchiae munus*]. – Sacrae Hierarchiae est principia directiva, praecepta et spiritualia subsidia ad fidelium apostolatum tradere.

10. [*Diversae ad Hierarchiam relationes*]. – Apostolatus laicorum, sive ipsi singuli, sive consociati agunt, relate ad Hierarchiam, varios subordinationis gradus admittit, ratione obiecti vel iuxta diversas eiusdem apostolatus formas.

11. [*Missio canonica*]. – Semper Ecclesia consuevit laicis munia quaedam committere, quae proprie ad ipsam Hierarchiam pertinent, e.g. circa Sacramentorum administrationem ac liturgiae celebrationem,[6] doctrinae catholicae catechesim, animarum curam.

Actus, quo ecclesiastica Hierarchia ad haec similiave munia auxiliaria exercenda laicos advocat, convenienter denominatur missio canonica. Vi missionis canonicae laici hierarchicum apostolatum quodammodo participant, et, quoad muneris collati exercitium, plene subduntur superioris ecclesiastici moderationi, et eorum apostolatus officialis in Ecclesia evadit.

12. [*Mandatum*]. – Est et alius actus quo ecclesiastica Hierarchia, propter exigentias boni communis Ecclesiae, tamen ad ordinem spiritualem quod attinet, apostolatum laicorum sub sua responsabilitate[7] assumit eumque iuxta adiuncta diversimode ordinat, quin laicorum auferatur necessaria initiativa. Iuxta nominis acceptionem a Summis Pontificibus ac plurimis Episcopis nostris hisce temporibus adhibitam, ille actus apte mandatum denominatur. Quo mandato laici vocantur peculiari modo ad collaborationem cum apostolatu hierarchico.

13. [*Probatio vel laus*]. – Aliquando a Sacra Hierarchia eriguntur aut simplici probatione vel etiam laude donantur quaedam laicorum apostolatus formae, quae valde in bonum Ecclesiae publice quidem agnoscuntur vel commendantur.

Nulla autem associatio vel motus aut inceptum ut catholicum sese exhibeat, nisi implicite vel explicite consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

14. [*Aliae formae*]. – Plurima autem inveniuntur in Ecclesia incepta apostolica, quae laicorum libera electione ac prudenti iudicio exercenda relinquuntur, salvo tamen iure Hierarchiae invigilandi ad abusus praecavendos vel forte exortos corrigendos.[8]

15. [*Pastores et laici*]. – Episcopi, parochi caeterique sacerdotes apostolatum laicorum impense promoveant; magnam curam praestent laicis in apostolatu militantibus; libenter eorum consilio iuxta rerum competentiam utantur; cum fiducia eis in servtium Ecclesiae munera committant; illis in proprio ambitu pro rei natura agendi libertatem et spatium agnoscant.

Laici vero pastores suos reverenti dilectione et docilitate prosequantur, iisque filiali fiducia quaestiones suas et optata patefaciant.

NOTAE

[...]

Caput III

De munere sacerdotum in apostolatu laicorum[1]

16. [*Huius muneris momentum*]. – Sacerdotes omnes, etiamsi non peculiariter organizationibus[2] apostolicis laicorum addicti sint, semper in mente habeant sibi una cum laicis laborandum esse in Ecclesia et pro Ecclesia, et laicis in eorum apostolatu suum ministerium praestandum esse sive in vita communitatis christianae, sive in personali commercio cum laicis ipsis.

17. Enixe commendatur ut inceptis apostolicis laicorum, sive localibus, praesertim dioecesanis, sive nationalibus ac internationalibus numquam desit assiduum et continuum ministerium sacerdotale.

18. [*Sacerdotes apte seligendi*]. – Episcopi, memores gravissimi huius officii momenti, magna cura seligant sacerdotes huic apostolatui idoneos,[3] audito, si putaverint, consilio etiam prudentium laicorum.

Eadem obligatione tenentur superiores religiosi erga suos subditos.

Optandum est ut sacerdotes huic ministerio addicti non impediantur in eo adimplendo multiplicitate aliorum munerum; Episcoporum cura erit ut eorum sustentationi adaequate provideatur.

19. [*Praesto sint ad hoc munus adimplendum*]. – Sacerdotes autem omnes semper parati sint, pro rerum adiunctis, ad huiusmodi perutile ac Deo gratissimum ministerium praestandum.

20. [*Religiosorum cooperatio*]. – Religiosi, sive fratres sive sorores, qui operibus apostolatus laicorum dedicantur, munera sacerdotis substinere, adiuvare, complere curabunt.

Praesertim in quibusdam apostolatus provinciis opus religiosorum maximi momenti erit, uti sunt associationes aut instituta in bonum pertinentium sive ad iuvenilem, sive ad provectiorem aetatem, vel ubi desit copia sacerdotum.

Salvo semper munere proprio sacerdotis adsistentis et legitima laicorum libertate, religiosi multum afferre valent ad efficientiam apostolatus non solum quoad technicam ordinationem sed etiam quoad formationem, ac quoad ipsius actionis apostolicae animationem.

21. [*Sacerdotes et laici*]. – Sacerdotes qui huic ministerio vacant, quisque pro missione accepta, Hierarchiam repraesentant, eius praecepta et principia directiva communicant, aptas laicorum relationes cum Hierarchia fovent ipsamque de eorum optatis certiorem faciunt.

In suo sacerdotali labore inter laicos, apud moderatores praesertim, quam maxime cordi habeant ut fidelitas doctrinae et spiritui Ecclesiae servetur; seipsos in educanda vita spirituali et sensu apostolico Christifidelium sibi commissorum impendant; apostolicae laicorum operositati sapienti consilio adsint eorumque incepta foveant; una cum laicis ipsis attente inquirant quaenam sint formae ad efficaciorem reddendam apostolicam actionem; unitatem spiritus in consociationibus ipsis et earum cum aliis promoveant; communi associationum orationi praesint.

22. Attento semper sacerdotali munere, agnoscant et observent propriam laicorum dignitatem et responsabilitatem, humano ac fraterno spiritu et plena fiducia erga eos sese gerentes. Libenter autem sacerdotes laicis ea omnia relinquant quae ipsi agere possunt.[4]

23. [*Clericorum et sacerdotum praeparatio*]. – In clericorum institutione pastorali suum locum habeat studium doctrinale ac practicum de laicorum parte in apostolatu Ecclesiae, de diversis formis et operis apostolatus laicorum deque proprio sacerdotum in hac re munere.

Eadem norma servetur in formatione religiosorum, sive fratrum, sive sororum.

24. Sacerdotes ipsi hanc suam praeparationem indesinenter prosequantur, non solum per orationem et suae vitae spiritualis incrementum, sed etiam per constans studium doctrinae sacrae et condicionum temporum ac locorum in quibus cum laicis operari tenentur, sive ut animatores apostolatus, sive ut directores spiritus.

Ad hunc finem obtinendum commendandi sunt conventus sacerdotum, qui eorum aptam formationem quoad laicorum apostolatum promoveant ac mutuam collaborationem foveant.

Notae

[...]

Caput IV

De apostolatu a singulis exercendo

25. [*Diversae formae apostolatus individualis*]. – Semper in Ecclesia, inde ab ipsis exordiis,[1] christifideles, sub Spiritus Sancti motione, ad salutem non solum propriam sed et aliorum multimode sese impenderunt.

Hoc officium omnium et singulorum est baptizatorum, cuiusvis aetatis, sexus et conditionis.

Ad apostolatum speciatim a mulieribus exercitum quod attinet, S. Concilium commemorat momentum eius haud raro tamen neglectum, huic nostrae aetati omnino peculiare: sive quia mulier omnia convictus humani saepta iure meritoque ingreditur, sive quia humanum consortium ipsum magis ac magis, in hodiernis praesertim adiunctis, animi ac ingenii dotibus indiget quibus mulieres, Creatore donante, speciali modo praeditae sunt.

Omnes quidem laicos vehementer hortatur ut apostolatus sensum sedulo colant ac vita exprimant, tamquam primordialem universalemque exigentiam ipsius christianae professionis.

26. [*Omnia opera ad gloriam Domini*]. – Hic spiritus apostolicus exigit ut suos quisque actus omnes et totam vitam suam dirigat ad maiorem Dei gloriam et ad consilium eius exsequendum: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum ».[2]

27. [*Orationis apostolatus*]. – Orationis apostolatus, quo laudibus Deo gratis caritas Christi in mundo diffunditur ac Ecclesia aedificatur, et enixis precibus salus impetratur animarum, magni ab omnibus laicis habendus est et continuo exercendus non solum secum privatim sed et cum aliis, praesertim in cultu liturgico.

Suppliciter autem Deum orare ipsi numquam praetermittant pro suae operae, etiam familiaris, professionalis, socialis foecunditate, ac pro personis quibuscum vivunt et pro quibus spondere tenentur; nam sine gratiae coelestis rore in vanum laborant qui aedificant domum.[3]

Christifideles autem quos divina gratia ad intimiorem orationem et contemplationem in mediis saeculi negotiis colendam invitat, huic gratiae humiliter et generoso animo cooperentur ad suam sanctificationem Ecclesiaeque aedificationem, minime praetermissa officiorum suorum fideli adimpletione.

28. [*Conformitas Christo patienti*]. – Omnium et singulorum officium et privilegium est Christo patienti sese conformare, iuxta illud Apostoli: « semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris »,[4] et laborum aerumnarumque vitae humili tolerantia, necnon voluntariis poenitentiis, non modo offensae divinae Maiestatis placationem implorare ac suorum aliorumque peccatorum veniam deposcere, sed etiam huius saeculi hedonismo devicto, Crucis victoriam Christique regnum promovere.

Qui vero, gravibus afflicti infirmitatibus, omni frugiferae activitati impares mundi oculis videntur, meminerint quanti pretii sit quamque Ecclesiae aedificandae utilis, apostolatus ad quem vocati sunt, nempe, sedulo in gratia Dei viventes, passionem Christi in Corpore Eius Mystico perpetuare, suasque afflictiones in bonum spirituale omnium convertere, gaudentes cum Apostolo qui aiebat: « Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia ».[5]

29. [*Cohaerentis vitae lux*]. – Christifideles consonantia vitae et fidei opera temporalia spiritu Evangelii imbuentes, tales seipsos praebeant ut Domini praeceptum impleatur: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est ».[6]

Praesertim autem fraternitatem sedulo colant ac caritate omnia opera sua vivificent ita ut Domini discipuli ex mutuo amore agnoscantur.[7]

Meminerint praesertim Christifideles cum non catholicis, etiamsi occasionaliter, conviventes, quam efficax fidei testimonium cotidie catholica sua professione iis praestare valeant, et caveant « ne nomen Domini et doctrina blasphemetur »,[8] sua ipsorum agendi ratione.

30. [*Apostolatus verbi*]. – Christifideles numquam negligant apostolatum verbi, quo in ordinario .commercio inter homines, veritas et amor Dei dilatatur. Per verbum enim, cui Christus Incarnatione et vita sua vim sanctificativam contulit, Deus benedicitur, homines inter se communicant, fides annunciatur.[9]

31. [*Ecclesiam opibus sustentent*]. – Laici christifideles, dum spiritualiter Ecclesiam aedificare contendunt, ne negligant etiam opibus suis eius Instituta, opera caritatis, missiones substentare; nec gravamen sibi, sed privilegium existiment stipibus suis Ecclesiae necessitatibus subvenire. Suis enim oblationibus non solum grates Deo pro receptis beneficiis agent suaque bona quodammodo consecrabunt, sed et Ecclesiam ab alienis subsidiis independentem et in sua missione implenda magis liberam reddent.

32. [*Libertas et zelus*]. – Recolant christifideles suam ipsorum navitatem apostolicam intra rigida schemata arctari non posse sed magna ex parte eorum liberae et prudenti electioni et industriae committi, quae ex caritate procedit sub Spiritus Sancti motione, in filiali devotione et collaboratione cum suis pastoribus.

Omnes proinde occasiones, suo prudenti iudicio suscipiant et excitent ut « omni modo... Christus annuncietur ».[10]

33. [*Apostolatus singulorum momentum in condicionibus particularis discriminis*]. – Apostolatus singulorum particularis momenti exsistit in regionibus ut aiunt « dispersionis » (diaspora) catholicorum.

Maxima vero necessitate hic apostolatus urget grassante persecutione vel graviter impedita Ecclesiae libertate. Tunc enim laici vicem pro posse sacerdotum in vinculis supplentes, ipsam suam vitam in discrimen ponentes, eos qui circa se sunt christianam docent doctrinam, ad vitam religiosam ac mentem catholicam instituunt, ad sacramenta frequenter suscipienda pietatemque praesertim eucharisticam colendam inducunt.[11]

Sacrosancti Concilii Patres, dum ex imo corde grates agunt Deo qui, nostris etiam temporibus, heroicae fortitudinis laicos in medio persecutionum suscitare non desinit, paterno affectu ac gratitudinis sensu complectuntur et ad ulteriores labores eos animant, qui, regionibus ubi Ecclesia in vinculis patitur, arduum suum explicant apostolatum ac constanter in catholica fidelitate erga Sanctam Sedem perseverant.

NOTAE

[...]

Caput V

De laicis qui speciali titulo in servitium Ecclesiae addicuntur

34. [*Factum ipsum*]. – Peculiari materna cura Ecclesia complectitur laicos, sive caelibes, sive coniugatos, qui seipsos Hierarchiae exhibent suam professionalem competentiam offerendo, sive in perpetuum, sive ad tempus, in servitium institutionum et operum Ecclesiae, verbi gratia locorum divini cultus, educationis, curae infirmorum, servitii socialis.

Magni autem gaudii Ecclesiae est quod nostris temporibus, crescente in dies numero, laici sese praebent in servitium Associationum et operum quae magis directe apostolatui addicuntur, sive intra fines suae nationis, sive in ambitu internationali, sive praesertim in missionibus ad extra.

35. [*Eorum vita spiritualis et praeparatio*]. – Qui hac ratione sese Ecclesiae devovent, virtutibus christianis praesertim in vita sua domestica et professione excellant, spiritu caritatis, paupertatis, humilitatis, sui abnegatione ac zelo apostolico eluceant.

Curam specialem adhibeant in scientia caeterisque qualitatibus acquirendis quae suis muneribus rite obeundis respondent. Bonum operis cui addicuntur praeferant privato commodo vel nationis vel organizationis ad quam forte pertineant. Sensum universalem Ecclesiae semper devote colant.

36. [*Adsistentia eis debita*]. – Locorum Ordinarii, grato animo, hos laicos paterne recipiant, curent ne eorum conditio iuridica indefinite relinquatur neve umquam careant necessaria institutione, spirituali solamine ac incitamento, et mediis pro honesta sui et familiae sustentatione, iuxta requisita iustitiae, aequitatis et caritatis.[1]

Clerus quidem et populus christianus observantia ac favore eos prosequantur.

NOTAE

[...]

Caput VI

De familia ut subiecto apostolatus

Praeambulum

Per matrimonium constituitur familia christiana, quae inde subiectum apostolatus efficitur, immo et eiusdem apostolatus pro omnibus membris suis schola.

Apostolica autem haec societatis familiaris actio peculiare hodie momentum obtinet, cum efficacia familiae in ipsam Ecclesiam aedificandam plenius agnoscatur.

Concilii Patres tamen minime latet quam difficile familiae saepe sit huic praestantissimo muneri satisfacere, tum ob christianae institutionis, cognitionis atque debitae aestimationis defectum, tum, in pluribus locis, ob infaustas oeconomicarum ac socialium rerum condiciones, in quibus permultae familiae vitam degere debent.

Ideo Sacrosanctum Concilium omnes ad quos pertinet invitat ad impigram navandam operam ut familiae facultas sit apte congruenterque suis perfungi officiis.[1]

37. [*Familia ut subiectum apostolatus*]. – Regni Christi propagatio postulat ut ipsae familiae non solum apostolicae actionis Ecclesiae bona recipiant, sed etiam, ratione sua propria, eiusdem apostolatus adiutrices et redemptionis instrumenta fiant.

38. [*Matrimonium fons apostolatus familiaris*]. – Coniugalis societas, ad propagationem generis humani instituta, per matrimonii sacramentum qua talis Ecclesiae inseritur et de plenitudine eius vitae vivit, propria ratione ad aedificationem Corporis Christi ordinatur et gratiis ad hoc congruentibus luculenter ditatur.

Amoris et unionis Christi cum Ecclesia, iam ab initio per unionem viri et mulieris praefiguratae, vivam imaginem in se coram Deo et hominibus matrimonium christianum praebet, quod, testante Apostolo, est «sacramentum magnum» in Christo et in Ecclesia.[2]

39. [*Mutuus coniugum apostolatus*]. – In celebratione matrimonii, ipsi coniuges sunt gratiae ministri.

Vi ipsius sacramenti uterque coniux munus et officium habet ut erga alterum gratiae sit cooperator, necnon caritatis Christi et Ecclesiae testis. Per utriusque sanctificationem eorumque spiritualem unionem, maior Dei gloria et Ecclesiae aedificatio obtinentur.

Ad mutuam conformationem, ad assiduum se invicem perficiendi studium[3] coniuges sese impendant praesertim propria in sacrario familiae munera adimplendo.

Quod munus et officium pro alterutro peculiarem gravitatem induit, si quando infeliciter alter ex coniugibus alienus sit ab Ecclesia vel a fide vel a christianae vitae usu.[4]

40. [*Coniugum munus apostolicum in familia*]. – Coniuges ad Corporis Mystici aedificationem cooperantur per vitae humanae propagationem secundum Dei praescriptiones sanctissimas, firmissimas, inviolatas,[5] per filiorum sollicitam praesentationem ad Baptismum, humanam christianamque institutionem, in primis ipsis tradendo Verbum Dei et eos ad spiritum et opera apostolatus efformando.

Parentum est etiam filios educandos adiuvare ut vocem, qua Deus eos appellat, attente inquirant et libenter excipiant, sive Ipse eos ad novam familiam efformandam, sive ad Christi servitium in vita sacerdotali vel in statu evangelicae perfectionis, sive ad

vitam caelibem in mundo degendam vocet. Ad filiorum formationem apostolicis iuvenum consociatonibus eorum adhaesionem foveant.

41. [*Familiae totius ad apostolatum participatio*]. – Non solum coniuges, sed tota christiana familia missioni Ecclesiae inservit et eius apostolatus est particeps.

Familiae christianae communio et proinde eius apostolica efficacia quam plurimum fovetur per eius membrorum vitam spiritualem et coniunctam orationem, qua vita familiaris magis magisque particeps fit in cultu Corporis Mystici orantis et sese Deo offerentis.

Familiares omnes conari oportet quae Christi et Ecclesiae sunt uno animo inquirere, diligere et unumquemque pro posse in communitatis domesticae bonum et in eius apostolicam actionem cooperari.

42. [*Apostolatus familiae ambitus*]. – Bonum familiae apostolica pietate colendum complectatur omnes consanguineos, eos praesertim qui in senectute veneranda vitam suam perficiunt, necnon affines atque vicinos.

Speciali curae et providentiae adiutrices et adiutores domestici commissi sunt. Ipsi insuper vitae spiritualis et apostolatus familiae, pro adiunctis, participes fiant.

Inter diversas apostolatus familiaris formas haec eminet: effusa caritate advenas et hospites, praesertim temporalibus et spiritualibus bonis carentes, tecto recipere, sicque Christi praesentiam in hac «Ecclesiae cellula» quae est domus christiana apertam reddere.

Urgente amplius caritate, coniugalis et familiaris societatis apostolica operositas e domo in omnem ambitum suae vitae ac humanae consortionis diffunditur. Peculiari modo apta est societas coniugalis et familiaris ad quasdam apostolicas exercendas operas, ut in primis: sponsos ad matrimonium praeparare, coniugibus et familiis in angustiis moralibus vel materialibus versantibus, vel iis qui familia eiusque bonis carent, auxilium ferre.

43. [*Peculiare servitium Ecclesiae*]. – Laude dignae sunt familiae quae propius Ecclesiae deserviunt, uti in regionibus in quibus peculiares necessitates Ecclesiam premunt.[6]

44. [*Familiarum coetus*]. – Ad ampliorem apostolatum exercendum, familiae in coetibus opportune coadunantur, qui earum formationem promovent, cum Ecclesiae missione cooperantur, influxum christianum etiam in res temporales fovent, haud neglectis in consociationibus familiaribus neutris, et ipsius familiae iura defendunt. Si res ferant, ad hos fines attingendos, etiam cum non catholicis inceptis relationes inibunt.

45. [*De quibusdam adiunctis in quibus apostolatus per familiam peculiare momentum attingit*]. – In regionibus in quibus prima Evangelii sparguntur semina, vel Ecclesia adhuc in suis primordiis exsistit, familiae christianae, tota vita sua Evangelio cohaerentes ac matrimonii Novae Legis excellentiam ostendentes, maximi momenti testimonium coram mundo Christo afferunt.

Idem dicendum de regionibus in quibus Ecclesia in gravi aliquo discrimine versatur.

Ad regiones quod attinet, in quibus propter persecutionem actio pastoralis impeditur institutionesque ecclesiasticae auferuntur vel deformantur, familiae christianae manent ultima Corporis Mystici munimenta. Illic enim, quum alia Sacramenta non iam possint conferri, parentes, tamquam Traditionis et Ecclesiae tramites, liberis provident essentialia salutis media: baptismum et fidei traditionem. Praeterea, per Matrimonii sa-

cramentum novae familiae constituuntur, quae Ecclesiae communitatem continuent. Ita, in illis familiis, quasi in catacumbali perfugio, Ecclesia vitam degit circumscriptam sane, sed pulcherrimorum sanctitatis fructuum capacem, in qua Christus novum gratiae vernale praeparat tempus.

NOTAE

[...]

Caput VII

De consociativis apostolatus formis

Praeambulum

[*Caritate moti christifideles inter se consociantur*]. – Caritas Christi, qua Sponsa zelo Dei zelat, urget Ecclesiam inde ab exordiis ut omnia media adhibeat et ordinet, quae apta sint ad Evangelium propagandum. Unde christifideles, eadem caritate moti, inter se consociantur ad mutuam aedificationem, ad ostensionem et dilatationem caritatis et regni Christi et Dei;[1] ad veritatis et vitae christianae defensionem, vel ad solvendas quaestiones quae apostolatu consociativo indigent.[2]

[*Formae variae*]. – Magna invenitur varietas inter apostolatus formas iuxta historicam earum originem, nationum indolem, temporum ac locorum adiuncta, et praesertim iuxta diversos fines apostolicos, quos laici ipsi sibi proposuerunt vel eis ecclesiastica indicaverit Hierarchia.[3] Ad acclarandam terminologiam circa varias organizationes in quibus laici ad Regnum Dei provehendum adlaborant, Commissio de Apostolatu Laicorum exhibet titulum ipsum, quem Apostolica Sedes huic Commissioni dedit, ut «genus proximum» pro omnibus supradictis consociationibus. Sub hoc vero denominatione comprehenduntur, veluti «specificas differentias, eae quae, aut ab ipsa Sede Apostolica pro universa Ecclesia, aut ab Ordinariis pro unaquaque Dioecesi, utpote characterem apostolatus laicalis habentes, agnoscuntur».

46. [*Relationes cum Hierarchia*]. – Fidelium associationes, sive distincta lineamenta ipsius Ecclesiae, quae in dioeceses et paroecias dividitur, in sua ordinatione sequantur, sive alias structuras iuxta suum finem assumant, debitas cum Ecclesiastica Auctoritate foveant relationes.

47. [*Associationes apostolatus aestimentur*]. – Associationes apostolatus, sive ab ipsis laicis conditae, sive ab Auctoritate Ecclesiastica institutae, magni habendae sunt praesertim eae quas Ecclesia speciali modo laudaverit vel commendaverit.

Associationes vero, quas ecclesiastica auctoritas tamquam obligatorie in dioecesi vel paroecia fundandas decreverit, pariter ac a sacerdotibus et a religiosis, a christifidelibus valde aestimandae et promovendae sunt. Immo ipsi curent earum finem et spiritum agnoscere atque attente perpendant utrum ad ipsas a Deo vocentur.

48. [*Libertas et unitas*]. – Patet autem hic vigere illam libertatis legem quae fundatur in varietate donationum Dei.[4] Ipse enim dividit singulis prout vult:[5] non licet ergo uniformitatem sub specie unitatis statuere et spiritus cohibere.

Sub alio vero respectu, quantumvis multiplicitas formarum apostolatus consociati signum sit foecunditatis Ecclesiae, vitanda tamen est virium dispersio.[6]

49. [*Unde oriantur apostolatus consociati anima et vis*]. – Noverint insuper christifideles organizationem, etsi efficaciam adaugeat apostolatus, totam suam vim apostolicam depromere ex fide quae per caritatem operatur.[7]

50. [*Cohaerentia et fidelitas*]. – Alicui formae apostolatus organizati nomen dantes, eius fines, spiritum, rationem et methodum recte cognoscant, obligationes, quas libenter suscipiunt, pro posse fideliter adimpleant, in aedificationem totius Ecclesiae et sui ipsius sanctificationem.

NOTAE

[1] Cf. *Eph.* 5,5

[2] [*Tempora praeterita*]. – Statim ac aliqua christianorum communitas quemdam gradum vitalis vigoris obtinere incipit, laicorum apostolatus sub forma associata mox exsurgit. Praeclara huius rei testimonia sunt benemerentia illa opificum et artificum sodalicia Mediae Aetatis, necnon aeque foecundae Confraternitates, Tertii Ordines, Congregationes Mariales et aliae consociationes quae iuxta temporum exigentias in Ecclesia oriri non desinunt.

[*Tempora nostra*]. – Nostris hisce temporibus, civilitas in nonnullis regionibus et in multis suis aspectibus christiano afflatu destituta videtur, impulsus ad socialem organizationem in dies augentur praesertim scientia et technica instimulantibus (cf. Litt. Encycl. *Mater et Magistra*, 15 iunii 1961: *AAS* 43 [1961] p. 417); alia vero ex parte profundius animadvertunt christifideles necessitatem sese associandi ad Corporis Christi aedificationem: caritas Christi postulat ergo ut diligentius organizationes curentur quae nova praebeant instrumenta ad Evangelii praeconium annunciandum, ad christianam vitae formam affirmandam et defendendam, praesertim a perniciosis pressibus collectivis, immo ad ambitum vitae transformandum, ad inventa huius temporis in servitium Christi et honorem Dei ordinanda. «Pour primordiale qu'elle soit, la conversion individuelle... ne saurait suffire... Nous vous exhortons, chers Fils et Vénérables Frères à susciter parmi les fidèles commis à vos soins un effort collectif de renouveau chrétien de la société...», Litt. Encycl. *Le pèlerinage de Lourdes*, 2 iulii 1957: *AAS* 49 (1957) p. 615.

[...]

Caput VIII

De mutua coordinatione[1]

51. [*Relationes sponte exoriuntur*]. – Relationes quaedam sponte exoriuntur inter diversas apostolatus associationes quae eandem habent originem vel indolem vel affinibus utuntur methodis aut in eodem campo suam operam exerceant.

Inter illas quae aeque tendunt ad salutem animarum strictiores ad invicem relationes desiderantur, latiores tamen inter istas et illas quae tendunt ad apostolatum socialem.

52. [*Necessitas coordinationis*]. – Ad «unitatem spiritus in vinculo pacis»[2] promovendam in multiplici organizationum varietate, ut fines communes maxima efficacia obtineantur, perniciosae et inutiles aemulationes vitentur caritasque splendeat fraternitatis, apta exigitur mutua coordinatio.

Quae autem coordinatio, servatis uniuscuiusque organizationis indole ac cuique propria ad Hierarchiam ecclesiasticam relatione, non solum omnibus occasiones prae-

bet conveniendi et mutuam notitiam ac familiaritatem fovendi, sed etiam promovet communium apostolatus ac formationis quaestionum examen, necnon expeditiorem ac efficaciorem modum quo auctoritatis ecclesiasticae praescripta vel consilia corde uno ad effectum deducantur.

Quod maxime convenit, cum peculiaris actio pastoralis ab Ordinario promota ad aliquem finem maioris momenti organice attingendum requirit coordinationem et harmoniam apostolicae operositatis cleri, sive saecularis sive regularis, religiosorum omnium et fidelium totius dioeceseos.

53. [*Instrumenta mutuae coordinationis*]. – Hierarchiae sollicitudini commendatur opportunorum constitutio centrorum in ambitu paroeciali, dioecesano, nationali ac Ecclesiae universalis, ut variae associationes et incepta apostolica convenire et inter se communicare possint, et, salva uniuscuiusque indole et autonomia, operas suas mutuo coordinare.

54. In qualibet natione, Episcopi ut omnes apostolatus laicorum operae mutuo coordinentur ultro studeant, institutis etiam ad rem una vel pluribus commissionibus: ad quas, praeter sacerdotes, nisi speciales conditiones aliud suadeant, etiam laici vocentur.

Sapienti Summi Pontificis iudicio Sacrosancti Concilii Patres submittunt, utrum expediat precibus nonnullorum Episcoporum accedere, qui optant ut aliqua Sacra Romana Congregatio consulat apostolatui laicorum, praesertim quoad foederationes aliaque instituta catholica internationalia.

Notae

[...]

Caput IX

De spiritu apostolico

55. [*Sensus Christi; sensus humanae condicionis*]. – Ut laicus evadat homo vere apostolicus in Ecclesia Sancta, ipsius animum sensu Dei, qui est Dominus et Pater omnium, imbui oportet; pariterque sensu Christi, cuius operi redemptivo omnes cooperari tenentur, per Quem omnia et in Quem omnia creata sunt; sensu autem Spiritus qui est anima Ecclesiae, ad quam ipse laicus tamquam membrum vivum pertinet et ad quam omnes homines vocantur.

Colat simul sensum rerum creatarum humanaeque historiae, quae omnia ad gloriam Dei evehenda sunt; peculiari autem modo ratio habeatur personarum et condicionum familiarium, professionalium, civilium, in quibus, ut laicus, vivit et operari tenetur.

56. [*Fides, spes, caritas*]. – Christifideles, apostolatui Ecclesiae participantes satagant virtutibus theologicis regi, nempe:

— *in lumine fidei* secundum Deum omnia iudicare, et aestimare, peculiari vero modo homines ac res et eventus sui temporis et suae vitae quotidianae;

— *spe corroborari*, quae eorum laborem continuo sustineat et stimulet certa exspectatione gratiae Dei et fructuum suo tempore colligendorum, « exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi »;[1]

— *in caritate Dei* vivere, qua, Patrem in omnibus et super omnia et omnes homines tamquam fratres in Christo diligentes, laici cupiant impendi et superimpendi pro corporum et animarum salute, necnon pro totius mundi sanctificatione.[2]

57. [*Fidelis servus et prudens*]. – Virtutibus theologicis ditatus, qui Ecclesiae apostolatui incumbit, individualismo minime cedens, semper erga alios debitorem sese existimet; proinde, numquam quae sua sunt quaerens,[3] animi deditione et simul discretione paratus sit deservire:

— suam ipsius industriam exerceat simulque noverit cum fratribus collaborare;

— in veritate et amore Christi fidelis maneat, simulque prudens in actione adiunctis aptanda in quibus suam vitam degit.[4]

58. Amor ipse christianus et efficacitas apostolatus postulant ut colantur quam maxime animi quoque ornamenta quae a natura requiruntur, et etiam a non-credentibus maximi momenti habentur, ut sunt probitas, sinceritas, fortitudo, humanitas, peritia rerum ac sensus civicus, sine quibus nec vita christiana, nec efficax testimonium caritatis consistere potest.

59. [*Actio veluti redundantia interioris communionis cum Deo*]. – Actio in servitium Ecclesiae est veluti redundantia interioris communionis cum Deo in caritate.

Recolant christifideles omnes actionem hanc proinde illuminari, accendi, foveri per continuam, crescentem communionem cum Christo Domino; qui ignem venit mittere in terram.[5] Attingitur hoc per participationem ad vitam Ecclesiae, praesertim per liturgiam, per Verbi Dei auditum, per spiritualem lectionem, in primis Scripturae Sanctae, per orationem et meditationem, per exercitium fraternae caritatis et fidelem adimpletionem officiorum uniuscuiusque status, per filialem devotionem in Virginem Matrem.

Rectitudo vitae et operositatis christianae praesertim per frequentem accessum ad Sacramentum Poenitentiae servetur et renovetur ac per recursum ad directionem spiritualem.

Quam maxime cavendum est ne forte inordinata rerum externarum instantia fideles a vita interiore sese avertant, gravi cum periculo infecunditatis sui apostolatus necnon cum detrimento suae ipsius animae. Quo vita interior profundius renovetur, peculiariter Exercitia Spiritualia commendantur.

His omnibus mediis apte adhibitis, actio apostolica interiorem eorum progressum fovebit ita ut Deum in ipsis operibus attingere discant.

60. [*Participatio ad Sacram Liturgiam*]. – Super omnia autem christifideles mente et corde Sacrificium Corporis et Sanguinis Christi teneant veluti praestantissimum vitae christianae et apostolatus fontem, simulque metam ad quam ipsi tendant et alios ducere studeant.

Ex ipsa enim huius divini Mysterii celebratione vis amoris Christi promanat ad laudem Dei et ad totius mundi salutem.

Proinde haec Sacrosancta Synodus iterum laicos instantissime invitat ut toto corde vitae liturgicae, praesertim huic divino convivio frequenter participent.

NOTAE

[...]

Caput X

De laicorum educatione et praeparatione ad apostolatum

Praeambulum

Educatio christiana laicorum formationem expostulat ad apostolatum, utpote ad essentiam vitae christianae pertinentem.[1]

Huiusmodi educatio hoc intendit: ut unusquisque laicus, vocationis et participationis ad Ecclesiae apostolatum conscius, hoc officium, pro adiunctis, reapse impleat.

61. [*Qui et quando educandi sint ad apostolatum*]. – Educatio haec ad apostolatum incipere debet a prima christiana institutione puerorum: ipsi enim inde ab usu rationis sunt in Ecclesia responsabiles.

Peculiari autem modo curandum est ut ad apostolatum praeparentur adulescentes et iuvenes, ita ut illo spiritu eorum imbuatur ratio cogitandi et vivendi, quae radicitus hac vitae aetate efformatur.

Educatio vero ad apostolatum numquam intermittenda erit, aptata quidem uniuscuiusque aetati vel condicioni, speciatim autem quando quis novum aliquod momentum vitae ingreditur vel novam responsabilitatem assumit: uti tempore praeparationis ad Confirmationis Sacramentum suscipiendum et ad Sacram Synaxim primo adeundam; occasione ascensus ad studia ulteriora aut initio vitae laboris et professionis vel praesertim tempore novae familiae instituendae.

Peculiari nota signanda est necessitas educationis ad sensum et opera apostolatus pro laicis qui Ecclesiae inceptis et associationibus nomen dant, praecipue si directionis munus in eis susceperint vel suscepturi sint.

62. [*Quibus officium incumbat*]. – Iis ad quos spectat educatio christiana, ex ipsa natura rerum officium quoque institutionis ad apostolatum incumbit; inter quos praecipuum locum obtinent parentes vel tutores, sacerdotes, catechistae, magistri. Valde laudandae sunt consociationes quae, simul cum operositate apostolica, hunc finem educativum intendunt, praedictorum actionem complendo vel supplendo.

63. [... *Parentibus*]. – Parentes, in primis, cordi habebunt filios suos adhuc infantes, sed iam in vita spirituali progredientes, disponere ad agnoscendum amorem Dei Patris et Christi erga omnes homines; gradatim in eorum animos insinuare sollicitudinem circa necessitates sive materiales sive spirituales proximi et desiderium excitare sese pro aliis impendendi.

Singula familiae membra eundem sensum christianum et catholicum colant, ita ut familia tota et eius communis vita tirocinium evadat apostolatus.

64. [... *Scholis*]. – Item ad scholam catholicam cuiuscumque ordinis pertinet fovere in iuvenibus christianam mundi et vitae rationem speciali modo sensum catholicum et apostolicum.

Quando autem schola catholica desit, eorum erit magistrorum et discipulorum, qui sensu christiano et catholico imbuti sunt, spiritus christiani, debita servata discretione erga alios qui aliter sentiant, testimonium reddere.

65. [... *Sacerdotibus*]. – Sacerdotes autem prae oculis habeant, in catechesi et ministerio verbi, in directione spirituali et administratione sacramenti Poenitentiae, neces-

sitatem educationis laicorum ad apostolatum, praesertim, ii quibus officium demandatum est curandi associationes laicorum, sive earum peculiaris finis sit apostolatus, sive autem cultus, oratio, formatio religiosa vel alius.

66. [... *Paroeciis*]. – Paroecia, in quantum fidei, precum et actuosae caritatis communitas, est non solum centrum et subiectum, sed etiam schola, sane non unica, servitii divini, in qua cuiuscumque aetatis laici ad apostolatum educantur. Talis autem educatio non ad solam paroeciam intendat sed universam apostolatus extensionem, quae penitus ipsius limites transcendit, complectatur.

67. [... *Organizationibus*]. – Coetus pariter laicorum, sive stricte apostolatum sive alios fines supernaturales intendant, quique, pro modulo suo, hanc formationem apostolicam curent.

68. [... *Subiecto ipso*]. – Opus denique educationis potissimum est ipsius educandi laici qui, actioni Dei, per educatores agentis, docibilem se praebere debet. Quo magis autem aetas crescit et animus evolvitur, eo magis uniuscuiusque erit detegere et curare semina quae Deus in sua anima seminavit, propriam christianam personam maturare, ut praesto sit Christo Domino Eiusque Ecclesiae ultro ministrare.

69. [*Apta educationis methodus*]. – Ut institutio ad apostolatum efficacior reddatur, et exigentiis nostrae aetatis perfectius consonet, explicita sit et apta methodo tradatur oportet.

70. [... *Institutio doctrinalis*]. – Cum missio christiana hoc intendat ut omnes homines Deum cognoscant et diligant, educatio laicorum ad apostolatum exigit ut progrediantur in scientia Dei, in sapida cognitione Christi eiusque Ecclesiae.

Ad hoc oportet ut ipsi, praecipue ii qui in associationibus et inceptis apostolatus coadunantur, congrua propositione doctrinae christianae, prout diversa aetas vel capacitas vel praevia praeparatio postulat, instituantur, utque laici, maiori in dies numero, studiis sacraeque theologiae vacent, eisque hunc ad finem apte obtinendum, sub impulsu ac vigilanti cura Magisterii Ecclesiae, congruae opportunitatis praebeantur praelectionum, quae specialis indolis operum a laicis praestandorum rationem habeant.

In laicorum formatione praesens speciatim habeatur necessitas eos instituendi in doctrina sociali Ecclesiae et in cognitione ingruentium quaestionum quae ad eius vitam et ad nostram aetatem spectant.[2]

71. [...*Cognitio et studium de rerum adiunctis*]. – Maximi momenti est ut in educatione et praeparatione ad apostolatum laici conscii fiant adiunctorum ambientium in quibus vitam degunt et operantur ac discant de eis christiana ratione iudicare, in iisque sese digne gerere.

72. [...*Educatio per actionem ipsam*]. – Gradatim quidem et discrete, sed inde ab initio suae formationis, immittantur laici et ipsi libenter ingrediantur in operosum servitium Ecclesiae, memores etiam per actionem educari ac actionem ad ipsamque vitam spiritualem plenius efformari.

73 [... *Sessiones et scholae*]. – Ut praeparatio adaequate respondeat varietati condicionum vitae laicorum et determinatis uniuscuiusque operis finibus, provideri etiam poterit ordinariis sessionibus associationum necnon specialibus conventibus et scholis.

74. [*Ubi sacerdotes quacumque ex causa desunt*]. – Educatio ad apostolatum peculiarem urgentiam induit in regionibus in quibus sacerdotes quacumque ex causa de-

sunt. Magni momenti est ut multi apti laici ad eos substituendos, prout fas est, exquirantur et opportune praeparentur.

75. [*Praeparatio proxima*]. – Priusquam operas maioris momenti laici adeant, eorum remota praeparatio proxima compleatur oportet, singulorum et coetuum, studio et meditatione ac propria personali et communi oratione.[3]

Notae

[1] Ecclesiae officium est, ex missione « docendi omnes gentes » divinitus accepta, hanc educationem apostolicam impertiendi. Hodierna vero adiuncta undique Ecclesiam premunt ad officii huius condiciones ac methodos diligenter denuo perpendendas, ad eiusque iterum perfunctionem pro viribus urgendam.

Haud pauci inveniuntur quorum christiana educatio, circumvadentis individualismi causa, apostolico careat afflatu. Sunt nempe qui putent se sibi soli vivere posse propriamque animam salvare, proximorum salute neglecta, Domini praecepto atque exemplo posthabitis, qui ait: « In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit et nos debemus pro fratribus animas ponere ». Simulque mos invaluit christianam vitam ac religiosa officia a privatis ac publicis muneribus prorsus seiungendi separandaque censendi.

Exinde oritur necessitas recte ordinatam ac sedulam educationem Ecclesiae membris impertiendi, eo quoque fine ut laici iis respondere possint gratiis quibus Divina Providentia ad Regnum Dei diffundendum eos ditavit.

[...]

Pars II
DE APOSTOLATU LAICORUM IN ACTIONE AD REGNUM CHRISTI DIRECTE PROVEHENDUM

Prooemium

[*Tres apostolatus laicorum aspectus*]. – Generalioribus notis de Apostolatu Laicorum delibatis, Sacrosancta Synodus rationes praecipuas declarat, quibus participatio laicorum missioni Ecclesiae ad effectum perducitur: id est collaboratio ad operam Ecclesiae magis directe ad opus evangelizationis et sanctificationis pertinentem, actio caritativa, actio in ordine temporali christiano afflatu perfusa.

[*Progressio in eorum connexione et distinctione*]. – Hi tres diversi aspectus ita in unitate vitae christianae copulantur, ut non semper facile ab invicem distingui possint. Revera, tempore renovationis vitae catholicae saeculo praeterito, una simul devinciebantur et quandoque confundebantur in inceptis diversarum organizationum quae ad christiana principia affirmanda et defendenda ordinatae erant.

Auctis tamen in dies, in communitate christiana, et specializationis instantia et conscientia de diversitate finium ac rationum agendi, clarius munera distinguebantur inter diversa incepta et consociationes, quae distinctio a Summis Pontificibus, praesertim inde a Benedicto Papa XV, probata est.[1]

Hierarchia immo, dum laicos hortabatur, ut in rebus mere humanis propria industria et inceptu, et qua par est autonomia, operarentur, simul sub pleniore sua responsabilitate quasdam apostolatus formas sibi assumebat, uti Actionem Catholicam et or-

ganizationes huic similes, quae magis directe ad evangelizationis et sanctificationis opus sese impendunt.

[*Proficuae immutationes*]. – Eodem tempore et huius progressionis causa, aliae in operis apostolatus laicorum proficuae fiebant immutationes; praevalens defendendae fidei propositum in desiderium efficacis penetrationis convertebatur; necessitas et exercitium vitae interioris instabant et progrediebantur ac simul adauctum desiderium sese impendendi ad principia christiana in res mere humanas afferenda; laicorum in apostolatu adlaborantium nexus arctior cum propriis pastoribus effiebatur; laici ipsi in Ecclesia tamquam in domo propria se felices senserunt, crescente in ipsis conscientia se membra viva Ecclesiae esse, una cum desiderio plenioris participationis non ad actionem tantum, sed ad universam vitam Ecclesiae praesertim liturgicam.

Insuper apostolatus necessitudines ad alias etiam institutiones diffundebantur, quae ad hunc proprie finem ortae non erant; simulque in universa communitate christiana vitae interioris desiderium erumpebat.

[*Animorum unitas in apostolatu*]. – Sacrosanctum Concilium igitur ad illas imprimis apostolatus formas mentem intendit, quae magis directe et penitus in promptu sunt, ut ubique effundantur summa bona, quae Christus Ecclesiae suae concredidit.

At dum distinctionis necessitatem revocat, laetanter percipit christifideles plures generose diversis in campis opus conferre; hortatur tamen omnes, in quibusvis adlaborent saeptis (religioso, caritativo, sociali), ut uno apostolatus animo sese compleant ac fraterne ad ultimum apostolatus finem, ad gloriam scilicet Dei et mundi salutem, indesinenter conspirent.

Notae

[...]

Titulus I

DE FORMIS QUIBUS HIC APOSTOLATUS ORGANIZATUR

Caput I

De apostolatu laicorum in variis Ecclesiae communitatibus

Praeambulum

[*Apostolatus laicorum in intima communione cum Ecclesia exercetur*]. – Quamquam plura apostolatus opera a christifidelibus exercentur, efficacitatem tamen mutuantur ab Ecclesiae vigore in cuius communione virescunt, quatenus eidem inseruntur pleneque conformantur, «ut non sit schisma in corpore sed idipsum pro invicem sint membra».[1]

Unusquisque fidelium ad aliquam Ecclesiam particularem pertinet, in determinato loco «peregrinantem» in qua tota missio apostolica originem ducit ex Collegio Apostolorum eorumque successorum, sub Petro Ecclesiam Dei regentium.

Sacrosanctum proinde Concilium laicos omnes enixe hortatur ut, excedentes individualisticam mentem vel quidquid particularismum — qui dicitur — sapit, conscii fiant sui muneris et officii in communitate ecclesiali.

1. [*In paroeciis*]. – Paroecia est communitas ecclesialis in qua laici christifideles immediate inseruntur et per quam parocho, ut proximo et ordinario magistro et sacerdoti, adhaerentes, cum suo Episcopo uniuntur cuius sacerdotes in ministerio verbi et sacramentorum cooperatores sunt.

In paroecia, circa altare Sacrificii, fideles omnes coadunantur, in Christo communicantes citra omnes divisiones et differentias quibus in vita quotidiana distinguuntur; in ipsa communitate paroeciali christifideles ad cultum liturgicum participant, suam vitam sacramentalem vivunt, verbum Dei audiunt et caritatem christianam exercent.

Omnes ergo, etiamsi ad opera pertineant a religiosis communitatibus dependentia, maximi faciant huius beneficae institutionis curaeque animarum praestitae, sollicite participantes non solum vitae spirituali paroeciae, sed eius multiplicibus operis apostolicis, tam ad intra quam ad extra, ita ut paroecia ipsa ut communitas missionaria revera sese gerat.

2. Grato animo cooperentur cum suis pastoribus, libenter assumentes suam quisque partem in inceptis apostolicis, praesertim vero in doctrina christiana tradenda, in operibus caritatis vel educationis vel honesti oblectamenti promovendis, in prelo caeterisque instrumentis communicationis socialis provehendis et dirigendis.

3. [*Circa eos qui longe a paroeciae vita versantur*]. – Laicorum opera quam maxime necessaria est ad commercium ineundum inter pastorem et eos qui forte negligentia sua vel praeiudiciorum vi longe a paroeciae vita versantur. Prudentia et caritate praediti laici facile possunt ad eos fraterne accedere, eos certiores reddere de iis quae in paroecia aguntur, eis persuadere ut in eis debitam partem suscipiant, sicque paulatim eos adducere ad pastorem et ad intensius vitae christianae exercitium.

4. [*Fraterna hospitalitas*]. – Paroecialis communitas, sicut familia christiana, sensu hospitalis acceptionis praedita sit, ut eo accedentes solatium inveniant et germanum familiae calorem, secundum mentem Apostoli dicentis: « Caritas fraternitatis maneat in vobis; et hospitalitatem nolite oblivisci... ».[2] Quod si fiat, vultum vere christianum induet paroecialis familia, dicente Domino: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ».[3]

5. [*Sensum colant dioecesanum*]. – Cum vero paroecia cellula tantum sit principalioris illius corporis, dioecesis scilicet, laici operam suam producant ultra fines paroeciae et maiori huius Ecclesiae parti deserviant. Filiali obsequio ac confidentia cooperentur cum legitimo suo pastore, Episcopo, quem Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,[4] praesertim cum ad bonum totius dioecesis vel normas directivas proponit vel incepta promovet. Attendant illud Sancti Cypriani: « Scire debes episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit in Ecclesia non esse ».[5] Sensum colant dioecesanum, honorent huius sui territorii vel coetus templa praeclariora, cathedralia potissimum, religiosas traditiones, munera saepe specifica in ambitu apostolatus universalis.

6. [*Ultra fines dioeceseos et in Ecclesia universali*]. – Sciant apostolicas operas paroeciae aut dioeceseos finibus minime circumscribi, ac praesertim in nostri temporis condicionibus, incepta apostolica interparoecialia, interdioecesana, nationalia et inter-

nationalia, a Hierarchia instituta vel commendata, suscipi, quibus laici omnes, pro modulo quisque suo, collaborare satagant, quippe qui ad bonum commune Ecclesiae procurandum vocati sint, iuxta verba Apostoli: «Crescamus in illo per omnia qui est Caput Christus; ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate».[6]

Res et condiciones Ecclesiae ubique gentium diffusae prae oculis et in corde semper habeant, intentiones ac principia directiva apostolatus, Supremi praesertim Pastoris, Vicarii Christi, obsequi semper parati sint.

7. Apostolatus associationes, unaquaeque iuxta propriam indolem, animum ad Ecclesiae structuras attentum semper habeant, cum propriis animarum Pastoribus collaborent et ut in sodalibus sensus communitatis paroecialis, dioecesanae, Ecclesiae universalis efformetur operam dent.

NOTAE

[...]

Caput II

De actione catholica[1]

Praeambulum

Abhinc non pauca decennia, pluribus in nationibus, laici, magis in dies ad apostolatum se devoventes, in variis formis actionum et consociationum sese coadunarunt, quae, arctiorem cum Hierarchia coniunctionem servantes, fines immediate et proprie apostolicos prosecutae sunt.

Inter has apostolatus consociationes, Episcopus tamquam officiales eas assumere potest, quas opportuniores iudicaverit. At ceterum, ex his vel etiam similibus antiquioribus institutionibus, eae praesertim commemorandae sunt quae, etsi diversam rationem operandi sequantur, sub uno tamen nomine Actionis Catholicae[2] veniunt, quaeque, per omnes fere orbis catholici regiones latissime propagatae, uberrimos fructus, una cum aliis apostolicis inceptis pro Regno Christi, protulerunt.

8. [*Actionis Catholicae notae*]. – Ut autem haec apostolatus forma in dies agnoscatur et invalescat, placet Sacrosanctae Synodo (attentis recentibus Summorum Pontificum et Episcoporum de hac re documentis) notas indicare, quarum concursu et cumulata acceptione notio Actionis Catholicae constituitur:

a) finis immediatus organizationum, quae sub nomine Actionis Catholicae veniunt, generalis finis apostolicus ipsius Ecclesiae est, tum quod singulorum hominum sanctificationem, tum quod Corporis Christi Mystici aedificationem attinet;

b) laici, collaborantes iuxta modum proprium cum Hierarchia, suam experientiam afferunt et responsabilitatem assumunt in harum organizationum moderamine, in condicionibus perpendendis, in quibus actio pastoralis Ecclesiae exercenda est, in elaborandis et exsequendis programmatibus actionis;

c) laici agunt non solum singuli, sed uniti quoque instar organici corporis, ita ut aptius Ecclesiae communitas exprimatur et efficacior evadat apostolatus;

d) laici, sive sponte sese offerentes, sive invitati ad actionem et directam collaborationem in apostolatu hierarchico, agunt sub superiore moderamine ipsius Hierarchiae. Hierarchia autem potest hanc collaborationem et propriam cuiusque corresponsabilitatem per explicitum mandatum de apostolica opera sancire.

9. [*Formarum varietas*]. – Organizationis Apostolatus officialis laicorum et Actionis Catholicae secundum locorum ac populorum exigentias, varias structuras assumere possunt, secundum illud Ioannis XXIII:[3] «Haec apostolatus ratio ad locorum condiciones et necessitates congruenter accommodetur. Non enim licet ea, quae in alia regione peracta sunt, ad aliam, nullo habito discrimine, transferre».

10. Optandum sane est ut huiusmodi organizationes inter se apte cohaereant, in ambitu dioecesano, nationali et internationali, in dies melius sese accommodando organizationi et necessitatibus Ecclesiae.

11. [*Commendatio*]. – Sacrosanctum Concilium, has institutiones, quae hodiernis exigentiis apprime respondent, enixe commendat; sacerdotes et laicos qui in ipsis adlaborant invitat ut magis magisque notas proprias Actionis Catholicae ad effectum adducant, et cum omnibus aliis apostolatus formis semper fraterne in Ecclesia cooperentur.

Episcopos autem hortatur ut, Actionem Catholicam vel alias forte Consociationes Apostolatus officialis laicorum promoveant, aptis accommodatas locorum adiunctis, adiuncta peculiaria regionum suarum respicientes, Actionem Catholicam, promoveant, aptiores formas statuendo.

NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oec. Vaticano II apparando*, Series I, Appendix Vol. II, pp. 774-784; 790-792. Hic sermo est de Actione Catholica, intelligendo Apostolatum officiale laicorum, praecipue, sed non exclusive in Consociationibus Actionis Catholicae exercitum.

[...]

Caput III

De aliis formis apostolatus ad regnum Christi directe provehendum

12. Praeter associationes Actionis Catholicae, de qua in praecedenti capite, aliae dantur apostolatus formae ad animarum salutem ac Mystici Corporis Christi aedificationem directe promovendam.

Quaedam simpliciter hunc finem generalem Ecclesiae sibi proponunt, quaedam fines particulares, v. g. alicuius doctrinae spiritualis incrementum, catechistarum formationem, infidelium conversionem, cultus liturgici profectum, devotionis marianae diffusionem, opera christianae educationis, institutionem ad doctrinam socialem catholicam enucleandam, diffundendam et applicandam, et similia.

13. [*Variae relationes cum Hierarchia*]. – Hae variae formae apostolatus diversis possunt relationibus cum Hierarchia coniungi, nempe: aliae magis directe cum paroe-

cia et dioecesi conectuntur; aliae alicui Ordini vel Congregationi religiosae adstringuntur; aliae demum solummodo sub generali invigilantia Hierarchiae constituuntur.

14. [*In ambitu internationali*]. – Peculiare momentum iis organizationibus, quae in ambitu internationali actuositatem exercent, tribuendum est, quibuscum nationales organizationes conectuntur.

15. [*Multiformis spiritualis vitae expressio*]. – Magnus harum organizationum numerus multiformis spiritualis vitae expressio est necnon varietatem apostolici conatus laicorum testatur: diversis Ecclesiae necessitatibus respondent, sicut diversis fidelium apostolicis vocationibus.

16. [*Mutua coordinatio et collaboratio*]. – Ad bonum animarum melius obtinendum et ad virium dispersionem vitandam, diversa haec opera directivis Hierarchiae obsequendo inter se et cum Associationibus Actionis Catholicae, secundum suam indolem sese coordinare et collaborare satagant.

17. [*Ardenti zelo sese impendant*]. – Fideles omnes in una vel altera ex his organizationibus adlaborantes Sacrosanctum Concilium enixe adhortatur ut incenso animo sese pro Ecclesia impendant, ut filialem colant cum Hierarchia communionem, ut cum locali clero in spiritu activae collaborationis sese devoveant.

Titulus II

DE DIVERSIS MODIS ET SAEPTIS[1]

Caput I

De apostolatu verbi

18. [*Fides ex auditu*]. – In aedificatione Mystici Corporis Christi potiorem locum obtinet annuntiatio Verbi Dei; «Fides ex auditu»;[2] sed «quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?».[3]

19. [*Munus laicorum*]. – Ecclesiae universae Christus, potestatem repetens a Patre suo, imperavit ut Novum Nuntium omnibus hominibus communicaret. Hierarchiae quidem est ex iure fidei ac morum normas proponere secundum illud: «Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae»;[4] omnium vero christifidelium munus est eiusdem doctrinae confitendae, profitendae atque diffundendae, verbis et scriptis, quasi ad continuandam ac extendendam missionem Ecclesiae et ipsius Christi, Verbi Dei.[5]

Hic apostolatus verbi laicorum magis necessarius evadit in iis laboris et vitae ordinariis condicionibus, in quibus laici tantum veritates christianas aliis tradere possunt, praesertim in locis, in coetibus, in adiunctis ubi accessus sacerdotis vel difficilis vel rarus vel inconveniens vel impossibilis est, maxime saeviente persecutione.

Laicis ipsis incumbit illas veritates, iuxta ipsorum ingenium, tradere, explanando, e. g. secundum opportunitatem, propriam rationem agendi et principia christiana quibus diriguntur in vita quotidiana: «Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe».[6]

20. [*Peculiaria officia*]. – Apostolatus verbi incumbit, in primis, parentibus in familia ut munus conexum cum officio educationis; deinde magistris et docentibus omnibus, moderatoribus operum vel associationum iuvenum.

Laude digni sunt qui scriptis collaborant ad doctrinae christianae evulgationem: philosophi, fabularum vel comoediarum vel ephemeridum scriptores; insuper concionatores necnon ii qui technicis instrumentis diffusionis addicti sunt.

Hoc munus autem peculiari modo inest catechistis puerorum et adulescentium; illis qui operam dant in catechumenatu adultorum vel in praeparatione ad sacramentum matrimonii; catechistis in missionibus ad gentes, qui hoc munus exercent modo permanenti, etc. Aliquando hic apostolatus verbi laicorum muniri potest *missione canonica*.

21. [*Verbum Dei in ordinariis vitae adiunctis annuntiandum*]. – Christifideles omnes in ordinariis vitae quotidianae occursibus et adiunctis occasionem habent seminandi semen verbi Dei, dictis ac moribus, cum simplicitate, discretione et caritate, memores etiam illius divini Magistri effati: « Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et Ego eum coram Patre meo, qui in coelis est ».[7bis]

22. Meminerint christifideles quantum valeat haec communicatio verbi Dei ad Ecclesiae aedificationem: aperit enim viam salutis iis qui Evangelium nesciunt; longe errantes ad Pastores reducit; fideles instruit in doctrina et disciplina Ecclesiae; vitam spiritualem christianorum promovet; debiles roborat; afflictos solatur; societatem fermento vitae christianae immutat.

Ad altiora etiam contendant laici: ad annuntiandum scilicet Deum, et perfectiones eius, praesertim infinitum Amorem, quem nobis manifestavit in Christo Iesu, et per Spiritus Sancti donum incessanter communicat.

23. [*Debita praeparatio*]. – Ad hoc munus recte adimplendum oportet laicos, praesertim eos qui peculiaribus obligationibus adstringuntur, firma institutione erudiri. In primis autem laicos oportet verbum Dei toto corde amare et exquirere, Ecclesiae docenti fidelissimos semper se praebere, magis magisque sapida cognitione ipsius Christi imbui, memores apostolici dicti: « Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo ».

NOTAE

[...]

[7bis] Omnes illi qui ad verbum Dei administrandum vocantur apprime noverint idipsum non solum ex gratia Dei efficaciam depromere, sed etiam ex sapienti accommodatione audientium condicionibus et adiunctis.

Quapropter capacitas intellectualis et spiritualis necnon socialis conditio eorumdem prae oculis diligenter habeatur. Laicus insuper qui hoc ministerium exercet vitam interiorem sedulo colat ut verba quae profert testimonio vitae comprobentur nec tanquam « cymbalum tinniens fiat ».

Caput II

De apostolatu apud familias[1]

Praeambulum

Inter omnes societates, quas Ecclesia spiritu christiano imbuere satagit, ea eminet quae sacramentali sua consecratione speciali modo in ipsam Ecclesiam inseritur, societas scilicet coniugalis.

Hac autem nostra aetate, apostolatus ad christianam familiam efformandam maximi momenti evadit, ut ipsa ab ingentibus periculis undique irruentibus praeservetur, quae ex falsis conceptionibus vel ex aberrantibus structuris socialibus promanant et ut munus suum plene absolvere possit.

In hoc apostolatu pars laicorum ex ipsa natura rerum primum locum tenet, immo suppleri nequit.

24. [*Ad matrimonium praeparatio remota*]. – Soliditas et sanctitas familiae «magna parte a debita coniugum pendent tam remota quam proxima ad matrimonium praeparatione».[2]

Educatio indolis, animi, iudicii, initiatio ad veram vitam christianam, exemplum parentum in matrimonio sancte viventium, praeparationem fundamentalem, quamvis indirectam, constituunt. «Illud enim negari non potest felicis coniugii firmum fundamentum et infelicis ruinam iam pueritiae et iuventutis tempore in puerorum puellarumque animis instrui ac poni».[3]

Praeterea laici sedulam curam praestent ut filii in familia, in schola praesertim catholica, in associationibus pro iuventute, rectas notiones acquirant de matrimonio christiano in sua realitate humana et supernaturali, necnon de eius excellenti dignitate et exigentiis: quae institutio ipsis crescentibus compleri debet.

25. [*Ad matrimonium praeparatio proxima*]. – Cum autem remota tantum sponsorum praeparatio non sufficiat, proxima necessario instituenda erit, ut ipsi matrimonium cognoscant in eius naturali complexitate et supernaturali ubertate, sicque disponantur ad sacramentum digne recipiendum et ad vitam familialem feliciter ducendam.

In iis enim temporis adiunctis, melius vir et mulier ad omnes valores humanos praesertim spirituales percipiendos disponantur et propriam cuiusque sentiant dignitatem et responsabilitatem ingressus in adultorum vitam etiam coram Ecclesia, gratias procul dubio non paucas a Deo recipiant et ideo maturiore indigent instructione religiosa, ad omnia officia christianorum, non solum coniugalia, rite implenda, ita ut ad perfectionem christianam in statu consecrationis matrimonialis pleno sensu tendant.

In hac vero praeparatione ad matrimonium, laicorum coniugatorum, necnon catholicorum medicorum, psychologorum aliorumque peritorum consilia maximae utilitatis sunt hodieque longe et late urgenda.

26. [*Conventus pro sponsis commendantur*]. – Consessiones formationis et spirituales recessus pro sponsis instituta, sunt praeparationis ad matrimonium media quae Concilium laudat atque commendat.

27. [*In pastorali adsistentia coniugatorum laici cooperentur*]. – In spirituali adsistentia quae a pastoribus animarum datur familiis, laici opportune ac directe cooperentur, praesertim cum habeantur conventus aut recessus formationis nuper coniugato-

rum. Haec enim sunt maximi momenti pro ipsorum spirituali profectu et vita vere apostolica.

28. [*Familiarum mutuum auxilium*]. – Familiae iisdem in adiunctis viventes, caritate unitae, mutuo sibi praestent auxilium, solatium, societatem, specialem curam habentes novarum familiarum ut ipsae facilius sua problemata solvere ac difficultates superare valeant. Ad hoc facilius obtinendum convenienter familiae catholicae in associationibus vel motibus uniuntur, quae tamen praesertim ad earum profectum spiritualem et apostolatus efficaciam tendere nitantur.

29. [*Consilia pro familiis*]. – Ad gravia vero discrimina, quae ipsum coniugium in periculum adducere possunt, superanda, necesse est ut praesto sint praeter confessarios animorumque directores — ad quos tamen ultimum verbum pertinet —, etiam laici in re matrimoniali experti, sive psychologi, sive medici, sive legis periti.

Iam in multis regionibus institutiones ad hoc a catholicis erectae sunt easque Concilium plene laudat. Ubi vero ab aliis erectae inveniantur, si Hierarchia opportunum hoc ducat, laici catholici, recte instructi, ipsis collaborent.

30. [*Divinum consilium de familia patefaciendum*]. – Ut christianum matrimonium, ea qua par est puritate et sanctitate, a christifidelibus ad vitae usum perducatur, et quotquot falsam vel insufficientem de eo notionem habent, melius dignitatem eius percipiant, magni interest laicos active ad christianam matrimonii notionem diffundendam cooperari, in primis exemplo, sed etiam verbis, scriptis, mediis audiovisivis: quae omnia multum conferre possunt ad hoc ut divinum de matrimonio et de familia consilium coaevis nostris vivido splendore effulgeat.

Notae

[...]

Caput III

De apostolatu iuvenum in Ecclesia

Praeambulum

Semper Ecclesiae maximae curae fuerunt adulescentes et iuvenes utriusque sexus, sive de eorum institutione religiosa, morali et civili, sive de eorum praeparatione ad apostolatum, sive, praesertim, de eorum efficienti exercitio in apostolatu eis proprio.

Prae oculis habentes ea quae Ipse Divinus Magister erga adulescentes et iuvenes gesserat, qui ei in vita occurrerunt,[1] primi Apostolici scriptores peculiaria monita et animadversiones eis protulerunt; inter quae memoria digna sunt verba Sancti Ioannis: « Scribo vobis, iuvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum ».[2]

Vox Summorum Pontificum, semper sed praesertim recentioribus aetatibus, adulescentes et iuvenes enixe arcessivit ad missionem quae iuvenilem ardorem exigit ad mundum iuxta principia evangelica extruendum, ardentes eorum animos alliciendo ad altissimos Ecclesiae fines consequendos.

Multis in regionibus, sicut temporibus praeteritis, nostra etiam aetate, plures iuvenes et adulescentes persecutionem passi sunt ut fidem Christi profiterentur, et testimonio sanguinis confirmarent, semen fidei ubicumque fundendo.

Hodie vero, cum peculiaria adiuncta et circumstantiae exstent, quae iuvenum condicionem in apostolatu Ecclesiae non parum immutare videntur, Sacrosancta Synodus, momentum et gravitatem huius rei commemorans, omnes, quibus quoquo modo cura iuventutis incumbit, vehementer hortatur ad problemata iuvenum attente consideranda et praesertim ad eorum in apostolatu possibilitates et munera recte aestimanda.

Etenim:

— nova condicio facta est qua adulescentes et iuvenes, citius quam antea, sui iuris fiunt, a familia arcentur et ab auctoritate alienantur;

— iuvenes huius temporis saepe ad novam condicionem oeconomicam et socialem celerius transeunt, exigua habita vel saltem inadaequata praeparatione ad novum vitae regimen aggrediendum;

— ad munera vitae publicae exercenda saepe maturius quam antea iuvenes accedunt, ita ut eorum pondus in societate et in re publica administranda magis magisque invalescat.

31. [*Iuvenum apostolatus magnum momentum*]. – Sacrosancta igitur Synodus, hanc dilectissimam Ecclesiae portionem magna spe et plena fiducia amplectens, omnes hortatur ad recte aestimandam partem quae iuvenibus in apostolatu Ecclesiae competit, ac praesertim ad ardorem et divitias vitae quae iuvenes afferre solent, atque proinde ad peculiarem efficientiam, quae ab ipsis iure meritoque expectari licet.

32. Magnum momentum Ecclesia tribuit mutuo iuvenum apostolatui, cum experientia doceat quantum iuvenes ad invicem animos allicere valeant ad Regnum Christi quocumque provehendum.

33. [*Adultorum responsabilitas*]. – Adultos omnes, praesertim laicos Sacrosancta Synodus monet de eorum responsabilitate erga iuvenes, sive in adiunctis et condicionibus vitae eorum apostolatui faventibus, sive in formatione ad apostolatum, sive demum exemplo abnegationis et deditionis in apostolatu. Immo adulti ipsi perspectum habeant officium excitandi sensum responsabilitatis in iunioribus.

34. [*Associationes iuveniles*]. – Magni momenti sunt ad apostolatum iuvenum fovendum Associationes iuveniles, in quibus iuvenes activam responsabilitatem sumant ad seipsos efformandos ad apostolatum per ipsam actionem apostolicam, sibi intime persuadendo Ecclesiam indigere eorum opera, iuvenum nempe ut iuvenum, ad suam missionem apostolicam explendam.

35. [*Cura sacerdotum*]. – Sacerdotes magnam adhibeant curam ad eorum activitatem apostolicam excitandam, ad adaequatam formationem eis comparandam, ad debitum commercium et cooperationem assiduam cum adultis eorumque associationibus fovendam.

NOTAE

[...]

Caput IV

De apostolatu in proprio cuiusque ambitu sociali et professionali

Praeambulum

Sapientissimus Creator, homines condens natura sociabiles ac multiplici vinculo inter se coniunctos, «mandavit illis unicuique de proximo suo»,[1] ita ut nemini liceat se alienum tenere a societate confratrum vel se eximere a cura eorum, dicens: «num custos fratris mei sum ego?».[2]

Unusquisque necessario insertus vivit in aliquo ambitu sociali a quo multiplici ratione afficitur, et quem ipse vicissim sua vita et activitate meliorem vel deteriorem efficere potest. Noverint igitur christifideles laici, se divinae Providentiae consilio positos esse in determinatis adiunctis, tamquam divinum fermentum ad ea reformanda et elevanda. «Etenim per ipsos, pleno iure laborantes in utroque regno, coelesti scilicet et terrestri, facilius se reddere valet Ecclesia principium vitae humanae societatis».[3] Laicus igitur, christiane agat oportet non solum in familia ecclesiali paroeciae cui adscriptus est, sed etiam in societate saeculari in qua vitam degit: hi duo ambitus non possunt ab invicem seiungi, cum mutuo se compleant et sint singulis necessarii.

Hunc apostolatum «ambientalem» oportet, hodie, varias ob causas, suos olim suetos fines geographicos et sociologicos omnino excedere, et intensitate plurimum crescere. Etenim materialis progressus et arctiora socialis communicationis instrumenta iam late induxerunt tales conditiones generales et exigentias quales omnino limites domicilii superent. Frequens mutatio loci, sive laboris sive animi relaxationis causa, populorumque migrationes, quae homines a suo solito domicilio Pastorumque cura subtrahentes in media pericula plerumque proiciunt. Sed et ipsis propriis in domiciliis viventibus, conditiones sive laboris sive recreationis aliarumve activitatum humanarum tales sunt quae facile eos ab omni vita spirituali avocent. Haec autem omnia laicorum apostolatui novas possibilitates praebent urgentioraque officia imponunt.

36. [*Irradiatio apostolica*]. – Christifideles magis magisque responsabilitatis suae in Ecclesia conscii fiant atque conentur ut vere exsistant fons radiationis spiritualis in mundo, ita ut per eos spiritus christianus in omnem ambitum vitae et actuositatis suae diffundatur. Fide illuminati et caritate informati, tali rectitudine morali se gerant, etiam in negotiis mere profanis, et tali professionali idoneitate gaudeant ut quotquot cum illis commercium habent, ad veri bonique amorem, sensim sine sensu, alliciantur atque, gratia Dei adiuvante, ad Christum et Ecclesiam attrahantur.

37. [*Apostolatus similis per similem*]. – Hic apostolatus «ambientis» maxime exercendus est inter eos qui in iisdem condicionibus vitae vel occupationis inveniuntur, secundum illud sapienter dictum: «primi et proximi opificum apostoli, opifices sint oportet; apostoli vero inter artificii commerciique asseclas ex iisdem hominibus esse debent»,[4] immo maxime laudandi sunt laici qui, legitimo suo commodo postposito, ultro praeferunt eas circumstantias vitae et laboris quae fratribus adiuvandis aptiores exsistant.

38. [*Sui ambitus cognitio et amor*]. – Ut huiusmodi apostolatus optatum sortiatur fructum, unusquisque bene noscat oportet adiuncta vitae, agendi et cogitandi rationem atque optata eorum quibuscum versatur, erga illos omni benevolentia et animi comprehensione sese gerendo; in apte solvendis problematibus quae in dies exorientur cooperetur, illa principia christiana prudenter explicando quae lumen et normam afferre possunt; immo, data occasione, ipsum verbum Dei cum suis similibus, iuxta modum proprium laicis, communicare ne negligant.

39. [*Pro societatis consolatione orbatis*]. – Eiusdem interest apostolatus subvenire iis qui, e suo domicilio eradicati et in novum nondum plene recepti, societatis consolatione orbatam ducunt vitam. Satagant laici eos sedulo quaerere, comiter recipere, solari ac societati sollicite integrare, et, si catholici fuerint, paroeciali familiae et Pastori adducere.

40. [*Omnes vult Deus salvos fieri*]. – Hoc apostolatus genus ad integrum ambitum extenditur: sive ad domesticos fidei, sive ad fratres separatos, sive demum ad illos qui a praxi christiana vel ab ipsa fide longe versantur. Nec ab eo excluditur ullus vitae humanae respectus, siquidem christiani promovere debeant « quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia ».[5]

41. [*Actio consociata*]. – Apostolatus in proprio ambitu vitae exercitus efficacior evadit dum collective, id est, per coetus ordinesque diversis uniuscuiusque ambitus adiunctis adaequatos exercetur. Organizatio aptius praeparat, congregat, sustinet, tuetur atque moderatur eos qui huic apostolatui se dedunt, et sic ad ampliores fructus obtinendos ducit.

Huiusmodi apostolatus, hac ratione, supponit et exigit organizationes aptas, praesertim Actionis Catholicae specializatae, a Romanis Pontificibus laudatas.[6]

Ut hic apostolatus plene et perseveranter suum effectum assequatur, compleri posset organizationibus professionalibus vel socialibus, eodem spiritu apostolico informatis, etsi independenter constituantur et proprio marte agant.[6bis]

42. [*Praeparatio necessaria*]. – Meminerint Parochi caeterique sacerdotes curae animarum dediti, necnon dirigentes associationum apostolatus laicorum, felicem exitum praedictae operositatis magna ex parte dependere ab idonea praeparatione laicorum, quae ad ambitum et occupationem singulorum sit accommodata.[7]

NOTAE

[...]

[6bis] Opportunum est insuper ad quodvis periculum mentalitatis classis socialis evincendum, ut frequenter dentur communicationes inter organizationes de apostolatu coetuum (milieux), in primis ab ipsis dirigentibus initium faciendo.

Caput V

De apostolatu laicorum in ambitu internationali et supranationali[1]

Praeambulum

Cum ad notas essentiales Ecclesiae pertineat ut catholica sit, ei omnino incumbit universarum mundi necessitatum materna sollicitudo.

Unde ipsa signum levatum inter nationes[2] semper exstitit, atque indesinenter unitatem generis humani aequalemque hominum dignitatem ac inter nationes et homines cuiuscumque stirpis fraternitatem palam docuit ac strenue defendit.

Historia vero recens crebriores atque arctiores rationes inter homines et nationes induxit, ita ut accrescens unitas et universalitas nota praesentis ordinis in mundo iam evaserit.[3]

Necesse igitur est ut christifideles certiores fiant de universali opera apostolica Ecclesiae, intimeque sibi persuadeant se Ecclesiae sensum plene habere non posse, nisi se ad universalem familiam pertinere agnoscant; et memores sint quantum conferre valeant ad aedificandam et christiana ratione ciendam illam comunitatem supranationalem quae quodammodo iam est inchoata et in dies adolescit. Omnes gentes suo apostolico zelo amplectantur, quavis pusillanimitate vel nimio suae gentis studio seposito.[4]

Laici omnes et singuli, quin negligant quaestiones particulares suae nationis vel professionis, semper parati sint animo vere catholico atque studio discreto et fraterno sese devovere causis generalioribus universae familiae gentium, his principiis et normis attente perspectis.

43. [*Spiritus vere christianus*]. – Spiritum vere christianum afferant et proinde universalem in conventibus internationalibus vel in individuali commercio, sive fortuito vel professionali, cum hominibus diversae nationis vel stirpis.

44. [*Adaequatae cognitionis necessitas*]. – Adaequatam pro sua conditione cognitionem sibi acquirant potiorum quaestionum et solutionum, sive doctrinalium sive practicarum, quae in vita internationali exsurgunt; praesertim quoad regiones mundi in via evolutionis.

45. [*Peculiaris vocatio ad laborem internationalem*]. – Haec animi attentio circa quaestiones ac res ordinis internationalis haud raro desiderium sese devovendi activitatibus in internationali ambitu in mente gignit, immo quandoque deserendi ipsam patriam et familiam ut aliis gentibus servire facultas sit. Optandum sane est plures esse christifideles qui hoc consilium sequantur; vocatio haec ergo laudanda atque fovenda est; consulendum est ut iuvenes, hac vocatione donati, debita instruantur praeparatione et idonea ac necessaria subsidia spiritualia eis praesto sint nullimode tamen neglecta necessitudine cum organizationibus localibus.

Fideles in institutis internationalibus etiam neutris ad vitae internationalis animationem christianam intime cooperentur.

46. [*Sollicitudo praestanda*]. – Christifideles libenti ac liberali animo spiritualia subsidia et, si opus fuerit, etiam materialia et corporalia adiumenta praebeant iis qui operam suam in activitate internationali praestant.

47. Peculiarem sollicitudinem habeant erga eos qui studiorum vel laboris causa extra patriam degunt vel qui e propria natione in aliam migrant.[5]

48. Enixe curent ut omnes homines semper corde et animo recolant necessitates atque aerumnas Ecclesiae patientis.

49. [*Conventus et organizationes catholicae internationales*]. – Ad vitam internationalem hodiernam spiritu christiano efficaciter imbuendam perutile est ut promoveantur conventus et habeantur atque foveantur organizationes internationales catholicae, quarum actio tamen apte coordinata erit ad pleniorem vim obtinendam.

50. Hac autem instantia, quae in dies magis magisque animadvertitur et sentitur, factum est ut, Sede Apostolica approbante et favente, orirentur quaedam institutiones ad mutuam earum organizationum conspirationem assequendam.[6]

51. [*Temporalia ac spiritualia subsidia*]. – Harum tamen institutionum actio eo efficacior erit quo impensius ipsae omnibus subsidiis et opibus spiritualibus et temporalibus fulciantur, quae Ecclesiae praesto sunt: huic fini centra nationalia apostolicorum inceptorum impenso animo providere debent, sive directe sive per adsociata membra.

52. Oportet insuper ut laici, qui in organizationibus internationalibus catholicis permanenter adlaborant, pastoralibus subsidiis gaudeant.

Notae

[...]

[6] Inter has in primis adnumerantur «Coetus Permanens ad Conventus internationales pro Apostolatu laicorum promovendos» (COPECIAL) atque «Consilium Organizationum Internationalium Catholicarum» (Conférence des O.I.C.); harum institutionum prior finem habet mutuam notitiam et collaborationem in apostolatu laicorum fovere et promovere in universo mundo, per conventus internationales vel regionales, diffusionem et profundiorem cognitionem genuini apostolatus laicorum. Altera vero concordem actionem inter proprie dictas organizationes internationales catholicas promovere ita ut maiorem vim exercere possint in institutis officialibus internationalibus apud quae partes catholicas agunt.

Caput VI

De parte laicorum in apostolatu ad unitatem christianorum promovendam

Praeambulum

Apostolatus ad unitatem christianorum promovendam, qui praesertim his ultimis temporibus, favente ac moderante ipsa Hierarchia, longe lateque inter catholicos invaluit, etiam laicorum operam ac laborem necessario requirit; nam totius Ecclesiae cura et opus est, non minus quam apostolatus missionum et sollicitudo perpetuae renovationis communitatis catholicae in spiritu Christi.

Proinde laici omnes, memores ardentis desiderii Iesu Christi ut «omnes unum sint»[1] utque fiat «unum ovile et unus Pastor»,[2] rite compertum habeant et seipsos vo-

cari ad operam suam in hoc apostolatu navandam. Imprimis animum suum ergo dilatent, ita ut sollicitudines coadunandi totius gregis christianorum in Ecclesia Christi secundum Eius voluntatem continue in suis orationibus et in oblatione sui laboris ac sacrificiorum ferveant; praecipue ex corde illis intentionibus se coniungant, quae, iuxta necessitates generales vel particulares, diversis temporibus a Sacris Pastoribus proponuntur, ac benevolenti animo validoque orationum subsidio eos omnes prosequantur ac fulciant, qui ad apostolatum unitatis vocantur.

Noverint etiam laici peculiares suas responsabilitates in hoc apostolatu unionis: cum enim fratres separati plerumque ex modo vivendi catholicorum de ipsa Ecclesia iudicium ferant, christifideles, sive ipsi dispersi vivunt inter acatholicos, sive hos circum se dispersos habent, aeque sibi incumbere agnoscant grave munus germanae vitae christianae praebendi exemplum atque spiritus illuminatae caritatis erga fratres separatos. Exemplum istud a laicis catholicis semper exhiberi debet, si vere apostoli unitatis esse velint, praesertim quando cum acatholicis ad opera communia, ut puta ad opera caritatis vel ad bonum publicum spectantia, promovenda coadunantur.

53. [*Ad hunc apostolatum requisita*]. – Ut laici, pro sua quisque parte, in hoc apostolatu auxilium ferre possint, necesse est:

a) ut Sacram Scripturam et Ecclesiae doctrinam atque normas a Concilio Oecumenico ad unitatem christianorum assequendam datas recte noverint, atque ita periculum falsi cuiusdam «irenismi» ac indifferentismi religiosi — qui dicuntur — prudenter vitent;

b) ut caveant se alienos sentire a fratribus dissidentibus et praeiudicia vitent, quae ex educatione parum illuminata et ex defectuosa notitia historiae atque doctrinae illorum oriuntur;

c) ut debitam observantiam habeant et obsequi discant conscientiae aliorum christianorum, nec iudicium de ipsorum responsabilitate personali dare praesumant;

d) ut instent in iis quae ad essentiam catholicae fidei ac vitae pertinent, nonnumquam communia, potiusquam in aliis non essentialibus, et exemplum praebeant mutuae rerum animorumque aestimationis et fraternae caritatis.

e) ut, iuxta adiuncta et exigentias locorum, semper tamen attendendo ad normas ab Hierarchia forte datas, cum fratribus christianis separatis collaborent ad promovenda et applicanda principia christiana in ordine sociali et in operibus caritatis exercendis.

54. Haec omnia prae oculis habeantur praesertim ab iis qui in institutis internationalibus operam dant una cum acatholicis, vel inceptis communibus, si forte exstiterint, ad finem socialem, culturalem, caritativum, spiritualem assequendum: ne erubescant fidem suam[3] etiamsi opus sit opinionem aliorum prae oculis habere ac recte aestimare ad concordem atque efficacem actionem christianam promovendam.

NOTAE

[...]

Caput VII

De laicorum apostolatu in ambitibus materialismo, praesertim marxistico, imbutis

Praeambulum

Inter ipsas nationes praevalenter christianas, practicus materialismus magis ac magis extenditur, invalescit, clam in conscientias intruditur.

Huius praeminens forma, quae apertum et militantem atheismum profitetur, marxismus, qui dicitur, computari debet, qui etsi non exclusive, praesertim inter opifices vel etiam excultos homines doctrinam suam systematice propugnare contendit.[1]

Sacrosanctum igitur Concilium pergrave hoc et universale periculum prae oculis habens simul et dilectionem qua Christus a se redemptos homines maximeque errore devinctos, prosequitur, consilia quaedam directiva tradere contendit, quibus iuvantibus christifidelium erga fratres apostolatus efficacior evadat et ad felicem perveniat exitum.

Ut autem ambiguitas quaevis circa Ecclesiae mentem penitus abigatur, ne insuper apostolica laicorum actio his in saeptis efficacitate destituatur, Sacrosanctum Concilium ipsum, maxime opportunum censet quae sequuntur sollemni ratione declarare.

Marxismus, quem ipsissimis Pii Papae XI verbis reprobat et damnat,[2] cum sit summae gravitatis materialismi genus ac christianae fidei maxime infensum, non est tamen unica hodierni materialismi forma. Hoc tempore, plures homines sunt qui, quamvis se christianos esse palam profiteantur, hodiernarum rerum cursui passive consentiunt, felicitatem humanam in technico[3] et oeconomico progressu reponunt, divitias inhiant,[4] ad talem extruendum mundum operam navant:[5] ipsi sensim sine sensu a Deo discedunt, quem paulatim e propria vita extrudunt. Magis etiam hic practicus materialismus eos inficit qui socialem doctrinam Ecclesiae manifeste respuunt,[6] pauperiorum et debiliorum iura agnoscere renuunt, socialem iustitiam laedunt, apertas et iniustas inaequalitates avertere vel saltem minuere recusant:[7] ii omnes indubitanter cuilibet perversae doctrinae viam pandunt.

Perperam marxisticus materialismus impugnatur nisi huiusmodi diversae formae pariter aperte reiciantur; nec ulla exsurgit spes marxisticum atheismum quandoque e mundo et ex corde hominum deletum iri, dum alio materialismo indulgetur, illi scilicet qui valoribus spiritualibus, sub specie exaltationis libertatis inceptionum, penitus neglectis, aliis regiminibus oeconomicis substernitur et ab illis ita diffunditur ut quotidianam hominum vitam pervadat.

Christifideles igitur omnes qui ad apostolatum laicorum operam conferunt, dum iuxta socialem doctrinam Ecclesiae marxisticum materialismum impugnant et damnant,[8] nullo prorsus pacto factionem factioni opponere contendunt, aut praedivitum commoda tueri, aut quoquo modo cum terrenis potentatibus vel cum iis foedera inire qui, subdole, cum religionis principiorum et Ecclesiae iurium vindices sese proclamant, nonnisi reapse propria commoda in tuto ponere inhiant, iustitiae iacturam dissimulantes. Quae omnia procul dubio in ipsius Ecclesiae detrimentum vertere non est ambigendum.

55. [*Fundamentalis agendi ratio*]. – Laici apostoli comparium suorum condicionum vitae vere et sincere participes fiant oportet. Nec corpore solum cum eis vivere et adlaborare aut habitare sufficit; necesse est insuper in iis omnibus quae ad bonum commune ducunt active collaborare illudque cum illis pro viribus promovere.[9] Ceterum fir-

miter omnino quae divinae legi contradicunt recusent, uti sunt odia inter homines, mammonae cultus, iniquus divitiarum usus, dominandi cupiditas, mendacia et fraudes, perversa adminicula suscipere; spiritu vero paupertatis quem Dominus tantopere in Evangelio commendat, liberi inveniantur ad Deo serviendum et fratres iuvandos.

56. [*Eorum vitam Deus repleat*]. – Ut valide et efficaciter atheismum oppugnent, requiritur praeprimis ut Deus laicorum vitam repleat, quae ex illa intima unione simul cum omnium operum consecratione suam unitatem obtinet. Nec unquam desinant pro fratribus orare et intercedere.

57. [*Prudentia adhibenda*]. – Necessaria prudentia laicis adhibenda est, ne in quotidianis commerciis humanis per ea quae audiunt, inspiciunt, legunt, pervagantibus erroribus lente et furtim imbuantur.[10]

58. [*Actio apostolica*]. – Religionem christianam ostendere debent laici non tantum ut abstractam doctrinam, sed ita vivere ut unusquisque, re et veritate, eam in professionem christianam personaliter susceptam et ad vitam socialem aptatam evehat. Pro iis maxime necessaria evadit cohaerentia vitae christianae sedulo manifestata ac ostensa, praesertim autem in socialibus relationibus.[11]

Insuper christifideles toto animo sese ad vitam socialem renovandam impendant.

Quoad suum apostolatum vero, oportet eos certiores fieri de adiunctis ambitus, eaque iuxta Evangelii normas diiudicare et inde cohaerenter agere.

59. [*Institutio et formatio*]. – Peculiaris institutio et formatio huiusmodi laicis debetur: moneantur praesertim de diversis christianis doctrinis quae ab hodiernis atheistis et marxistis in dubium revocantur; edoceantur de doctrinis marxisticis necnon de mentalitate materialistica, quae etiam extra marxistas diffunditur; de modo ratiocinandi et agendi, praesertim marxistarum, certiores fiant, ita ut possint melius ab errore sese defendere, immo veritatem efficacius aliis illustrare ac communicare valeant.

Praesertim in his adiunctis, necesse est ut doctrina socialis Ecclesiae probe noscatur.[12]

Speciatim vero animadvertatur iudicium mere negativum non sufficere. Cum nullus error detur quin alicui veritati commixtus exsistat, necesse est laicos educari ad recte decernendum inter bonum et malum, quae iusta sunt agnoscendo at simul pericula sedulo detegendo, praesertim quoad modum sese gerendi.[13]

60. [*Unionis necessitas*]. – Oportet autem ut praesentia in hac apostolatus provincia, laici saepe simul conveniant et coadunentur, ut eorum actio ex communibus conatibus resultet; quod diversimode ad effectum deduci potest, iuxta varias et semper novas necessitates et adiuncta.[14]

61. [*Ecclesiae adiutorium*]. – A tota Ecclesia huiusmodi apostoli laici adiuvandi sunt: ab Episcopis, sacerdotibus, religiosis, christifidelibus omnibus: oratione assidua, praesertim publica, necnon idoneis auxiliis praestitis.[15]

62. [*Christus mitis et humilis corde*]. Omnes fideles cuiuscumque ordinis collaborent oportet ut ipsorum opera Ecclesia universa speciem praebeat Christi Magistri et Redemptoris, ita ut ipsa, firmitate doctrinae, benignitate, humanitate, paupertate, humilitate, et maxime caritate fulgeat, sicut divinum Exemplar.

NOTAE

[...]

Caput VIII

De apostolatu laicorum in Ecclesiae missione ad gentes[1]

Praeambulum

Salvatoris Nostri conquaerentis verba «Messis quidem multa, operarii autem pauci»[2] nullibi tristius verificari contingit quam in locis qui «missiones» dicuntur, ubi innumera hominum millia salutis nuntium expectant, dum missionarii sacerdotes, ad ipsa ministeria sacra numero impares, multiplicibus laboribus non stricte sacerdotalibus penitus opprimuntur. Sed miserentis Dei Providentia suam Ecclesiam hisce in angustiis opportuno succursu carere non sinit. Etenim supplex Ecclesiae oratio ad «Dominum messis ut mittat operarios in messem suam»[3] in hoc praecipue exaudita videtur quod vocatio missionaria inter laicos mirandum in modum hodie florescit, qui iam pluribus in missionibus non solum laicorum exercent apostolatum, sed et «feliciter substituunt et complent» opus ipsius sacerdotis missionarii.[4]

Nemo autem arbitretur illos solum qui longinquas plagas evangelizandas adeunt, vel autochthones qui ibidem in Evangelio laborant, Ecclesiae «missionem ad gentes» participare posse vel debere. Totius enim Ecclesiae missio est, et nemini licet ab ea, pro posse, adimplenda se eximere. Ut autem laicorum tam necessaria participatio, in Ecclesiae missione ad Gentes, optimas fruges referre valeat, S. Concilium quas sequuntur normas opportunas tradere censuit.

63. [*Formae cooperationis quae omnes spectant*]. – Christifideles omnes suam faciant Divini Redemptoris sollicitudinem circa innumeras animas adhuc Ecclesiae aggregandas, eiusdemque invitationi obtemperantes enixe rogent «Dominum messis ut mittat operarios in messem suam»; sed et orationibus actionem iungentes, subsidiis quoque materialibus adiuvent missiones, mediantibus praesertim associationibus a S. Sede tamquam «Pontificia Opera Missionalia» speciatim destinatis.

64. [*Spiritus missionalis diffundendus*]. – Spiritus «missionis» infundatur in pueris educandis, in scholis a primariis usque ad universitarias; nutriatur conferentiis, consociationibus, circulis studiorum, libris de missionibus; ostendantur pueris modi hunc spiritum in actum reducendi; vocatio missionaria in eis forte detecta omni sollicitudine foveatur.

65. [*Varii missionalis apostolatus campi*]. – Nec desunt christifidelibus occasiones, quin patriam suam relinquant, immediate collaborandi in Ecclesiae missione ad infideles. Ubique enim in regionibus in quibus Ecclesia iam condita est inveniuntur plurimi, sive concives sive advenae, ad Ecclesiam nondum pertinentes, erga quos hanc missionem unusquisque modo suo et mensura adimplere satagat.

Eiusdem spiritus missionalis est affectu fraterno complecti et omni sollicitudine adiuvare omnes qui ex nationibus praevalenter non christianis veniunt ad nationes christianam traditionem habentes, educationis vel alterius occupationis causa. Laicorum est his verae christianae hospitalitatis, vitae familiaris, et ordinis socialis exemplum simul et experientiae occasionem praebere.

66. [*De iis qui ad laborandum in missionibus vocantur*]. – S. Concilium grato animo recolit ea quae laici missionales iam egregie patrarint patrentque, qui ad tempus aut

ad vitam patriam suam reliquerunt, ut in regionibus Evangelii lumine collustrandis ad bonum sociale et religiosum operam conferrent multiplicem.[5]

67. Nec minore laude digni sunt qui, non quidem tamquam missionarii, sed tamquam artium et professionum periti, ad gentes subsidiis hodiernis carentes, in progressu materiali, culturali, technico, adiuvandas se dedunt, et caritate vitaeque integritate fidei testimonium praebent. Quod si fiat, tamquam novi Praecursores Domini, Christo viam parant, quae saepe unica via esse potest.

68. [*Catechistae*]. – Catechistarum autochthonum in missionibus opera, ministerio verbi curaeque animarum intime consociata, quam necessaria quamque frugifera semper exstiterit, tota historia missionum demonstrat, eorumque munus tamquam «praestantissimum fortasse exemplum apostolatus qui a laicis exercetur» laudaverunt SS. Pontifices.[6]

69. [*Laude commendantur laici qui in missionibus operam conferunt*]. – S. Concilii Patres magnopere laudant laicos viros ac mulieres qui nobili huic operi se vocari noverint, ut eidem divinae invitationi generoso animo respondeant exhortatur; et eos omnes non solum in missione laborantes sed praesertim e missionibus revertentes, Pastorum communitatisque christianae sollicitae curae enixe commendat, ita ut facile possint suam pristinam professionem et positionem in communitate recuperare.

70. [*De formatione laicorum missionalium*]. – Scholae ad formationem laicorum missionalium qui ad apostolatum directe religiosum exercendum ad missiones proficiscuntur, sicut et catechistarum autochthonum in ipsis missionibus, tam necessariae hodie evaserunt quam Seminaria pro Clero. Hortatur igitur Concilium omnes quos spectat, ut huiusmodi scholas instituere curent tum in terris unde missionarii exeunt, tum in missionibus ubi catechistae formantur. Hisce in scholis, simul cum formatione in fervida vita christiana, tradatur profundior de doctrina catholica instructio, praesertim vero de S. Scriptura, Theologia, Historia Ecclesiastica, Catechetica, Apologetica, necnon de religione, cultura et consuetudinibus gentis apud quam candidatus laboraturus est. Curentque scholae Auctoritates a se formatos candidatos ad competentes Praelatos Missionum dirigere ut legitime missioni aggregentur ibique paratum sibi munus inveniant.

71. Auctoritatis ecclesiasticae est candidatos in hisce scholis formatos riteque approbatos, insignire missione canonica non solum ad doctrinam catholicam publice tradendam, sed ad assistendum missionario eumque supplendum in omnibus muneribus curae animarum connexis quae potestatem ordinis vel iurisdictionis non exigunt.

72. [*De sustentatione laicorum missionalium*]. – Superiores missionum sollicite curent ut his dignis adiutoribus laicis qui, in quacumque apostolatus forma, totos se missioni dicarunt, omnino aequa et digna provideatur sustentatio, praesertim vero iis qui familia sunt onerati, ut possint libere ad munus susceptum se applicare: dignus est enim operarius mercede sua «et Dominus ordinavit iis qui evangelium annunciant, de evangelio vivere».[7] Sed et expedit invitare etiam eos, quibus opes et tempus suppetunt, ad hoc honorificum munus gratuite suscipiendum, ad maiorem aedificationem et lucrum animarum, Apostolum imitati qui, dum ius suum in hac re vindicaret, eidem sponte renuntiavit «ut plures lucrifaceret».[8]

73. [*Consolidanda communitas christiana*]. – Christifideles omnes, sive extranei qui qualibet ex causa terras gentium adeunt, sive autochthones qui ibi inter non chri-

stianos versantur, alte in mente insculpta gerant haec S. Ioannis Chrysostomi: «Ideo enim ille (Christus) nos hic relinquit, ut sicut luminaria essemus, ut aliorum doctores constituamur, ut instar fermenti simus.... Non opus esset sermone, si vita nostra ita fulgeret; non opus esset verbis, si opera exhiberemus. Nullus esset gentilis, si nos essemus vere christiani».[9]

74. [*Institutiones apostolicae laicorum erigendae*]. – Cum Ecclesia non possit dici plene condita in aliqua gente nisi integra eius structura ibi constituatur, quae non modo variis Hierarchiae gradibus constat, verum etiam laicorum ordine, omnino opus est in missionibus erigere ac fovere omnia necessaria instituta educativa et caritativa, imprimisque Actionem Catholicam, necnon consociationes operariorum, agricolarum aliarumve professionum, prout casus ferat et necessaria accommodatione facta ad condiciones loci et populi.[10]

75. Meminerint autochthones christifideles honorificae suae partis in aedificanda Ecclesia Christi in gente sua, et assuescant generoso animo sustentare opibus suis ecclesiam, pastores, instituta, quantum media sua sinant.[11]

76. [*Autochthones fideles solliciti sint de Republica et cultura sua*]. – Ius et officium civium est in bonum reipublicae adlaborare et in eius gerendis negotiis activam partem assumere, unde christianae communitates quam maturissime et impensissime curent oportet, ut viros ad publicam rem in sua cuiusque terra pro communi ipsius bono gerendam praeparent, qui non solum credita sibi officia et opera cum laude exsequantur, sed etiam vita sua vere christiana, Ecclesiae, cuius beneficio renati sunt, honorem adiungant.[12]

77. Pari modo, christifideles autochthones non solum non negligant, sed impensissime colant culturam, artes et laudabiles consuetudines suae gentis, immo, christianum spiritum eis infundendo eas provehant ad talem pulchritudinis apicem ad qualem fortasse numquam pervenerant.[13]

NOTAE

[...]

APPENDIX

[...]

Pars III
DE APOSTOLATU LAICORUM IN ACTIONE CARITATIVA

Prooemium

[*Dilectio proximi signum est discipulorum Christi*]. – Sacrosancta Synodus, utpote praeclarum unitatis Ecclesiae et caritatis nuncium et testimonium, omnibus hominibus actionis caritativae obligationem commemorat. Etenim apostolatus omnis originem ducit ex praecepto Christi, qui, postquam commendavit his verbis mandatum dilectionis Dei: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum », addidit: « Secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae ».[1]

Signum, igitur, discipulorum Christi, iuxta Divini Magistri sententiam, proximi dilectio est: « in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ».[2]

[*Ecclesia altam semper praetulit caritatis facem*]. – « Nihil idcirco mirum si catholica Ecclesia, a Christo capiens documentum, mandatum Christi conficiens, per bis mille annos, a priscorum nempe diaconorum ministeriis ad nostros usque dies, continenter altam praetulit facem caritatis, non minus praeceptis quam exemplis latissime editis ».[3]

Verba, enim, quibus ab Ignatio Antiocheno Romana Ecclesia celebratur: « Universo caritatis coetui praesidens »,[4] universali Ecclesiae iure competunt, utpote quae « ob suam... inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem,... magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile ».[5]

[*Instantia actionis caritativae hoc tempore*]. – Hodie, vero, praesertim apud nonnullas regiones et gentes, miseria et indigentia dilatatae sunt, quin singulorum industria et conatu superari possint, unde communi opere collato actio caritativa exercenda est. Insuper communicationis instrumentis ac mediis expeditioribus factis, distantiae inter homines ita quodammodo evictae sunt, ut mundi universi incolae membra unius familiae se habeant. Actio, igitur, caritativa christifidelium, universos fines attingens, omnes homines amplecti debet, ut qui cibo potuque, vestitu, domo, medicinis, labore, instructione, vitae vere humanae ducendae facultatibus carent, aerumnis vel infirma valetudine cruciantur, exilium vel carcerem patiuntur, reficiantur et, praestitis auxiliis, leventur.

Itaque, nostra haec aetas actionem caritativam, ad quam exercendam Ecclesia a Conditore suo ius inalienabile et munus praeclarum accepit, et quam, decursu temporum, eadem egregie promovit, urgentiorem facit et in immensum prolatam.[6]

[*Ipsa humanitatis lex promovet plurima benefica opera et incepta*]. – Ipsa autem humanitatis lex movet etiam civitates et nationes in re oeconomica progressas erga eas quarum oeconomicae progressiones in effectu sunt, ita quidem ut « quibus nationibus saturitas copiaque sit omnium bonorum, ab iis status non est neglegendus aliarum, quarum cives in tantis versentur domesticis difficultatibus, ut egestate fameque paene conficiantur ».[7]

Cum, vero, adsistentiae socialis formae privatae vel publicae, nationales vel internationales, multiplices susceptae sint ac suscipiantur, et universos fines civilis societatis

ingrediantur, Sacrosancta Synodus laicis commendat ut, praeter opera ab Ecclesia constituta, adsistentiae socialis institutiones ipsas, sua praesentia et peritia ac supernaturalis caritatis afflatu directe et indirecte foveant utque, in utroque operositatis campo, totis viribus sese impendant.

NOTAE

[...]

Caput I

De natura et ambitu actionis caritativae

1. [*Caritas supernaturalis actionem caritativam urget*]. – Actionis caritativae nomine hic veniunt omnia incepta et opera tum individua tum collective ordinata, quae sub impulsu caritatis supernaturalis fiunt ad adiuvandum proximum in indigentia constitutum vel ad egestatem eius praeveniendam. Sicut virtute supernaturali caritatis diligimus «proximum propter Deum»,[8] sic et in actione caritativa, secundum illud Sancti Thomae, «ratio diligendi proximum Deus est; hoc enim debemus in proximo diligere ut in Deo sit».[9]

Actio caritativa, dum sibi proponit hominem in egestate degentem allevare, quidquid humana persona indigentis ad suam perfectionem sibi postulat haud negligit; eiusdem igitur culturalem, socialem, spiritualem profectum perficere, eidemque subsidia quibus ipse sibi consulere valeat necessitatibus, providere curat.

2. [*Actionis caritativae opera*]. – Fideles omnes caritatem in cordibus suis, per Spiritum Sanctum diffusam[10] ad actionem perducere studeant «opere et veritate».[11]

Actio caritativa complectatur praesertim ea quae Dominus, in novissimo iudicio, sese requisiturum esse praedixit, nempe: esurientes pascere, sitientes potare, nudos vestire, hospites suscipere, infirmos visitare, captivos redimere.[12] Alia iure addidit traditio christiana opera misericordiae his similia quae fraternae caritatis testimonium sunt.

3. [*Indoles universalis et ordo actionis caritativae exercendae*]. – Exemplum et mandatum Christi secutus quivis fidelis caritatem cum omnibus hominibus, quacumque necessitate laborantibus, communicet, ita quidem ut ordinem servet caritatis, scilicet et coniunctionis suae rationem cum eo quem iuvat et bonorum quibus iuvat, et necessitatis propter quam iuvat.[13]

4. [*Actio caritativa excedit ordinem naturalis adsistentiae*]. – Supernaturali sua ratione actio caritativa elevatur supra ordinem naturalis adsistentiae quae ex humano vel sociali impulsu procedit. Actio caritativa, nedum illo impulsui contradicat, eum assumit, promovet et suscitat.

5. [*Opera adsistentiae socialis naturalis ordinis iuvanda*]. – Cum autem gratia naturam non destruat, sed elevet atque perficiat, fideles actus et incepta adsistentiae socialis quae ad naturalem ordinem pertinet ne contemnant neve impugnent, sed potius, iuxta merita, agnoscant, eisque, collato opere, pro viribus, foveant.[14]

NOTAE

[...]

Caput II

De iustitia et actione caritativa

6. [*Dignitas et necessitas caritatis et iustitiae*]. – Cum a christiana doctrina non minus alieni sint qui, perfectione ordinis iuris supposita, caritatem superfluam reddere autumant, quam alii qui actionem caritativam, neglecta iustitia, extollunt, Sacrosanctum Concilium omnes christifideles admonet ut utriusque virtutis et dignitatem et necessitatem et earum in rebus humanis ordinandis indissociabilem coniunctionem agnoscant et foveant.

7. [*Iustitiam caritas urget*]. – Nedum caritas iustitiam negligat, in ipsa actione caritativa quidquid iustitiae est, e contrario urget, indesinenter promovens puritatem, integritatem, perfectionem iustitiae, in altero homine[15] alterum ego secundum praeceptum Domini,[16] et etiam ipsum Christum respiciens. Ita ut rectius dici debeat: ubi deest observantia erga personam in actione caritativa, ibi ipsa caritas deficit, et, quo magis crescit caritas eo magis crescit observantia erga homines, dignitatis et aequalitatis sensus ac praecavetur quidquid in actione caritativa libertatem, personalem autonomiam minueret et inde iustitia detrimentum caperet.

8. [*Caritas iustitiae limites excedit*]. – Licet cuique fas non sit caritati relinquere quod a iustitia debetur, ipsa tamen caritas iustitiam perficit, attingens, immo suo ardore excedens fines iustitiae; nam « non quae sua sunt quaerit »,[17] sed omnia sua cum aliis animo prompto et amicali coniunctione participare parata est.

9. [*Caritas superat iustitiam*]. – Opera iustitiae, quamvis assidue amplificentur, spatia caritatis[18] necesse est etiam atque etiam dilatari; caritas enim secretum possidet coercendi atque suaviter mulcendi poenas et aerumnas quae vitam hominum continuo, sicut pauperes, de quibus dicit Christus: « semper pauperes habetis vobiscum »,[19] comitantur, quaeque etsi peccati sunt sequela, fieri possunt redemptionis instrumenta.

10. [*Ecclesiae ius et officium adsistentiae*]. – Publicae auctoritatis est adsistentiam et securitatem socialem ita instituere ut omnibus civibus ea praesto sint, quorum defectus bonum commune in discrimen vocaret. Postulat vero ordo iuris ut cum singulorum hominum et coetuum tum etiam ipsius Ecclesiae agnoscatur et protegatur ius et officium aliis subveniendi, sive individualiter sive coniunctim exercendae. Quapropter fideles studeant ut ordo iuris ita constituatur ut libertas aliis subveniendi et operositatis caritativae Ecclesiae iure civili sanciatur et foveatur.

Notae

[...]

Caput III

De obligatione actionis caritativae

11. [*Opera caritativa supererogatoria non sunt*]. – Altissimum christifidelium officium est ut maximum mandatum ad actum perducant. Reicienda proinde est falsa illa et in praxi perniciosissima opinio quae opera caritatis omnia supererogatoria esse autumat.

12. [*Quilibet proximus in necessitate constitutus adiuvandus*]. – Ad actionem caritativam omnes, suarum facultatum ratione habita, obligantur ubi quilibet proximus in necessitate constitutus occurrat cui subvenire possint. Hodierni temporis condiciones et adiuncta hanc obligationem premunt cum hinc humanarum calamitatum notitiae raptim circumferantur et inde multiplicia concessa sint subveniendi modi et instituta.

13. [*Urgentior necessitas erga eos qui sunt in periculo morali vel spirituali*]. – Proximi necessitatibus adesse impensius urget si periculum moralis et spiritualis ruinae proximo instet a materiali vel sociali indigentia. Exemplo sit Bonus Pastor qui, nonaginta novem ovibus in deserto dimissis, ad illam quae perierat vadit donec inveniat eam.[20]

NOTAE

[...]

Caput IV

De actione caritativa et apostolatu laicorum

14. [*Opera apostolatus Christifidelium sunt testimonium caritatis*]. – Sicut mysteria Incarnationis et Redemptionis divinam erga homines caritatem manifestant, ita omnia Christifidelium opera in aedificatione Corporis Christi hanc caritatem cum hominibus communicent eiusdemque testimonium praebeant. Quapropter apostolatus christifidelium illa caritate informetur quae « patiens est, benigna est, ... non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet ».[21]

15. [*Momentum actionis caritativae inter opera laicorum apostolatus*]. – Quamvis opera apostolatus omnia a caritate procedant, tamen inter ea praeclarum locum obtinent opera caritativa quibus auxilium hominibus in necessitatibus constitutis praestatur. Haec enim opera amorem erga Deum et hominem clarius manifestant, evangelici apostolatus propositum fovent, fidei semitam expediunt, miro modo amicitiae necessitudinem et societatem vitae instaurant, caritatis quam Ecclesia in Sacramentis et in Liturgia, praesertim Eucharistica, celebrat, sunt perspicuum documentum.

16. [*Speciale in operibus caritativis munus laicis fidelibus incumbit*]. – Laici his operibus caritativis Ecclesiae participant praesertim eo quod possessionum suarum et temporalium laborum sociale munus attendentes, utriusque generis bona egenis communicent; eo quod varias suas naturales et acquisitas capacitates, scientias et artes eorum iuvamini applicent; eo quod, tandem, in multiplicis adsistentiae socialis institutis evolvendis et animandis assidue cooperentur.

17. [*Dignitas humana in actione caritativa observanda*]. – Dignitatem personae, libertatem conscientiae, imaginem Dei in proximo quasi elucentem christifideles dum perficiunt ministerium caritatis, observent, in omni humanitate et fraternitate; caveant igitur ipsi ne eos quos adiuvant vel opera quibus adiuvant quasi dominandi adminicula habeant et mera instrumenta fidei propagandae.[22]

18. [*Dignitas humana observanda etiam in operibus socialibus caritatis*]. – Opera socialia caritatis christifideles exsequentes, testimonium exhibeant honoris qui redditur

Deo in proximo omni opere caritatis ita ut, subsidium qui praestant simul cum iis qui praestitis subsidiis utuntur, speciem afferant singularis vitae trinitariae, in homine servante unitatem humanae familiae, in individuo dignitatem humanae personae, et propter Dei Filium aequitatem amoris et redemptionis divinae.

19. [*Communio in activitate caritativa cum non catholicis*]. – Cum ad unitatem Ecclesiae in fide fovendam et schismata unitatem adversantia cohibenda, mutua, ut experientia docet, communicatio in caritate et operibus non solum inter domesticos fidei sed etiam inter fideles et eos qui fidei dono vel integre nondum gaudent vel carent, conferat, christifideles verbum Domini de evangelici Samaritani exemplo sectantes, huiusmodi animum, discrete quidem ac prudenter, sed generose patefaciant.

Notae

[...]

Caput V

De actione caritativa singulorum

20. [*Necessitas actionis caritativae nostris temporis augetur*]. – Licet huius temporis institutiones homines hominibus admoveant, ipsi tamen frequenter extranei manent animo ac spiritus solitudine afficiuntur et cruciantur: obligatio actionis caritativae singulorum, qua homo homini vere proximum et fratrem se praebet, non solum non minuitur sed verius augetur.

21. [*Efficacia actionis caritativae singulorum*]. – Actio caritativa singulorum quae secreto et dulci animo egentem adit, miserationis affectu compulsa et plausu aliena, pauperi subsidium tempestivum praebet, quem ad certam spem inducit, fiduciam arctam inspirat singularemque prae se fert efficaciam.

22. [*Actio caritativa intimum hominis animum praesertim attingit*]. – In caritate individuali exercenda, urgentioribus necessitatibus primarie sublevatis, curandum praecipue illa praestare quae humanae personae dignitati potius conveniunt, qualia sunt: proprias facultates suscitare, opportuna consilia praebere et laborem suppeditare, atque in primis quae intimum hominis animum attingunt.

23. [*Spiritus caritatis singulorum est ratio felicis exitus etiam operum communis adsistentiae*]. – Spiritu quo actionem caritativam individualem explicantes informari debent, etiam in adsistentiae communis institutis operam praestantes imbuantur, ita ut singuli suae caritatis instinctu incitati conspirent in felicem exitum communis caritatis.

Caput VI

De actionis caritativae organizato exercitio

24. [*Caritatis opera collectiva*]. – Hodiernae hominum egestates ita singulorum facultates excedunt ut omnino necessarium sit, ad maiorem efficacitatem actionis caritativae, unitis viribus procedere, prout ceterum ipsa societatis hominum natura exigit.

25. [*Omnes christifidelium communitates caritatis consociationes se considerent*]. – Cum obligatio actionis caritativae universam Ecclesiam teneat, omnes eius communitates veluti consociationes caritatis spiritu animatas sese considerent: quod pro Ecclesia tam universali quam particulari, in primis vero pro paroecia, ad effectum perducendum est.

26. [*Operibus caritatis ab Ecclesia commendatis laici cooperentur*]. – Illis proinde caritatis operibus, de quibus in canonibus 467, 468, 469 C.I.C., laici libenter cooperentur, ii praesertim qui Associationibus Catholicis nomen dederunt.

27. [*Laicorum munia erga instituta caritativa*]. – Sacrosancta Oecumenica Synodus laicis summopere commendat institutiones caritativas, eisdemque et nomina et subsidia dare invitat. Ergo laude digni sunt qui ad opera caritativa sese impendunt et qui, prout mores diversarum regionum ferant, otii sui magnam partem, v.g. diem dominicam, tempus vacationum aut ab opere vacuum, pro curandis miseris, senescentibus, aegrotis, sua sponte offerunt.

Haec insuper munia laicorum magnopere laudantur: opus ad constituendam legislationem socialem conferre; indesinenter perquirere quaenam sint necessitates pro quibus opera caritativa non exstant ac eadem excitare; item denique fines ac media operum catholicorum iam existentium recognoscere. Qui autem responsabilitatem habent in operibus caritativis moderandis, corde magno ipsis operibus sese devoveant, in consilium mandataque Hierarchiae semper animum intendentes, memores exempli S. Vincentii a Paulo qui pauperes « dominos suos » vocabat.

28. [*Relationes inter instituta caritativa et Hierarchiam*]. – Quae de forma iuridica associationum et institutionum earumque ad Hierarchiam relatione dicta sunt, etiam ad instituta caritativa applicentur, ratione habita eorum peculiaris indolis.[23]

29. [*Associationes caritativae in ambitu dioecesano*]. – Episcopi est pro sua Dioecesi, intra limites iuris universalis, opera et incepta organizata efficaciter coordinare, immo praeordinare, quae opportuna videntur, prouti adiuncta ferant, cooperantibus convenienter et clericis et laicis.

30. [*Associationes caritativae in ambitu nationali*]. – In qualibet natione curent Episcopi ut, in quantum fieri potest, adsit consilium quod in omnibus associationibus caritatis promotionem spiritus vere christiani et caritativi foveat, eorumdem coordinationi efficaciter provideat, prouti condiciones religiosae, politicae, oeconomicae, sociales cuiusvis nationis postulant. Huius consilii est etiam relationes curare inter ipsas associationes caritativas Ecclesiae et cetera adsistentiae socialis instituta, sive a publicis auctoritatibus sive a coetibus quibuscumque moderata. In hoc consilio clerici et laici partes habeant.

31. [*Associationes caritativae in ambitu internationali*]. – Consilia coordinativa operum caritatis apud singulas nationes in efformando superiore consilio quodam internationali cooperentur, sicut iam fit in institutione quae dicitur « Caritas Internationalis ».

Huius consilii fines praecipui sunt:

a) in ambitu internationali studiis aptisque mediis, necessitatibus, etiam praeveniendo, consulere;

b) diversarum nationum actiones caritativas exigentiis Ecclesiae universalis accomodare;

c) cum aliis adsistentiae socialis consiliis internationalibus cooperari;

d) urgentem actionem caritativam ditiorum regionum erga pauperiores fovere.

Si Summo Pontifici placuerit, precibus nonnullorum Episcoporum accedenti, cuidam Sacrae Congregationi curam Apostolatus Laicorum committere, iuxta propositum supra expositum,[24] optandum est ut in eodem Dicasterio peculiare instituatur officium de actione caritativa.

32. [*Laici et institutiones caritativae a religiosis promotae*]. – Cum inter opera caritatis quae in Ecclesia perficiuntur conspicua exstent instituta nonnulla ab Ordinibus vel Congregationibus religiosis, operibus caritativis praecipue intentis, inita, haec ut magni faciant Sacra Synodus laicos hortatur ad auxilium et patrocinium eis praestandum, etiam moderationi participantes, atque ad vocationes pro ipsis Ordinibus et Congregationibus fovendas.

NOTAE

[...]

Caput VII

De formatione laicorum ad actionem caritativam exercendam

33. [*Caritatis exercitium et personalis sanctimonia*]. – Laici in mysterium caritatis Christi introducantur et caritatis misericordiaeque opera necessaria esse saluti edoceantur, praeterea ipsa ad evangelicam perfectionem et animi sanctimoniam consequendam rectam viam praebere et praeclarissimum vitae christianae testimonium offerre.[25]

34. [*Institutio ad actionem caritativam in familia, in paroecia, in dioecesi*]. – Cum animi cultus sicut cuiusvis disciplinae initium sumat iam inde a puerili aetate, parentes necnon puerorum praeceptores curent exemplo esse officii caritatis liberis et discipulis, quos etiam ad opera caritatis instituant et ad ea exercenda, ipsis moderantibus, immittant.

Momentum et dignitatem operum caritatis moderatores institutionum in paroeciis et dioecesibus suis auditoribus illustrent et, si oportuerit, tueantur, ita ut christifideles omnibus ad egenos sublevandos inceptis, data opera et oblata pecunia, patrocinentur.

35. [*Institutio «methodologica» seu «systematica» laicorum ad actionem caritativam*]. – Ii quorum interest animarum salus, promoveant, ad exemplum Hierarchiae, cui laicos ad opera caritatis apparare semper curae fuit, institutionem eorum «methodologicam» seu «systematicam», quam vocant, novis semper adiunctis accommodatam. Quare, regulares cursus ad hanc institutionem comparandam pro laicis, quibus officium est exercendi adsistentiam et beneficentiam, laudandi et commendandi sunt. Ergo, quae iam exstant ad hunc finem scholae catholicae foveantur, aliaeque opportune erigantur.

Qui vero apud studiorum universitates in doctrina sociali tradenda incumbunt, doctrinam catholicam de adsistentia sociali, ratione habita progressus scientiarum, quod attinet ad vitam sive individualem sive socialem, curent elaborare.

Laici autem illa institutione informati non modo in opera et instituta Ecclesiae sese

impendant, verum etiam in associationibus omnibus perviis, necnon publicis adsistentiae socialis inceptis, arrepta occasione vel opportunitate, operam navent, christianae caritatis afflatu ea curantes animare.

36. [*Fideles doceantur per opera caritatis Christum colere in fratribus*]. – Fideles omnes doceantur debitam moderationem, studiosam observantiam, fraternum animi sensum erga proximum suum in exercitio caritatis servare, illud in primis prae oculis habentes: quod fit ad fratrem sublevandum a labore vel dolore, sibimetipsi fieri Christum in Evangelio affirmasse.[26]

NOTAE

[...]

PARS IV

DE APOSTOLATU LAICORUM IN ACTIONE SOCIALI

PROOEMIUM

[*Ordo temporalis in Christo instaurandus*]. – Cum Deus Omnipotens, Factor coeli et terrae, universum mundum disposuerit ad gloriam suam in plenitudine Christi, Filii Sui, Verbi Incarnati, consummandam, meminerint Christifideles se non tantum ut terram repleant atque subiiciant[1] esse vocatos, sed insuper ad universum temporalem ordinem in Christo instaurandum ac perficiendum, secundum illud Apostoli: « omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei ».[2]

Quapropter apostolatus Ecclesiae etiam ipsum ordinem temporalem attingit, pervadit atque informat, ita quidem ut, integer manens in sua natura, totus simul ea vita vivificetur qua abundamus in Christo Iesu.

[*Libertas filiorum Dei erga hominum opera servanda*]. – Hodiernae aetatis proprium est ut homo, scientiae et artium ingenti progressu in temporalibus ditatus, necnon bonorum omnis generis copia, aptior in dies appareat ad divinam suam circa mundum vocationem adimplendam. Alia tamen ex parte, his ipsis particularibus bonis seductus, haud parum periclitatur ne, universalis et integrae suae naturae sensum amittens, servus operum quae ipse confecit magis inveniatur, quam regali illa filiorum Dei libertate erga res creatas excellens, ad quam mirabiliter conditus est et mirabilius reformatus.[3]

[*Progressus scientiarum et artium doctrina christiana compleatur*]. – Sacrosancta Synodus igitur fideles omnes hortatur ut scientiarum et artium progressui libenter pro viribus operam dent, illumque compleant apta cognitione hominis « ad imaginem Dei » conditi,[4] ordinis moralis, et Creatoris mundi. Studeant insuper ut divina illa Lux, quae est Christus « Imago Dei invisibilis »,[5] in quavis humani cultus regione resplendeat, et ab Ipsa tota veritas, in ordine sive naturali sive supernaturali, magis magisque scateat.

[*Actio vero temporalis legi morali confirmanda ac caritate perficienda*]. – Christifideles pariter naturalis ordinis activitates et institutiones, dum eas ad normam principio-

rum ipsis inditorum regunt, simul semper legi morali subiiciant. Cuius observantiam caritate quae finis ac plenitudo legis est[6] informent, ita ut ordo naturalis totus in Christo instauretur et perficiatur.

NOTAE

[...]

TITULUS I

DE ACTIONE SOCIALI IN GENERE

Caput I

DE LAICORUM ACTIONE IN INSTAURANDO ET PERFICIENDO ORDINE NATURALI

1. [*Munus proprium laicorum*]. – Christianae ordinis naturalis instaurationi ac perfectioni totius Ecclesiae est operam dare. Iamvero, sacra Ei a Suo Institutore indita structura requirit, ut fideles qui ad officia clericorum deputantur, etiam in ordine ad temporalia imprimis ut Divini Verbi praecones et divinorum mysteriorum dispensatores inveniantur;[1] laici vero, licet in iis mysteriis participent, rebus temporalibus tamquam proprio ordinario muneri incumbant.

2. [*Ad quod implendum parati sint*]. – Laici igitur, in temporali ordine ad Christi gloriam aedificando, propriam in diversis rerum temporalium provinciis aptitudinem, distinctam intelligentiam, prudens in procedendo iudicium, applicent accurate; ad quae omnia praeparantur diuturno studio, cotidiano usu propriae et alienae experientiae, indagatione quaestionum quovis die exsurgentium, diligenti denique laborandi methodo.

3. [*In nonnullis aptiores sunt*]. – Laicis etiam convenientius solvendae relinquuntur quaestiones haud paucae, quae ex rapido scientiarum et artium progressu circa res continuo mutantes oriuntur et in quibus persaepe, quamvis de discernendis rebus non parvi momenti pro Regno Dei agatur, implicatio tamen vel incertitudo rerum plures licitas et magis consentaneas procedendi vias aperit. Efficax praeterea agendi opportunitas in diversis ordinis temporalis campis iis praebetur qui ordinarie ipsis incumbunt.

NOTAE

[...]

Caput II

DE RELATIONE LAICORUM AD HIERARCHIAM[1]

4. [*Propria industria et responsabilitate agant*]. – In universo temporali ordine instaurando christifideles, praesertim qui peculiari ornantur aptitudine, propria industria et responsabilitate agant, ratione semper habita ordinis moralis evangelica caritate perficiendi.

5. [*Munus Hierarchiae*]. – Huius ordinis principia authentice interpretari et enucleare munus est ecclesiasticae Hierarchiae, cuius etiam fas est iudicare, omnibus rite perpensis, de conformitate operum et institutionum ordinis temporalis cum principiis moralibus et decernere de eis quae ad ordinis supernaturalis bona custodienda et promovenda requiruntur.

6. [*Laudantur laicorum incepta*]. – Hierarchia in actione sociali laicorum generosa et efficacia incepta summopere laudat atque commendat, eosque in Domino invitat ea quae commendaverint prompto animo ad effectum deducant.

7. [*Consilia de actione sociali instauranda*]. – Commendat Sancta Synodus ut pro dioecesibus aliquod de actione sociali consilium instauretur, ex peritis sacerdotibus simul et laicis compositum, quod Hierarchiam in suo apostolico munere adiuvet. Pro universali autem Ecclesiae apostolatu simile consilium constituatur.[2]

NOTAE

[...]

Caput III

De actionis socialis formis

8. [*Seligendae formae quae simul christianis principiis et concretis adiunctis respondeant*]. – Cum diversissimae inveniantur in variis populis et communitatibus conditiones religiosae, culturales, sociales, politicae, fideles, sicut in omnibus operibus ad apostolatum christianorum pertinentibus, ita etiam in actione sociali exercenda eas seligant formas et methodos quae universalia vitae christianae principia, concretis temporum et locorum adiunctis spectatis, melius et efficacius applicari sinunt.

9. [*In varios coetus et institutiones christifideles conferant ad bonum commune*]. – Hac in re permagni est christifideles variis coetibus socialibus, institutionibus, condicionibus rerum conferre ea quae christianorum propria sunt.

Formae ac methodi eligantur quae cum rerum natura consonent.

Insuper in formis eligendis semper prae oculis habeatur et singulorum coetuum utilitas et bonum commune, sive Reipublicae sive Ecclesiae Universalis.

10. [*De cooperatione catholicorum cum aliis*]. – Communis veritatum christianarum vel saltem naturalis legis agnitio permittere potest, locorumque et temporum adiuncta requirere queunt catholicorum participationem cum aliis in actionibus, immo in associationibus ad fines temporales honestos attingendos. Quod si fiat, formationem catholicam ad hanc operositatem congruis subsidiis sibi comparare catholici ne omittant.

Caput IV

De laicis ad actionem socialem efformandis

11. [*Praeparatio requisita*]. – Ad actionem socialem apte exercendam, laici praeparentur sub adspectu technico, doctrinali, morali.

Curare oportet ut unusquisque suam vocationem sequatur, ad suiipsius perfectionem, necnon ad bonum commune prosequendum.

12. [*Technica praeparatio ab idoneis institutis tradatur*]. – Ad instructionem et educationem technicam, cuique campo propriam, collaborare debent institutiones speciatim idoneae, ut sunt familiae, scholae, coetus, motus,[1] syndicatus, consociationes professionales et politicae.

13. [*Doctrinalis eruditio, pars integrans educationis*]. – Doctrinalis eruditio in re sociali est pars integrans educationis et a pueritia, prout par est, iam inchoetur oportet: parentes, magistri, catechistae et alii periti pueros et adultos modo idoneo eam doceant, ratione semper habita adiunctorum in quibus ipsi degunt.

Enitendum est ut doctrina socialis Ecclesiae modis omnibus in vulgus emanet, quos recentior induxerit aetas, tum scriptis periodicis, tum libris, tum denique radiophonicis et televisivis transmissionibus adhibitis.[2]

14. [*Doctrina socialis Ecclesiae in institutis tradenda*]. – In institutis temporalibus principiis christianis perfusis, eadem doctrina socialis Ecclesiae tradatur a sacerdotibus, religiosis et laicis rite eruditis et probatis.

15. [*Erigantur scholae sociales pro laicis*]. – Curandum est ut scholae vel instituta socialia erigantur, in quibus idonei laici in doctrina sociali catholica opportune erudiantur, ita ut, etiam gradibus academicis ornati, approbentur ad caeteros doctrinam socialem docendam.

Insuper instituta erigantur ad formandos eos qui actioni sociali incumbunt.

Laici erudiantur de ratione doctrinali contenta in iis quae proprio marte decernunt.

16. [*Educatio concreta, mediante actione adquiritur*]. – Educatio concreta, vitae personali et socialibus condicionibus aptata, ipsa mediante actione adquiritur; nam « nemo novit iuxta doctrinam catholicam in re oeconomica et sociali agere, nisi reapse in eadem provincia et iuxta eandem doctrinam agendo ».[3]

Laici mente et affectu ad illam suiipsius activam efformationem dirigantur oportet, qua accurate muniti, adminiculum non neglegendum ad ipsam doctrinam elaborandam afferre poterunt. Ad illud iuvabit influxus quem vicissim exercent mediantibus consociationibus, praesertim christianis.

17. [*Methodus concreta doctrinae applicandae*]. – Doctrinam socialem Ecclesiae ad effectum deducere arduum est opus; quapropter, praeter principia etiam methodum adquirere oportet, unde ad concretam applicationem deducantur. Qua in re in mentem revocantur tres procedendi gradus tribus hisce verbis significati: *aspicere, iudicare, agere.*[4]

18. [*Fraterna caritas in actione temporali*]. – In inceptis ordinis temporalis rite exercendis, fraterna caritas ad omnes extendatur, qui viis etiam disparibus ad eundem finem tendunt; suppositis immo iudiciis nonnumquam discrepantibus, ubi, citra veritatis certitudinem, amplissimus liberae opinioni remanet locus.

Caveant christifideles studiosissime ne vires suas crebris extenuent contentionibus, neve, per speciem quaerendi id quod sibi videatur optimum, illud interea praetermittant quod revera efficere possint, atque ideo efficere debeant.[5]

19. [*Modus operam praestandi cum acatholicis*]. – Catholici, cum in muneribus exsequendis, ad res oeconomicas socialesve pertinentibus, homines attingunt, qui secus

atque ipsi de vita sentiunt, sibimetipsis semper constent, neve ad ea media consilia descendant, e quibus aut religionis aut morum integritas aliquid detrimenti capiat. Pariter tamen aliorum sententiam aequa perpendant benignitate, et parati sint ad ea cum fide coniunctisque viribus efficienda, quae vel suapte natura sint bona, vel ad bonum adducant.[6]

Notae

[...]

Caput V

De glorificatione Dei ac de supernaturali christifidelium perfectione

20. [*Dei glorificatio*]. – Sacrosancta Synodus recolit ordinis temporalis aedificationem, iuxta principia exposita, ad Dei glorificationem pertinere.

21. [*Supernaturalis christifidelium perfectio*]. – Christifideles insuper, in ordine temporali operantes, propriam perfectionem supernaturalem prosequi possunt ac tenentur; proinde, ad actionem socialem rite exercendam, vitam supernaturalem nutriant oportet: assidua verbi Divini meditatione, sacramentorum frequentatione, ad sacram liturgiam activa participatione.

Operas ergo temporales exercentes secundum leges ipsis insitas ad fines earum proprios consequendos, fide et caritate agant, iuxta illud Apostoli: « Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo, per omnia, qui est caput Christus ».[1]

22. [*De caritatis efficientia in temporali operositate exercenda*]. – Meminerint christifideles, si cum fide et caritate temporales operas compleant, earum vim non minuere sed potius augere, etiam ad ipsum obtinendum ad quod eaedem activitates natura sua ordinantur. Nam qui « lux in Domino »[2] facti sunt, atque « ut filii lucis »[3] ambulant, tutiore iudicio percipiunt quid ex iustitiae normis sit agendum in variis humanae nativitatis provinciis; et qui christiana caritate ducuntur efficacius agunt, cuiuscumque generis eorum operae sint.[4]

Notae

[...]

Titulus II

DE ACTIONE SOCIALI IN SPECIE

Praeambulum

[*De christiana ordinis temporalis informatione*]. – Crescente in dies activa in Ecclesia laicorum generosa voluntate ad assumenda et praestanda propriae responsabilitatis munera, magis magisque in ipsa societate civili accrescit propensio, ut omnes, qui apti

sunt, et personae et coetus, ad culturalis, socialis, politicae vitae participationem admittantur. Quae quidem collaborandi facultas christianis omnibus et ansam praebet et obligationem informandae civilis societatis principiis et spiritu christianae doctrinae socialis.

Quapropter Sacrosancta Synodus omnes laicos hortatur ut tantum sibi munus in omnibus ordinis temporalis saeptis commissum agnoscant et exsequantur, speciali tamen ratione habita sequentium magni momenti negotiorum.

Caput I

De familia[1]

23. [*In ordine sociali, familia praestantiorem locum tenet*]. – Cum familia in omnibus humani christianique cultus saeptis evolvendis praestantiorem locum obtineat, Sancta Synodus ipsam appellat ad ea officia adimplenda quae ipsi incumbunt tamquam naturali, iuridicae, sociali, oeconomicae, morali unitati.[2]

24. [*Familiae et consociatarum familiarum munera*]. – Laudantur fructuosi conatus familiarum efficiendi, propria navitate, ea quae ad hunc finem ducunt; quod quidem, collatis earum associationum viribus, congruentius obtinetur.[3]

Cum familiae, ratione structurae et amplitudinis, muneris et efficientiae socialis, necnon modi auctoritatis exercendae multum inter se differant, familiae ipsae et earum consociationes constanter studeant ut, condicionibus temporum et regionum continuo mutantibus sese aptantes, essentiales domesticae societatis fines efficacius attingant.

25. Satagendum est ut iustitia et iuribus socialibus plene fruantur domestici adiutores eorumque — praesertim adolescentium — personalitatis moralis, professionalis et socialis rectae evolutioni foveatur.

Agnoscatur domesticis ius et possibilitas active participandi associationibus religiosis et socialibus, praesertim iis, quae ab ipsis et pro ipsis specialiter instituantur.

26. [*Familia a diversis institutionibus iuvanda*]. – Familiare institutum ab omnibus societatis institutionibus corroboretur et protegatur, ita ut, propria industria, fines suos naturales assequi valeat; quod postulat ut coniuges libere vires suas sibi invicem et proli dicare possint; ut parentes propriam responsabilitatem filios educandi et sustentandi ad effectum perducere queant; ut familiae decenti habitatione et congrua vitae securitate gaudeant.

Qua in re conandum est ut familiae, pro diverso prolis numero, congruis vitae condicionibus fruantur.[4]

27. [*Respublica tueatur iura parentum et familiae*]. – Fideles insuper quod ad publicas potestates attinet, propriam et primariam parentum responsabilitatem vindicent quoad condignam prolis et procreationem et educationem. Curent ut leges et administratio publica hac in re familias efficaciter adiuvent, praesertim quoad habitationem, proprietatem, laborem, securitatem, tributa, earumque publicam aestimationem mediis efformandae opinionis promoveant, et vitam contra errores et abusum libertatis defendant. Adversentur insuper dispositionibus iuridicis quibus iura coniugii et familiae laeduntur, etiam sub specie et per modum adiutorii.

In ordinandis emigrationibus, summopere attendatur ad domestici convictus iura et officia.[5]

28. [*Colendae in vita familiari virtutes sociales*]. – In vita familiari, sedulo servari debent ordo interior ac leges coniugii et familiae. Et ideo specialiter colantur sociales virtutes quales sunt veracitas, caritas, pietas, oboedientia, iustitia, fidelitas, discretio, patientia, hospitalitas. Responsabilitatis sensus, aestimatio mutua, in prosperis et adversis collaboratio et gratitudo nutriantur.

Parentes filios ad libertatis intra fines ordinis moralis usum educent, suo praesertim exemplo, iuxta illud Apostoli: « Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini ».[6]

NOTAE

[...]

Caput II

De educatione

29. [*Christianae educationis momentum*]. – Civilis cultus (« civilitas ») noster celeriter in dies augescit scientificae praesertim ac technicae indolis incrementis.

Gravior igitur fit quaestio educativa cuius exitus arctis iungitur nexibus cum integro singulorum hominum auctu, cum debita in vita sociali efficacitate, cum ultimi denique finis hominum adeptione. Ad eiusdem ergo felicem successum non tantum singuli homines sed etiam familia, civilis societas et Ecclesia tenentur.[1]

30. [*Ius et munus familiae*]. – In omnibus scholis pro minoribus a quibusvis rectis agnoscatur ius parentum liberos educandi. Habet enim familia proxime a Creatore munus propetereaque ius prolis educandae: quod quidem nulli in terris potestati infringere licet.

31. [*Ius Ecclesiae declaratur*]. – Ius Ecclesiae propria instituta scholastica, cuiusque gradus, cuiusque ordinis, erigendi et colendi agnoscatur, immo vindicetur et defendatur.

32. [*Instaurandae sunt et iuvandae scholae christianae*]. – Curent parentes ut scholae quas eorum proles frequentat expostulationibus educationis christianae vere respondeant. Ad hoc etiam conferant ut huiusmodi scholae sufficienti copia pro quovis educationis gradu et ordine erigantur, qua in re ab omnibus catholicis iuventur oportet. Concordibus viribus enitantur efficere ut huiusmodi ius publice agnoscatur et in praxim deducatur.

33. [*Conditionibus hodiernis aptetur educatio*]. – Omnes qui in universa educationis ratione participant, id est, familiae et earum consociationes, Ecclesia, publicae auctoritates, instituta ordinis tum oeconomici tum culturalis in eo concordent ut eruditionis et educationis obiectum ac methodus requisitis dierum nostrorum oeconomicis, culturalibus, socialibus accommodentur, ita tamen ut dignitas humanae personae et colatur et perficiatur.

34. [*Accessus culturae omnibus pateat*]. – Christifideles ita progressum socialem promoveant, ut cuiusque coetus pueris et puellis, nullo admisso discrimine, fundamentalis eruditio et idonea educatio tradi possit; immo ita satagant ut iuniores illi qui sagaci

ingenio gaudent et firma voluntate donantur mentis eminentiorem cultum animique ornamentum recipere valeant. Relate ad nationes quarum progressiones in acta sunt catholici curam habebunt omnibus collaborare conatibus ut apud ipsos suscitetur et profundior fiat instructio et educatio iuvenum cuiusvis studiorum ordinis. Praeterea iuvenes e regionibus progredientibus oriundi libenter admittantur in scholis et universitatibus praesertim catholicis, ex animo invitentur coetibus christianae iuventutis, et eis familiae quas illustrat christiana traditio, mensam et lares patefaciant.

35. [*Proprium adulescentium ingenium colendum*]. – Studeant insuper ut scholae in disciplinis suis ac methodis conferant ad integram educationem. Curent ut adulescentes idoneam praeparationem scientificam et technicam acquirant; ut ad illas dirigantur activitates quae proprio eorum ingenio respondeant; ut superiorum bonorum magis magisque conscii iudicare assuescant, proprio marte et recte agere addiscant, sensumque socialem sibi efforment. Ad quae omnia obtinenda magistri eorumque consociationes efficaciter conferre vocantur.

Magistri catholici et educatores sui muneris praestantiam et Christi docentis exemplum[2] prae oculis habeant semper.

36. [*Educatio in diversis laboris campis*]. – Cum nostris diebus magni momenti sint, in educandis adulescentulis, incepta et institutiones laboris, curent parentes, publicae potestates, bonis gignendis consociationum et collegiorum opificum moderatores, sodales, praesertim maiores natu, ut etiam laborandi rationes, relationes et condiciones, exigentiis physicae, professionalis, socialis, moralis et religiosae educationis rite adaptentur.

37. [*Pro subnormalibus*]. – Apte seligantur rationes et viae ad puerorum et adolescentium qui «subnormales» dicuntur, educationem et formationem rite perficiendam. Et videant laici, ut christianae educationis principia serventur in illis institutis in quibus, deficiente familia, infantes et iuvenes educantur.

38. [*Adultorum educatio*]. – Christifideles adultorum educationem et efformationem ne negligant, sive agatur de rudimentis docendis aut complendis, sive de concreta praeparatione ad vitam socialem plene evolvendam, praesertim propria industria et responsabilitate etiam in minoribus coetibus. Quam adultorum educationem spiritu christiano animare contendant.

39. [*Temporis liberi conveniens usus*]. – In hodiernae societatis adiunctis, peculiariter attendendum est quantum ad vitam religiosam, ad concordiam vitae familiae, ad intensiorem participationem vitae sociali et ad progressum culturae vel institutionis personalis conferat etiam temporis liberi rectus usus. In qua ita quidem iuvenes educandi sunt ut, propria responsabilitate, tempore honeste ac fructuose utantur: quae hac in re laudabiliter peraguntur a catholicis societatibus, praesertim iuvenilibus, Sacrosancta Synodus omnibus commendat.

NOTAE

[...]

Caput III

De condicione mulierum in labore et vita sociali[1]

40. [*Dignitas mulieris*]. – His nostris temporibus mulieres, quicumque est civilis cultus (civiltà) ad quem pertinent et in quo vivunt ac operantur, in dies magis ac magis propriae dignitatis consciae fiunt.

Attamen Sancta Synodus, vehementer dolet in nationibus non paucis atque in latis etiam terrarum continentibus vitae conditiones ac laboris formas, quibus mulieres permultae coguntur, nimis onerosas immo non raro inhumanas esse.

Invitantur proinde Christifideles omnes ut, dignitatem mulieris agnoscentes, in omnibus vitae socialis campis eiusdem dignitatis concretae instaurationi faveant.

41. [*Fundamentalis aequalitas viri et mulieris*]. – Viri mulierisque a Creatore indita distinctio ac eorum ad invicem ordinatio agnoscantur, simul tamen praedicetur illa aequalitas qua gaudent ut personae et Dei filii adoptivi.[2]

42. [*Munus proprium mulieris in vita sociali*]. – Mulieres bona omnia vitae supernaturalis et terrenae attingere oportet qua mulieres, propriam operam in omnia saepta afferentes, ita ut earum personalitas plene evolvatur et inde societas reapse ditetur.[3]

Satagendum ergo est ut in omnibus rerum et locorum adiunctis eae condiciones vitae mulieribus efformentur ut ipsae propria dona plenius attingere ac explicare queant.

Meminerint mulieres Deum ipsis praesertim vitae humanae thesaurum concredidisse, et in munere prolis educandae, nobilissimo quidem et arduo, matrem numquam ex toto suffici posse.

43. [*Laboris mulieris dignitas*]. – Perfectiones illae individuales et sociales personae humanae communes quae ex labore oriuntur, merito praedicantur etiam de labore mulierum; quae tamen in eo suscipiendo et peragendo semper prae oculis habeant quantum earum operositas domestica valeat ad vitam familiarem bene ordinandam.

44. [*Mulieres extra domum laborantes*]. – Cum mulieres laborem extra domum exercent, curent et ipsae et omnes qui de iis respondere debent, ne utilitates propriae et sociales quae inde, vel immediate vel pro honesta posteriore vita, praesertim si non nupserint, gignuntur, in detrimentum vergant superiorum bonorum, moralium et socialium, speciatim vero familiae, sed ea promoveant.

45. [*Uxoris et matris muneri detrimentum ne afferatur*]. – Uxoris et matris labor primariis familiae muneribus nullum detrimentum afferat. Satagendum ergo est, praesertim in remuneratione determinanda patris familiae, ne umquam mater ex necessitate cogatur operas externas suscipere quae eius obligationes familiares in discrimen adducant.[4]

Si mulier, vel ex necessitate vel ad evolvendas peculiares ingenii vires, extra domum operas exerceat, aptis et multiplicibus dispositionibus ei vera libertas detur illas eligendi, quae eius mulieris et matris condicioni conveniunt.

46. [*Congrua praeparatio requisita*]. – Ut mulieres plene et absque ullo detrimento dotes propriae personalitatis in vita sociali et in labore evolvere queant, necesse est ut congrua religiosa, intellectuali, sociali, technica institutione ornentur, quae mulieris in-

doli, aetati et condicioni, societatis progressui ac temporum et locorum adiunctis, accommodata sit.

Valde ergo laudantur mulierum consociationes quae operam navant ad talem educationem et actionem socialem.

NOTAE

[...]

Caput IV

DE ORDINE RERUM OECONOMICARUM ET SOCIALIUM

47. [*Divitiae ad iustitiae et aequitatis normas distribuantur*]. – Postremis hisce decenniis oeconomicae plurium nationum rationes producendi efficacitatem admodum adauxerunt.

Attamen dum divitiae non raro ingentissimis auctibus in quorumdam praedivitum manibus congeruntur, hic atque illic plurimi inveniuntur homines qui asperam coguntur degere vitam, quique miseriae ac famis angustiis oppressi, summis vitae iuribus minime fruuntur.

Christifideles proinde omnesque honesti homines pro viribus enitantur ut oeconomicae res ad iustitiae et aequitatis normas instruantur et mutua gentium collaboratio in socialibus et oeconomicis saeptis in dies efficacior reddatur.

48. [*Activitas oeconomica legi morali submittitur*]. – Salva indole propria scientiae oeconomicae quoad obiectum et methodum, necnon autonomia operositatis oeconomicae quoad finem proprium et immediatum, activitas oeconomica exerceatur attento ordine morali.[1]

Finis vero activitatis oeconomicae dirigitur ad illam bonorum temporalium copiam quae efficaciter omnium personarum, familiarum, civitatum, necnon totius humani generis progressui sociali et morali favet.[2] Sollerter ergo omnes, praesertim qui divitiis pollent, ab immoderato bonorum temporalium appetitu caveant, memores omnium officiorum caritatis et iustitiae in ordine tum individuali tum sociali.

49. [*De remuneratione laboris*]. – Quoad laboris remunerationem, iustitiae et aequitatis normae omnino sunt servandae. Hoc sane postulat ut opifici merces tanta saltem solvatur quantum ad vitam degendam homini dignam et ad familiae onera convenienter ferenda par sit. In aequa autem laboris constituenda remuneratione, haec etiam perpendantur: quantum singuli ad bona oeconomica gignenda conferant, quae sit condicio inceptus cui operam locant, quid poscat cuiusque civitatis utilitas, quid postremo exigat commune cunctarum gentium bonum.[3] Ratio etiam habeatur boni communis propriae civitatis et totius humanae familiae, necnon condicionum societatem bonis gignendis.

50. [*De libertate in proprio labore eligendo*]. – Libertas eligendi proprii laboris modum et locum, ratione habita iurium familiarum et boni communis, agnoscatur, vindicetur et ad effectum deducatur.

Rectores inceptorum, consociationes opificum, cum civili auctoritate cooperentur ut laboris opportunitas omnibus pro posse comparetur et servetur.[4]

51. [*De laboris dignitate et opificum promotione*]. – Humanae personae dignitas exposcit ut societas bonis gignendis veram induat humanae consortionis speciem. Hoc flagitat ut opifices numquam tamquam obiecta seu instrumenta, semper vero ut subiecta seu personae agnoscantur et tractentur; distinctione servata quam requirunt condiciones technicae et iuridicae, omnes plene communicent in mutuo obsequio et benevolentia; in sincera virium concordia conspirent; laborem, non tantum ut inde lucrum capiant, verum etiam ut munus sibi creditum, perficiant; ut opifices ipsi vocentur in partem vitae societatis cui operam navant.[5]

52. [*De privati dominii iure et muneribus*]. – Duplex dominii datur ratio, individualis nempe et socialis, prout singulos respicit vel ad bonum spectet commune; quod implicat a natura ipsa ius dominii privati hominibus esse tributum, cum ut sibi familiaeque singuli providere possint, tum ut bona quae Creator universae hominum familiae destinavit, huic fini vere inserviant.

Vitae oeconomicae ita temperare conentur omnes, ut facilior fiat et quam latissime pateat aditus ad privatim possidenda bona, imprimis haud statim peritura, quae veluti *spatium vitale* familiae constituunt, immo titulos participationis in proprietate mediorum productionis.

Foveatur etiam proprietas communis associationum et institutionum, quatenus ad sensum personalis responsabilitatis promovet.[6]

53. – [*De parvis et mediis negotiis*]. – Parvis et mediis negotiis, ratione habita boni communis, favendum est, eo quod eorum inceptores facilius secundum propriae conscientiae requisita ea regere possunt. Ad eorum oeconomicam independentiam tuendam inceptores ipsi inter se cooperentur: quem conatum, pariter ac diversas societatum cooperativarum formas, publicae potestates adiuvent, eo magis quod artifices ad cultioris humanitatis profectum conferunt, quia ipsa sua arte stimulantur ad officiorum conscientiam colendam, et ad nova efficienda opera, eleganti forma praestantia.[7]

54. [*De maioribus inceptis oeconomicis eorumque consociationibus*]. – Rectores inceptorum, eorumque associationes, quo ampliore gaudent potentatu, eo attentius iustitiae tuendae et boni communis leges servare tenentur; praesertim in distribuendo labore, in genere productionum eligendo, in rythmo productionis determinando, in amplificandis vel mutandis inceptis.

Ne tolerentur pactiones quibus pretia arbitrarie imponuntur contra iustitiam et commune bonum, lucra pro lubitu praestabiliuntur, legitima competitio iniuste impeditur.[8]

55. [*De munere auctoritatis civilis in re oeconomica*]. – In ordine oeconomico instaurando priores tribuendae sunt partes privatae industriae singulorum hominum, qui quidem vel soli agant, vel cum aliis multiplici ratione consocientur, ad communia bona sibi comparanda.

Hac tamen in re praesens accedat civilis potestatis opera necesse est, ut recte bonorum externorum incrementum provehatur, idque conducat ad socialis vitae progressum atque ideo ad omnium civium utilitatem.

At semper illud maneat, publicarum auctoritatum providentiam de re oeconomica, eiusmodi esse oportere, ut privatorum, singularium aut consociatorum, libertatem in agendo, non solum non coerceat, sed etiam augeat,[9] et fundamentalia convictus principia, solidarietatis quidem et subsidiarietatis, caute serventur.[10]

56. [*De providentia sociali*]. – Curent fideles ut providentiae socialis et securitatis instituta erigantur quae apta sint ad iura essentialia personae tuenda, ita ut uniuscuiusque vitalibus necessitatibus fiat satis; et ut unusquisque, quoad rem oeconomicam, valetudinem et culturam, illis condicionibus gaudere valeat quas, spectatis adiunctis, requirit ipsius dignitas.[11]

57. [*De politica sociali*]. – Favendum est politicae activitati quae ad socialem securitatem firmandam dirigitur, iuxta modum politicae auctoritatis proprium; quae scilicet ad hoc tendat ut liberius et facilius cives ipsi sibi providere valeant, ratione habita de singulorum, familiarum, intermediorum corporum inceptis. Obsecundent christifideles praesertim liberas consociationes et sociales institutiones, quae scholasticam eruditionem, professionalem efformationem, necnon valetudinis curam promoveant.[12]

NOTAE

[...]

Caput V

De ordine in societate

58. [*De mutua relatione inter instituta oeconomica, socialia et politica*]. – His ultimis decenniis, contra placita liberalismi tum oeconomici cum politici, activitates ordinis oeconomici ex una parte, ex altera parte sociales et politicae, mutuo intricantur et vicissim influunt; simul, movente inclinatione qua homines ad societatem inter se ineundam feruntur, initi sunt coetus, consociationes et instituta, praesertim ad res oeconomicas et sociales spectantia, immo ad animi cultum et relaxationem; inde fit ut consociationes illae, dum fortiores sunt, politicam auctoritatem occulte domare conentur vel e contra illi qui rempublicam regunt, quantum possunt satagant ad coetus intermedios distrahendos, corrumpendos aut sibi arripiendos, ut proprium potentatum confirmare valeant.[1]

59. [*De opificum collegiis*]. – Opificum speciatim collegia late increbuerunt et communiter agnoscuntur iuridice; operarios adducere possunt et debent, non iam ad dimicandum, sed potius ad sociam conferendam operam. Proprium eorum obiectum est iura et utilitates operariorum defendere, in iis quae ad remunerationem et conditionis laboris pertinent; quod praesertim fit pactionibus inter opificum et conductorum consociationes initis.[2] Laude digna sunt praeprimis illa collegia quae vel expressis verbis, vel saltem suo agendi modo, ad doctrinam socialem christianam se referunt. Laudantur quoque opifices illi qui, christianis praeceptis imbuti, operam eximiam navant in aliis collegiis, quae naturae legibus ducuntur, et Ecclesiae mandatis obtemperandi plenam revera libertatem faciunt.[3]

60. [*De relationibus collegiorum et consociationum inter se*]. – Inter diversa corpora et collegia mutua promoveatur existimatio.

Vis organizationis et solidarietatis lex, omni coetui et consociationi necessaria, nullo prorsus modo concipiantur tamquam medium contra alios dimicandi, salvo casu legitimae defensionis; talia vero sint ut propriae eorum operae vim habeant ad plenius et dignius cum aliis conspirandum. Nullus autem coetus alios sibi submittere callidis machinationibus audeat.[5]

Ad universae societatis vitam quod attinet, satagendum est ut ordines, collegia, corpora, coetus et consociationes suis normis et consiliis reipsa regantur, sancte tamen servato bono communi sive propriae civitatis sive totius humanae familiae.[6]

Publica potestas ius libere sese consociandi agnoscat, eiusque exercitium promoveat; corporum collaborationi faveat legibus vel decisionibus quae eorum autonomiam vereantur et operam advocent in determinandis et perficiendis publicis inceptis.

61. [*De principio subsidiaritatis*]. – In necessitudinibus moderandis inter societatis humanae membra fixum immotumque manere debet gravissimum principium subsidiaritatis: sicut quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem evocare iniuria est, simulque grave damnum et recti ordinis perturbatio; cum socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis debeat, numquam vero eadem destruere et absorbere. Quo verum, perfectius servato hoc «subsidiarii» officii principio, rectus inter diversas consociationes ordo viguerit, eo praestantior erit socialis et auctoritas et efficientia eoque felicior ac laetior reipublicae status.[8]

NOTAE

[1] *Quadr. Anno*, A.A.S. 23 (1931), p. 211. Cf. *Mater et Magistra*, A.A.S. 53 (1961), p. 415-416.

[2] Cf. *Rerum Novarum*, A.A.S. 23 (1890-91), pp. 666-667; *Singulari quadam*, A.A.S. 4 (1912), p. 658-659: *Quadragesimo Anno*, A.A.S. 23 (1931), p. 205; Pius XII, *Allocutio ad ACLI*, 11 mart. 1945, A.A.S. 37 (1945), p. 69.

[3] *Mater et Magistra*, A.A.S. 53 (1961), pp. 425-426.

[...]

Caput VI

DE SCIENTIIS ET ARTE

62. [*Christiani religionis virtute praeluceant*]. – Nostrae aetatis peculiare est ingens in scientiis ac technicis inventis profectus.

Scientificas investigationes colere bonum quidem est humanitatis eximium, cui christifideles ut operam navent Sancta Synodus exhortatur.[1]

Iamvero christiani, qui in inquisitione scientifica versantur, religionis virtute praeluceant qua, infinitam Maiestatem Omnipotentis Dei in Eius operibus agnoscentes, testimonium verbo et opere praebeant, ad doctorum simul et simplicium eruditionem.

63. [*Amor veritatis et caritas fraterna*]. – In ipsa sua actione scientifica testimonium Deo et Ecclesiae reddunt, ea mensura qua amor veritatis et caritas fraterna eos impellunt ad socios suos, catholicos vel non, communi labore iuvandos in peragendis inquisitionibus. Et hoc quidem modo suspicationes eorum refellent, qui laborem vere scientificum cum fidei professione componi non posse autumant.

64. [*Disciplinas positivas, imprimis sociales, promoveant*]. – Christifideles nostris diebus in scientiis colendis eas ne negligant quae de rebus naturalibus et empiricis agunt. In primis sociales disciplinas mutabilibus temporum requisitis adaequare ne

omittant, quippe quae, ut homines ad metas attingendas secundum naturam suam, intrinsece socialem, iuvare possint.

65. [*Inter disciplinas sacras et profanas mutua communicatio*]. – Qui profanis disciplinis incumbunt investigationis fructum cum iis qui sacras colunt scientias studeant communicare; illud speciali modo postulant munera nostris diebus ab Ecclesia praestanda; quae quidem communicatio utrique parti proderit.

66. [*De Arte*]. – Fideles autem, utpote efficax instrumentum ad mentes humanas in Deum erigendas, maximi faciant, totisque viribus iis obsistant qui ipsam in intellectualis ac moralis perversionis causam convertere satagunt.

Qui vero altissimo aestheticae creationis munere a Deo donati sunt, gratos hac de re sese Ei exhibentes thesaurum istum in Illius hominumque servitium offerre ne cunctentur, cum vera ars non modo intimi gaudii fons existat, sed etiam schola quae ad elatos sensus animum extruit.

Omnes denique nobilissimam hanc humanae activitatis speciem apprime existimet, artisque magistros plausu ac auxilio prosequantur.

Hoc maxime praestent eis qui artem sacram colunt, cuius proprium est in templis praetiosa subsidia liturgico cultui afferre ac indeficientem quasi sermonem christifidelibus praebere.

Prae oculis habeantur aetatum omnium omniumque gentium ius esse religiosos sensus iuxta proprium insitum afflatum exprimendi.

Reiciant tamen improbatas illas depravationes, a legitima iam ecclesiastica auctoritate damnatas, quae revera potius velut impiae profanationes domus Dei visae sunt ac reapse fuere.

In omnibus institutionibus ad culturam et ad educationem, praesertim vero ad formationem professionalem, pertinentibus, curandum est ut sensus aestheticus rite excolatur.

Notae

[...]

Caput VII

De ordine artium technicarum

67. [*Genuinus progressus technicus ad Deum ducit*]. – Genuinus progressus technicus, una cum humanae immo et culturalis vitae commodis, quae exinde gignuntur, ad Deum mentem inclinat, quoniam homo, quo magis arcana creationis penetrat, eo melius invisibilem ac omnipotentem Creatorem agnoscit, sapientem Providentiam reveretur, harmoniam in Eius opere concelebrat.[1] Idem progressus, dum hominum genus a servili labore gradatim eximit, faciliora gentium commercia reddit humanaeque familiae fraternitati favet.[2]

68. [*Pericula technicismi*]. – Curent fideles ut artium technicarum et morum cultus pari gradu procedat, ita ut in commodum non in detrimentum, sive temporale sive spirituale, vertatur. Mens enim mere technica, dum, Deo ignoto vel neglecto, hominem sibi plene sufficere contendit, eundem in mundo temporali recludit, paulatim in novam servitutem redigit, in materialismum practicum deiicit.[3]

Illi vero qui in humanae familiae bono scientiis et artibus promovendo, laudabiliter incumbunt, caveant ne humana persona ut merum instrumentum assumatur.[4]

69. [*Ad solvenda problemata etiam moralia vocatur technica*]. – Sancta Synodus omnes his in rebus peritos necnon idonea instituta invitat ad progressum technicum ita promovendum ac temperandum, ut, eo adiuvante, problemata permulta et ardua hodiernae societatis, praesertim moralia, rite solvi queant.

NOTAE

[...]

Caput VIII

De ordine reipublicae

70. [*Partem activam in rebus publicis sumant laici*]. – Ipsi scientifici ac technici profectus intra civiles societates mutuas hominum relationes frequentiores efficiunt ac progignunt quaestiones quas homines singulatim vel diversimode consociati minime solvere possunt. Hoc autem publicas auctoritates ad earum actionem magis ac magis augendam inducit unde civium libertas in discrimen adducitur et accretio responsabilitatis sensus in ipsis praepeditur.[1]

Christifideles ergo, unusquisque pro condicione sua, se ad active rebus publicis participandum obligatos sentiant[2] et satagant ut intra ordinis moralis fines exerceatur auctoritas, ad bonum commune recte intellectum promovendum: ad eas scilicet vitae socialis condiciones procurandas, quibus homines omnes, suam ipsorum perfectionem plenius ac facilius consequi valeant.

Hoc in primis flagitat ut omnibus publicis potestatibus sanctum sit naturalia personae iura agnoscere, promovere, tueri.

71. [*In decernendis negotiis publicis partem habeant*]. – Iura civium in efformanda opinione publica et in negotiis publicis decernendis, praesertim in omnibus electionibus, continuo vindicent ac reapse exerceant, sicut requirit ordo reipublicae; omnibus enixe commendantur in his rebus honestas, sensus iustitiae, pietas in patriam et ad haec cooperentur cum quibusque civibus bonae voluntatis.[3]

72. [*De habitudine civium ad publicam auctoritatem*]. – Christiani virtutis obedientiae et reverentiae erga auctoritatem publicam legitimam exemplum praebeant.[4]

Caveant ne, sive singuli sive consociati, nimia a republica inopportune postulantes, exinde civium, familiarum necnon coetuum socialium propriam responsabilitatem minuant; ultro vero reipublicae materialia et personalia servitia afferant quibus ad fines suos perficiendos indiget.

Ubi autem, excedente auctoritate civili suam peritiam, premuntur cives, quae a bono communi obiective postulantur ne recusent; ius vero eis sit omnia media moraliter licita adhibere, ad sua conciviumque suorum iura defendenda, servatis illis limitibus quos lex naturalis et evangelica delineant.[5]

73. [*Vigilanti et prudenti cura patriam diligant*]. – Laudanda quidem est erga suam gentem et patriam pietas. Strenue tamen christifideles obsistant particularismo et

pernicioso nationalismo quo cives propriae nationis limites et defectus dissimulant, dum aliarum bona et virtutes non vident.[6]

Iura et ingenuam indolem tum ethnicorum coetuum tum variarum stirpium tueantur, omni discrimine firmiter reiecto.

74. [*Ecclesiae libertas tuenda*]. – Speciali cura christifideles enitantur ut omnes reipublicae ordines et instituta plenam Ecclesiae libertatem agnoscant in eius exercenda missione.[7]

NOTAE

[...]

Caput IX

De universali populorum ordine instituendo

75. [*Condendae institutiones internationales et supernationales*]. – Ob profundas mutationes in populorum convictu, quae ex evolutione historiae et progressu technico et scientifico sequuntur, relationes inter humanas communitates in dies frequentiores et implicatiores fiunt. Inde sequitur nova oriri problemata, oeconomica, socialia, politica, culturalia, universale bonum et ipsam mundi pacem spectantia, quae solummodo instituta internationalia, immo et supernationalia, auctoritate et congruis subsidiis cumulata, aggredi et solvere possunt.[1]

76. [*Catholici cooperentur*]. – Sacrosancta Synodus catholicos monet ipsorum officium esse cum omnibus hominibus bonae voluntatis diligenti studio cooperari ad huiusmodi instituta condenda et perficienda, ita quidem ut non ab uno vel alio imponantur, sed ab ipsis gentibus adlaborantibus instituantur.

Enitendum est ut harum institutionum navitas ita ordinetur ut iura propria singularum personarum, familiarum, necnon socialium et ethnicorum coetuum minime laedantur sed defendantur, et tales statuantur condiciones quibus huiusmodi iurium exercitium securius, ac plenius efficiatur.[2]

77. [*Particularismus nationalis superandus*]. – Fideles, illi praesertim qui in maiore publica responsabilitate constituti sunt, operam dent ut respublicae diversae earumque moderatores, supremae potestatis limitationes agnoscant quae requiruntur ad collaborationem et associationem inter nationes, quaeque possibilem reddunt coordinatam et efficacem omnium vel plurium nationum societatem.[3]

Illi autem qui in opinionem publicam maiorem influxum exercent, studeant ut efformetur conscientia communis quae ad hunc finem requiritur.

78. [*Cooperatio inter nationes progressas et progredientes*]. – Iustitia et caritas postulant ut nationes, edulibus bonis ac frugibus magis redundantes, prompto subsidio populis inopia et fame laborantibus succurrant.[4]

Iustitia et caritas pariter postulant ut opulentiores illae nationes ita inter se et cum egentibus nationibus cooperentur, ut istarum cives scientificam peritiam, professionales aptitudines ac capacitatem acquirere possint; ut nationes egentes debitam adsistentiam technicam revera obtineant; ut denique congrua instrumenta accipiant quibus et ipsae quam primum propriis viribus suam progressionem oeconomicam et socialem prosequi valeant.

79. [*In dies augeantur adsistentia et cooperatio*]. – Exoptat Sacrosancta Synodus ut haec multiformis culturalis, scientifica, technica, oeconomica adsistentia et cooperatio, quae iam hodie laudabiliter praebetur, in dies augeatur, posthabito cuiuscumque generis dominandi consilio.[5]

80. [*Peculiaris catholicorum obligatio*]. – Catholici, qui ad Communitates in rebus scientificis et oeconomicis progressas pertinent, ad illud altissimi humani ingenii opus totis viribus conferant, intra et extra adsistentiam publicam, praesertim propter coniunctionem cum omnibus hominibus ex caritate Christi fluentem.[6]

81. [*Quae sint agenda a christianis in nationibus progredientibus*]. – Christianos omnes qui membra sunt Communitatum quarum oeconomicus progressus est in cursu, Sacrum Concilium invitat ut ipsi cum ceteris hominibus firmo proposito satagant ut divitiae quae paulatim ex propria industria nationis augentur et opes quae collaborantibus caeteris nationibus praesto fiunt, iuxta normas iustitiae et aequitatis inter omnium classium et regionum cives distribuantur; ut oeconomica progressio in omnibus provinciis congruenter existat, in industria scilicet, in agricultura et in servitiis communibus; ut progressus oeconomicus, socialis et culturalis cum vividiore spiritualium bonorum cultu, pari gressu procedat.[7]

Meminerint omnes officium evolvendae uniuscuiusque communitatis in quocumque campo, membris ipsius communitatis in primis incumbere.

82. [*De solvenda quaestione demographica*]. – Omnes christifideles qui in rebus politicis, culturalibus, oeconomicis, technicis et socialibus periti sunt Patres Concilii appellant ut impigre diligenterque curent eas quaestiones solvi quae ex difficultatibus scatent aequandi populationis numero possibilitates communicandi in bonis quae terra et ingenium humanum omnibus praestare valent. Huius enim quaestionis solutio vere humana secundum principia doctrinae Ecclesiae dari potest et debet, in sua autem concretione etiam catholicorum laicorum virtutem inventionis necnon eorum strenuam collaborationem postulat.[8]

83. [*De pace*]. – Ad veram pacem in mundo confirmandam, christifideles ea mutua commercia ineant quae requiruntur ad bellum praeveniendum, ad nostrae aetatis tam lethalia instrumenta efficaciter in omnibus nationibus interdicenda, ad sinceram, mutuam, progredientem, vigilanti cura custoditam exarmationem obtinendam,[9] ad crimina contra humanitatem et nationum societatem rite reprimenda.

Resistant catholici illi nationalismo et superbiae collectivae ex quibus praecipue tensiones periculosae et perniciosae emanant. Satagant ut quaestiones quae inter gentes exsurgunt, iuridicis institutis solvantur. Meminerint, quod pax quae opus est iustitiae[10] et caritatis, in morali summopere progressu constat. Ad hoc ergo pro viribus omnia communicationis, commercii ac mutui adiutorii subsidia adhibeant.

84. [*De pace quae Christus est*]. – Ceterum ipsi, ut pacis sequestres, cum omnibus «hominibus bonae voluntatis»[11] impense ac incessanter operam dent, ut «in terra pax» quae vera pax est, quam Christus, «Princeps pacis», attulit mundo, pax nempe non tantum armorum sed et cordium, inter eos qui filii unius Patris sunt, et eodem pretiosissimo Sanguine redemtpi, regnet in aevum.

NOTAE

[...]

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS CONSTITUTIONIS

DE APOSTOLATU LAICORUM

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

— 3 —

DE EMENDATIONE SCHEMATIS CONSTITUTIONIS
DE APOSTOLATU LAICORUM

Schema huius Constitutionis quattuor partibus constat: 1) Prooemium et notiones generales; 2) De apostolatu laicorum in actione ad regnum Christi directe provehendum; 3) De apostolatu laicorum in actione caritativa; 4) De apostolatu laicorum in actione sociali.

Pont. Commissio Centralis schema examinavit diebus 18 et 19 iunii 1962.

Nunc schema emendandum est a nostra Subcommissione, prae oculis habitis observationibus Patrum Commissionis Centralis et responsis eis datis a Commissione de Apostolatu laicorum.

Observationes generales et responsa eis data

Observatio n. 1

In decursu communicationum quae ante suffragium prolatae sunt, plures Eminentissimi Cardinales desiderium manifestarunt ut textus Constitutionis « De Apostolatu laicorum » ad breviorem formam redigeretur: sic Em.mi Cardinales: Ruffini, Léger, Siri, Richaud, Döpfner.

Resp.: Ad hanc observationem generalem sic respondendum censet Commissio de Apostolatu laicorum:

1. Commissio nostra nonnisi unicum documentum praesentavit, dum, e contra, caeterae Commissiones plures Constitutiones seu Decreta exhibuerunt, quorum summa quandoque magni momenti volumen constituit. Melius nobis visum est unico fasciculo simul omnia complecti apostolatum laicorum respicientia: quod necessario longiores quasdam investigationes expostulabat.

2. Notandum est, caeterum, prima vice in vita Ecclesiae, has quaestiones conciliariter tractari: problemata enim quae considerantur nonnisi post Concilium Vaticanum I poni coepta sunt, quando iam quaestio socialis plene exorta erat et necessitas apostolatus laicorum urgentior facta est sive ob complexitatem modernae structurae socialis sive ob carentiam cleri.

— 4 —

Ideo Em.mus Card. Liénart hoc modo sese exprimit: « Expto quod schemata, quamvis sint extensione ampliora, non minuantur; quia de apostolatu laicorum numquam quaestio fuit in Conciliis anteactis tractata et ideo maximi momenti est quod materia ista in Concilio Vaticano II in extenso tractetur ». Sequenti autem die omnes propositas emendationes prae oculis habens addidit: « Certo de observationibus a Patribus factis ratio accurata habenda est; attamen mihi videtur quod damnosum esset si tam laudabiliter a Commissione de Laicis elaboratum et tam ab ipsis laicis pro Ecclesia militantibus exoptatum, propter eas dirueretur ».

3. Quidam Em.mi Cardinales et Episcopi qui contractionem exoptarunt, etiam addiderunt: « Concilio Oecumenico reservetur breve prooemium, praecipuae normae et exhortatio » (Em.mus Coussa).

Impossibile apparet hoc ad actum perducere. Etenim si generalis ratio Constitutionis nostrae schematis diligenter examinetur, eius indoles pastoralis et exhortativa profecto elucet: hoc autem genus expositionis difficile ad breviorem formam reduci potest.

Em.mus Card. Ritter proposuit ut magna pars textus nostri transferatur in Constitutionem « De Ecclesia » a Commissione Theologica apparatam.

Sed postquam haec Commissio munus proprium, ordinis doctrinalis, absolvit, remanebat integer campus pastoralis qui ad nos pertinebat et specificam suam rationem essendi habet.

Exc.mus O'Connor asserit: « Multa enim omitti possunt quae iam in aliis schematibus exstant, sicut de loco laicorum in Ecclesia, de officiis sacerdotum, de Missionibus, de communismo ».

Quoad duo ultima puncta consentimus; sed textus noster nullum sensum haberet, si locum laicorum in Ecclesia et munus sacerdotum qui apostolatui laicorum operam dant non considerentur.

Em.mus Card. Döpfner tres pagellas nobis transmisit ea indicando quae auferri possent (cfr. folia pp. 18 ss.).

Quaedam puncta quae ipse Em.mus proponit coincidunt cum iis quae nos ipsi auferenda iudicavimus. Si tamen sententia sua, quae, caeterum, non multo breviorem nostrum textum efficeret, applicaretur, documenta nostra totaliter immutarentur: etenim, loca supprimenda, praesertim in IV Parte, nexum constituunt inter nostrum textum et concretas conditiones in quibus laici vivunt.

— 5 —

4. Em.mus Card. Cicognani expressit desiderium ut « aliquantisper brevior sit rei expositio ».

Idipsum perfecimus afferentes modificationes quae sequuntur:

a) Declarationes quae praeponuntur Parti I et IV in notam ad calcem paginae amandentur: necessariae enim solummodo sunt ut Patres Conciliares sensum laborum nostrorum intelligere valeant; sed partem integrantem textus minime constituunt et ideo postquam Patres eas noscere potuerint, expungi debebunt.

b) In Parte I, in notam amandamus longiorem partem duorum praeambulorum Cap. VII et Cap. X.

c) Tria capita Partis II utiliter transferri poterunt in alia documenta conciliaria: Caput de actione laicorum in ordine ad oecumenismum a Secretariatu de Unitate videtur inserendum esse. Scimus praeterea Caput de apostolatu in saeptis marxismo imbutis uniri debere studiis de eodem subiecto peractis in Commissione de Episcopis et in Commissione de Disciplina Cleri et populi christiani. Denique caput de Missionibus inseri poterit in documenta Commissionis de Missionibus. Certiores tamen fieri vellemus de usu horum textuum: etenim peculiariter studiis nostris subiecta fuerunt; et praeterea necessarium est ut laici quaedam de his quaestionibus a Concilio audiant.

d) Pluribus Membris expetentibus, censemus in nostrum textum ea inserenda esse quae in Appendice Partis II inveniuntur, de Cultura, et forsan de publica moralitate.

Observatio n. 2

Exc.mus Lefebvre dicit circa I Partem: Expositio principiorum et notionum generalium mihi videtur insufficiens et incompleta. Ordo expositionis est aliquo modo empiricus et ideo conclusiones non sunt clarae sed sat ambiguae. (Et hanc observationem amplius evolvit).

Resp.: Observatio haec sensum, pro schemate nostro, habere non videtur. Finis Commissionis nostrae non erat tractatio doctrinalis; nullo modo debebat diu in principiis immorari quae a Commissione theologica pertractata sunt.

De fundamentis vero doctrinalibus ad rem nostram necessariis, ab ipsa Sacra Scriptura necnon a traditionali Magisterio Ecclesiae hauriuntur.

Observatio n. 3

Em.mus Card. Silva Henriquez: Conceptus laici christiani non videtur adhuc satis positivis elementis fulciri.

— 6 —

Resp.: Textus hic est quasi summa diligentium ac multiplicium investigationum, in sinu Commissionis peractarum, et inspirationem sumpserunt a definitionibus laicorum in pluribus manualibus, et etiam in Statutis Synodalibus maxime vero Synodi Romanae. Nullus tamen ex his textibus definitionem magis positivam habet. Caeterum nulla concreta propositio ad meliorem formam textum redigendi facta est. Unde ipsum non esse immutandum censuimus.

Observatio n. 4

Em.mus Card. Richaud dolet quod expressionem « *consecratio mundi* » minime adhibuerimus.

Resp.: Huiusmodi expressione uti noluimus quia nondum in Magisterii ecclesiastici usu venit et quia eiusdem sensum doctrinalem nondum satis clarum est.

Haec verba magnam fortunam habuere, sed tamen notandum est Pium XII nonnisi semel iis usum esse, et quidem cum discretionem: « *Consecratio mundi* », ut ipse declaravit in II Conventu Internationali de apostolatu laicorum (die 5 octobris 1957), est, quoad essentiam, opus ipsorum laicorum, hominum scilicet qui, in media vita oeconomica et sociali viventes, gubernio ac consessibus legislativis participant ». Studia quaedam post annum 1957 facta ad determinandum contentum et sensum doctrinalem et theologicum huius expressionis « *Consecratio mundi* » minime pervenerunt. Timuimus ergo ne huius expressionis usus obscuritatem potius quam claritatem afferre posset (cfr. notam Cardinalis Döpfner, quoad partem IV: « Non est opportunum distinguere inter " *apostolatum evangelizationis* " et " *apostolatum testimonii* ", vel inter " *apostolatum evangelizationis atque testimonii* " et " *apostolatum consecrationis mundi* ", hi termini in exegesi biblica etiam cum diversis significationibus adhibentur neque semper adaequate distinguuntur »).

Observatio n. 5

Em.mus Card. Siri: N. 10, p. 20, sermo fit de variis gradibus subordinationis respectu ad Hierarchiam sed postea de hac subordinatione iam non fit verbum sed solum de « relationibus ». Quod est inconveniens, nam adsunt adsociationes catholicae quae quasi mere ad adspectum doctrinalem subordinationem reducunt. Dependentia debet clarius exprimi quia etsi verum sit simplicem fidelem titulum ad apostolatum habere ex ipso Baptismate et Confirmatione, haec insertio in Corpus Christi mysticum nonnisi in Ecclesia et per Ecclesiam fit. Secus periculum

— 7 —

adest reductionis auctoritatis quae pastoribus Ecclesiae iure divino data est. Haec autem dependentia maxime de Actione Catholica valet.

Resp.: Observatio Em.mi Cardinalis maximam attentionem meretur. In suis primitivis redactionibus textus desideriis Em.mi apprime respondebat, clare enim et explicite, praecise sermo fiebat iuxta diversas relationes de « subordinatione » laicorum Hierarchiae. Plures tamen Episcopi Commissionis membra, maxime ex nationibus anglicae loquaelae provenientes, vehementer institerunt ut haec invitamenta ad subordinationem discretius exprimerentur. « Si continuo, cum sermo est de actione apostolica laicorum, semper de subordinatione et oboedientia verba fiunt, aegre id ferent homines, et, dimissis organizationibus apostolatus ad alias activitates beneficas operam dabunt, ubi maiorem optionem habebunt propriae personalitatis perficiendae. De hac enim agendi ratione saepe nos testes sumus ».

Hisce igitur observationibus prae oculis habitis, redactionem huius capitis, rebus ipsis substantialiter immutatis manentibus, denuo refecimus. De facto bene notandum est expressionem « relationes cum Hierarchia » significare relationes subordinationis; verba tamen quibus usi sumus varios relationis gradus exprimunt de quibus agitur. Clarum est, v. gr. quod prout Episcopus organizationem erigit vel commendat, ipso facto subordinatio quaedam statuitur, quae tamen non in omnibus casibus eadem est.

Legatur iterum nunc idem cap.

N. 11, lin. 17 quoad missionem canonicam: « plene subduntur ».

N. 12, lin. 24-29, quoad mandatum: « eum iuxta diversa adiuncta diversimode ordinat ».

N. 13, par. 32: erectio et commendatio quaedam vincula dependentiae fundant.

N. 21, lin. 4-7: « Nulla autem adsociatio vel motus aut inceptum ut catholicum sese exhibeat, nisi implicite vel explicite consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae ».

P. 21, lin. 11-12: « .. .salvo tamen iure Hierarchiae invigilandi ad abusus praecavendos vel forte exsortos corrigendos ».

Tandem lin. 22: « reverenti dilectione et docilitate ».

Propter has duas rationes, scil.: propter Episcoporum mentem et etiam quia textus noster conveniens videtur, essentiales emendationes ad hoc caput non afferimus.

— 8 —

Observatio n. 6

Dixit Em.mus Card. Richaud: Saepius quam oportet adhibetur verbum « *Hierarchia* »; melius esset ut simpliciter « *Episcopi* » diceretur.

Resp.: Passim verbum hoc suppleri quidem posset. Si tamen textus nostri diversa adhibent verba (Episcopi, Ordinarii, Hierarchia) hoc ideo factum est quia, ut apparet ex ipso Codice Iuris Canonici, ea verba non eundem sensum habent. In quibusdam casibus, verbum « *Episcopi* » non recte adhiberetur v. g. quando agitur de Ordinariis loci i. e. de Episcopis, de Praefectis Apostolicis et Abbatibus Nullius, vel quando agitur de integra quaedam regione vel narratione, melius adhibetur verbum « *Hierarchia* ».

Observatio n. 7

Quidam dolent quod Tria capita quae familiam respiciunt (Pars I, II et IV) non simul ad modum unius collecta sint.

Resp.: In decursu studiorum Commissionis tentamen haec capita uniendi factum quidem est; nova redactio proposita est et iudicio Commissionis subiecta. Desistere tamen debuimus et unumquodque caput ad suum cuiusque locum amandare, quia incommoda inde exorientia plura quam commoda erant. V. g. in Parte IV, Tit. II, cap. II de educatione in suspenso remanebat, nisi Caput de familia praecessisset.

Observatio n. 8

« Dubito de necessitate vel utilitate novae Congregationis cui committenda sit cura Apostolatus laicorum, videtur enim quaestiones de apostolatu laicorum posse dirigi a conferentiis Episcoporum vel in campo dioecesano... ». « Ad N. 31, Partis III: si agitur de studiis aptisque mediis necessitatibus praeveniendo et consultatione inter organizationes nationales optime quidem. Sed si agitur de magno officio, quod magnas exigit expensas, de centro dico quod dirigeret conatus nationales, ordines dando, essem contrarius, et, meo iudicio, excluderem N. 31, quia videtur continere semen magnae burocratiae » (Card. Godfrey cui adhaerent Card. McIntyre, Montini, König, Giobbe et Bea, et Exc.mi Alter, Verwimp et R. P. Janssens).

Resp.: Notandum in primis est, Commissionem verba ideo fecisse de constitutione, si casus ferat, cuiusdam Organi pro apostolatu laicorum, quia plures Episcopi id expresse postulaverunt; in votis S. Sedi missis occasione praeparandi Concilii: cfr. *Acta et documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando*, Series I, vol. II, Pars I, p. 281 sq., N. 9 et 22; Commissio nostra fideliter voluit hic vocibus aurem praebere, vigilanti tamen discretione duobus in locis (Pars I, N. 54 et Pars III, N. 31).

— 9 —

Cum hi duo numeri difficultates moverint, profundiores explicationes tradendas esse putamus, ut obiectionibus satis fiat.

1. In primis igitur signandum est succrescens in dies momentum quod apostolatus laicorum in ordine internationali habet. In hoc ordine quaestiones Sanctae Sedi competunt et in sinu Curiae tractari debent. Hucusque hoc munus Secretaria Status exercuit.

2. Ad apostolatum in ordine nationali et dioecesano quod attinet, omnes concordant coordinationem quamdam necessariam esse. Et possibilis quidem est, quin cuiusque Episcopi libertas quomodolibet coarctetur. De modo vero quo ad effectum perduci debeat, diversis in nationibus diversae exstant experientiae, generis plane sat dissimiles: quod certe magnam facultatem optionis relinquit...

Quod caeterum coordinatio quaedam, vel saltem indicti contactus, inter activitatem apostolicam diversarum nationum, in beneficium redundet universi apostolatus laicorum non est dubitandum. Quaeri siquidem potest, utrum defectus contactus, communis inquisitionis, ad hoc non adduxerint ut in Actione Catholica differentiae et divergentiae normales quidem, adeo auctae sint ut problemata suscitaverint quae omnes norunt? Hoc est certissimum « Officium Studiorum » Romae situm, ex membris multiformi experientia praeditis, haec incommoda absque dubio vitasset.

3. Unus ex Eminentissimis Cardinalibus asseruit: « Adest Comitatus Pro Conventibus Internationalibus de Apostolatu Laicorum (COPECIAL); et hoc sufficit ».

Respondendum est: COPECIAL institutum fuisse ad diversos scopos, quin directe competentiam et auctoritatem aliquam apud Episcopos habeat. Ad summum dici potest « Commissionem Ecclesiasticam » ipsius COPECIAL cui Em.mus Card. Pizzardo praesidet, et Exc.mus Castelli tamquam vice-praesidem habet, posset fortasse germen cuiusdam « Servitii » fieri.

4. Quidquid sit, vere necessarium esse videtur ut organum quoddam seu Officium (quaestio de nomine minoris momenti est) vere competens in posterum exstet. Quo melius autem munus suum recte implere possit optandum esset, ut iuxta propositionem Em.mi Döpfner (in emendatione quam exhibuit ad N. 54

— 10 —

Partis I) ipsi Officio coetus expertorum laicorum ex diversis nationibus participent.

Observatio n. 9

Exc.mus O'Connor circa Partes III et IV: *De Apostolatu laicorum,* Pars III et IV.

Placet iuxta modum: In parte tertia magis mihi sermo esse videtur de actione caritativa totius Ecclesiae quam de specifico munere Laicorum in hac actione prosequendo.

Idem dicendum quoad partem quartam ubi ampla expositio doctrinalis invenitur de universis rebus socialibus.

Forsitan melius esset utramque partem ad sola praecepta reducere quae apostolatus Laicorum propria sunt, praesertim si de rebus socialibus doctrina proprium schema in Concilio obtinebit.

Secus necessarium erit ut pars tertia necnon quarta, sub alio, ampliore titulo, praesentetur.

Tandem, in parte tertia, pagina decima secunda, cautius redigendus est numerus decimus nonus de « communione in activitate caritativa cum non catholicis ».

Resp.: 1. In Declaratione quae I Schemati praeponitur, signanter diximus difficile distingui posse inter id quod Hierarchiae et id quod laicorum proprium est. Hoc ex ipsa natura rerum dependet. Attamen iuxta munus Commissioni nostrae commissum, curam habuimus colligendi studia nostra circa ea quae plus minusve directe laicos respiciunt. Iterum schemata nostra legentes cura haec clare nobis apparere visa est:

— Quoad Partem III, praeambulum sat accurate indicat in P. 5, lin. 11, generalem rationem schematis nostri. Postea, inde a Cap. I ad II quae de facto officium caritatis revocant universae Ecclesiae proprium (sed hoc a quodam Concilio affirmandum erat), a Cap. IV et sequentibus semper de laicis et ad laicos sermo fit: N. 16, lin. 26; N. 26 et 27 (non excepta novissima ampliore redactione); N. 32; N. 33; N. 35, pag. 18, lin. 11.

— Quoad Partem IV, tota simul directe ad laicos dirigitur: hi enim continuo citantur eisque exhortationes diriguntur.

2. De propositione vero quod solum « praecepta » quae directe laicos respiciunt, recolantur, notandum est nullam practicam sequelam habere posse. Nam Constitutionis nostrae non est « praecepta » tradere (quaedam utique sed paucissima continet), at potius adhortandi laicos ad apostolatum.

— 11 —

Observatio n. 10

Em.mus Card. Richaud: *In secundo schemate,* quia dolorose me afficit quod istud schema fere nihil dicit, nisi tantummodo per insinuationes, de rebus maximi momenti quarum Summi Pontifices instanter doctrinam praebuerunt: scilicet, de associationibus professionalibus (Syndicats), de organizatione professionali, de relationibus inter dirigentes ac dominos ex una parte et opifices vel omnes ministros subordinatos ex alia parte, de contractibus inter eos instituendis, de legitimitate vel de limitibus cessationis ab opere.

Istud schema videtur, ni fallor, quodammodo regressivum relate ad Encyclicam *Mater et Magistra.*

Quidam Patres censuerunt IV partem nimis empiricam esse.

Resp.: Secretariatus Commissionis Centralis clare nos monuit diversa subiecta ab Em.mo Richaud evocata ad competentiam Commissionis theologicae pertinere. Haec est ratio cur tali methodo quartam partem redegimus. Conscii quidem sumus de limitibus at simul de utilitate eius.

Ad limites quod attinet hoc addimus: Cardinales quidam adhaeserunt propositioni Card. Ruffini qui exoptat ut Documentum nostrum post Concilium tamquam *Codex Socialis Ecclesiae* publici iuris fiat. Non putamus schema nostrum hanc gloriosam sortem mereri: si hoc fieret necessarium erit ut nostra simul cum iis quae Commissio Theologica paravit uniantur.

Quoad ultimam observationem Card. Richaud (scilicet ea quae in schemate nostro continentur minus completa ac determinata esse quam ea quae in Litt. Encycl. *Mater et Magistra* inveniuntur) hoc valde notandum est: magnum interesse discrimen sive in rebus tractandis, sive in methodo adhibenda, sive in modo loquendi, inter Litt. Encyclicas et Documentum Conciliare. Hoc ultimum loquitur diuturna intendens etiam futura tempora (excipimus definitiones dogmaticas, quae in alio ordine inveniuntur) dum, e contra, Litt. Encyclicae magis tempus praesens prae oculis habent, et igitur pressius quasdam quaestiones tangere possunt. Vehementer tamen affirmamus (ad hoc affirmandum rationes habemus quae « personas » ipsas respiciunt), eundem esse animum Schemati nostro et Encycl. *Mater et Magistra* substerni.

— 12 —

Observatio n. 11 Em.mi D.ni Card. Suenens circa *Actionem Catholicam.*

a) Maxima deceptio ex hoc provenit quod quaestiones de terminologia et structura Actionis Catholicae solvi non potuerunt.

b) Impossibile est ad coordinationem apostolicam operum procedere, quae nomine « pastorale d'ensemble » insignitur, si terminologia non clarificatur, scil. si remanet ambiguitas in usu vocabuli « A. C. ».

c) Essentialis observatio haec est: cum sermo est de Actione Caritativa, haec omnes formas activitatis caritativae complectitur; e contra quando sermo est de Actione Catholica uni tantum ex formis actionis apostolicae reservatur: Summi Pontifices loquebantur de Actione Catholica sensu generico et applicatur Actioni Catholicae sensu specifico. Inde incommodum cui remedium afferri debet, restituendo expressioni « A. C. » sensum suum genericum. Sic huiusmodi expressio totalitati organizationum, quae classicae definitioni Actionis Catholicae respondent, applicatur, cum tamen unaquaeque nomen suum servare possit.

d) Oportet ut saltem omnes organizationes internationales apostolatus Actionis Catholicae nomine decorarentur, ad differentias inter nationem et nationem vitandas.

Etiam Exc.mus D.nus Hurley eamdem difficultatem movit. Et inde concludit quod si observationes Em.mi D.ni Card. Suenens accipi non possunt melius esset Cap. II et III Tit. I e nostro schemate expungere.

Resp.: Responsio nostra ad has observationes longior erit tum quia quaestio agitata profundam resonantiam in Commissione Centrali habuit, tum quia de salebroso problemate agitur.

Statim ad puncta *a*), *b*) et *d*) respondebimus, ut maiorem considerationem puncto *c*) dicare possimus.

Ad *a*) Praecise quia Actio Catholica longam iam habet historiam in pluribus nationibus, et insuper, Commissionis nostrae studia maximam diversitatem localium condicionum magis in lucem posuerunt, admodum difficile erat nimis absolutas decisiones sumere. Em.mus D.nus Card. Marella die 18 iunii notaverat: « Adsunt certe difficulates mutandi formas iam ab annis inductas Actionis Catholicae, quae de caetero, notandum est, valde differunt in diversis Nationibus ».

Minime tamen verum est Commissionem nostram ad nullam pervenisse acclarationem: Cap. de Actione Catholica, determinationes certe affert. Infra in responsione ad punctum *c*) melius hanc rem explicabimus.

— 13 —

Ad *b*) Affirmatio haec miranda est, nam apostolatus coordinatio in diversis nationibus indesinenter obtinetur, uti abunde probat documentatio quae continuo ad Secretariatum officii COPECIAL pervenit. In Italia optime nota est experientia cui nomen « Consulta » datum est. Propositio Em.mi Card. Suenens (de qua in puncto « *c* » loquemur) dum quaestiones de Actione Catholica tangit, coordinationem in caeteris saeptis, v. g. Actionis Socialis, negligere videtur.

Ad *d*) Difficile est intelligere observationem quae Organizationes Internationales Catholicas respicit. Institutio cui « Conferentiae O.I.C. » nomen est, magnam complectitur organizationum diversitatem, quae diversis omnino nominibus appellantur; nulla tamen ex iis nomen Actionis Catholicae habet. Caeterum quaestio ab Em.mo Card. Suenens posita, in Conferentia O.I.C. minime agitata est. Quoad organizationes apostolatus internationalis quae de facto late in orbe diffusae sunt, nulla ex iis — ni fallimur — Actionis Catholicae nomine praedita est: « Foederatio Intern. Iuventutis Catholicae »; « Foederatio Internat. Puellarum Catholicarum »; « Iuventus Operaria Christiana Internationalis »; « Pax Romana », etc.

Ad *c*) Quidquid sit hucusque dictis, quaestionem fundamentalem quae in puncto « *c*) » indicatur, speciali cura respondendum est, et longius quidem, diligenter examinando suggestionem Em.mi Card. Suenens circa incommoda Actionis Catholicae cui remedium afferri debet.

Observatio praeliminaris

Interventus Em.mi Card. Suenens duo elementa continet:

— necessitas alicuius clarificationis circa usum terminologiae Actionis Catholicae; et dein

— propositio huius problematis resolvendi ab ipso allata.

Cum aliud post aliud ex propositis « Votis » Membrorum Commissionis Centralis attente consideratur, facile apparet numerum omnino exiguum ex ipsis (nempe Card. Valeri et Bea, Exc.mi Alter, Hurley, Perrin) explicite petere ut adoptetur solutio ab Em.mo Card. Suenens proposita. Longe maior pars Membrorum Commissionis sat indefinito modo loquuntur: aut declarant, quin melius determinent, « ad mentem Em.mi Card. Suenens » (sic v. g. Em.mi Card. Tisserant, Ferretto, McIntyre, König, Ritter, Silva Henriquez, Albareda, Patriarcha Gori,

— 14 —

Exc.mi Beras, Lefebvre, Graner, Šeper, Bazin, Ngô-dinh-Thûc, Suhr et Rev.mus P. Janssens); aut, dum sese referunt ad Em.mum Card. Suenens, optant ut « determinetur » conceptus Actionis Catholicae, ut « melius praecisetur terminologia quoad Actionem Catholicam » etc. (sic, v. g. Em.mi Card. Cicognani, Ruffini, Quiroga, Montini, Giobbe, Marella, Traglia, Browne, Exc.mi O'Connor, Bernard, Verwimp et Jelmini).

Animorum attentio quam verba Em.mi Card. Suenens excitaverunt procul dubio momentum quaestionis aperte manifestat. Explicabimus tamen cur solutio ab Em.mo Card. Suenens proposita non videtur admitti posse propter graves difficultates, quae inde orientur.

Propositio Exc.mi D.ni Hurley resolvetur in abnuenda solutione mediante expunctione cap. II et III Tit. I, si forte solutio Em.mi Card. Suenens accipi nequeat.

Ad nos quod attinet, leviter emendatum putamus servandum esse textum a Commissione propositum, melius insuper explicantes et determinantes rationes sententiae nostrae. (Adnotare liceat textum nostrum fructum diuturnae discussionis esse et mediam quamdam esse viam inter diversas opiniones: quod quidem alicuius momenti est).

A) *Rationes quare propositiones Em.mi Card. Suenens accipere non possumus*:

1. Votum in Commissione Centrali datum, prout vidimus, non nimis clarum est: certum apparet plures ex iis qui Em.mo Card. Suenens adhaeserunt, videntur id fecisse quia non probe terminos quaestionis noverant (quod evidens fit cum plures sequenti die 19 iunii proprium votum emendaverunt). Et prout fit evidens ex ipsa suffragiorum ratione, analysi obiter nuper subiecta, longe maior pars Membrorum « acclarationem » desiderat. Quod putamus mediante solutione nostra fieri posse quin incommoda sequantur quae solutio Em.mi Suenens afferre nata est.

Ea quae obiter inspecta apparet ut mera quaedam terminologiae « acclaratio » (hoc est reapse quod omnium consensum movet), ducit de facto ad structuras ipsas apostolatus laicorum evertendas, prout in diversis nationibus exsistit. Praecise ad hoc vitandum, post allocutionem a Pio XII habitam, die 5 octobris 1957 ad Congressum Internationalem Laicorum (Summus Pontifex sese referens ad suggestionem in eodem sensu: Exc.mus Suenens numquam negavit hanc a seipso provenisse) sequenti die, Secretaria Status notum fecit nihil esse inde immutandum.

— 15 —

2. Em.mus Card. Suenens asserit Cap. II non tradere definitionem Actionis Catholicae clariorem, fundamentaliorem, quam ea quae a SS. PP. Pio XI et Pio XII data est, nempe: « Collaboratio laicorum ad apostolatum hierarchicum ». Attamen quattuor notae n. 8, cumulatim sumptae, clare exprimunt genus organizationum de quibus et Summi Pontifices et Episcopi loqui intendunt, quando de A. C. loquuntur; quae ex hoc indolem propriam apostolatus officialis laicorum in Ecclesia assumit. Caput concludit per adhortamentum ut crescens in dies numerus organizationum, magis magisque clarius indolem, ab huiusmodi notis expressam, induat. Aliquid vere positivi adesse videtur.

3. Contra id quod Em.mus Card. Suenens censere videtur, nihil mirandum quod Summi Pontifices et Episcopi illas organizationes praeferant quae ratione finis et inceptionis laicorum, ratione structurae et strictioris dependentiae a Hierarchia, melius respondere videntur praesentibus apostolatus condicionibus.

Em.mus Card. Montini optime asserit in suo « Voto »: « Non videntur aequali modo considerandae ac promovendae formae apostolatus laicorum, quae ab ipsis Episcopis directe dependent, ac illae quae minori vinculo ab iisdem dependent et ab alia auctoritate, quamvis legitima, diriguntur... ».

De « monopolio » loqui hic minime fas est: ad Hierarchiam enim iudicium spectat.

Ad illustrandas difficultates exortas inter determinatam organizationem (Legionem Mariae, de facto) et caeteras organizationes, Em.mus Card. Suenens comparationem instituit. Supponamus in Italia vel alibi ephemeridem condi quae titulum assumat « Stampa Cattolica » et aliae deinde ephemerides oriri pariter catholicae; prior ephemerides titulum mutare deberet, cum illum tamquam sibi exclusivum tenere nequaquam ei liceat...

At quantopere exemplum hoc claudicat! In casu ephemeridis unus homo vel unus coetus titulum illum elegerant; in casu Actionis Catholicae Summi Pontifices suprema sua auctoritate adoptaverunt ac sacrarunt!

4. Hisce omnibus positis, acceptio propositionis Em.mi Card. Suenens gravissimum quid induceret pro pluribus nationibus: sive quia organizatio A. C. everteretur ubi exstat, sicut in Italia, in Hispania, in Gallia, in Belgio, in pluribus nationibus Americae Meridionalis, sive quia imponeret hanc terminologiam omnibus nationibus in quibus Episcopi eam adhibendam non censuerunt, sicut v. g. in Statibus Foederatis Americae.

Em.mus Card. Suenens locutus est de incommodis quae ex praesenti statu rerum in pluribus nationibus inoleverunt. At

— 16 —

procul dubio solutio a nobis proposita haec incommoda minueret. Si autem Concilium propositioni Em.mi Suenens adhaereret, in supradictis nationibus non modo incommoda crescerent sed in quibusdam nationibus sequeretur mors organizationum quae nunc de facto essentialiter ad vitam religiosam earumdem nationum conferunt; in caeteris vero coacta novae formae adoptio dolendas resonantias haberet. Fere ubique perperam cuiusdam ex imo coaequationis periculum adesset. Haec ultima sequela ipsis intentionibus Em.mi Card. Suenens contradiceret sed inevitabilis esset, dum vero solutio, a Commissione proposita, problema solveret.

5. Verum est in suis Litteris Enc. et allocutionibus, novissimos Summos Pontifices de Actione Catholica aliquando sensu generico locutos esse, frequentius tamen ad bene determinatos coetus verba facientes (brevis quaedam inquisitio historica facile hoc probaret) de Actione Catholica sensu specifico locuti sunt: praecise ex iis documentis, sicut etiam ex Episcoporum normis et monitis, quattuor notas, Cap. II, collegimus. Minime denegandum est in « Actione Catholica » aliquid omnino determinatum inveniri et expressionem « Actio Catholica » ultimis decenniis sensum apprime determinatum induisse, quo privari, sine gravibus incommodis, minime liceret.

Hisce prae oculis habitis, prima Romana Synodus normas pro exercitio apostolatus laicorum in Dioecesi Summi Pontificis edidit (cfr. *Syn. Rom.*, Liber II, paragr. 4, nn. 628-709).

Clare hoc patet Summum Pontificem Ioannem XXIII, quolibet exclusivismo dimisso (« Consulta » quae dicitur magni momenti munus habet), de exsistentibus condicionibus rationem habere voluisse. Plura solemnia documenta et allocutiones regnantis Summi Pontificis plane ostendunt ipsum in quaestione de Actione Catholica Praedecessores suos sequutum esse.

Huius activitatis Ioannis XXIII summae quodammodo contradiceretur si Concilium iuxta sensum Em.mi Card. Suenens decideret.

6. Optandum certe esset ut opportuna occasio daretur declarandi hanc vel illam allocutionem pontificiam, in qua evidenter de Actione Catholica in sensu generico sermo est, de facto ad omnes organizationes et motus pro apostolatu laicorum dirigitur.

Posset etiam, humiliter quidem, posci, ut in posterum, allocutiones et documenta officialia, pressius inter Apostolatum Laicorum et Actionem Catholicam distinguerent.

— 17 —

B) *Exacta Commissionis propositio*:

Ad integratas discussiones in posterum vitandas circa terminologiam diversarum organizationum, in quibus laici ad Regnum Dei provehendum adlaborant, Commissio De Apostolatu Laicorum, observationibus et propositionibus prae oculis habitis quae in sessione die 18 iunii habita, supra schema nostrum, factae sunt, proponit ut ipse titulus quem Sancta Sedes huic Commissioni dedit, tamquam « genus proximum » agnoscatur omnium praedictarum consociationum, sub ipso autem tamquam « specificae » differentiae illae reponantur quas S. Sedes pro universa Ecclesia vel Ordinarii locorum pro singulis dioecesibus, tamquam notas proprias apostolatus laicorum habentes, agnoverint.

In linea « differentiae specificae » inveniuntur ergo in primis organizationes quae sub nomine (salva aptiore expressione) Apostolatus Officialis Laicorum inveniuntur (Organizationes Actionis Catholicae et aliae Organizationes quae vel habent vel habere possunt characterem officialem: sive a S. Sede pro universa Ecclesia, sive ab Episcopo pro sua dioecesi). Dein Organizationes religiosae apostolatus, Organizationes Caritativae et demum Organizationes Sociales.

Notari potest ingens huius solutionis agilitas ac aptabilitas magnam enim voluit libertatem optionis relinquere pro ulterioribus mutationibus quibus, necessario, organizationes apostolatus laicorum obnoxiae sunt.

Conclusio

Em.mus Card. Suenens expetit ut quaestio in Concilio clare ponatur.

De facto clare ponitur.

Sed Commissio nostra ob graves rationes supra allatas suam substantialiter retinet sententiam.

Addimus tandem: ratione maximae complexitatis quaestionis, optandum esset ut explicationes quaedam a Patribus Concilii dari possint, antequam quaestio discussioni proponatur: ne iterum difficultates oriantur prout in Commissioni Centrali accidit.

Votum Em.mi Döpfner

« Liceat in fine iterum petere, ut *totum schema* in forma valde breviorem reddatur.

Ad libitum propono novam materiae dispositionem, continentem abbreviationes illas, quae ad minimum observari deberent:

— 18 —

PARS I

Prooemium: omitti potest incisum illud incipiens « Unum cum Christo », in pag. 7.

Omitti potest altera pars n. 2. Praeterea omittatur n. 6, quia postea idem dicetur.

Caput II: Praeambulum omitti potest, in textu, servata allusione ad Eph. 4, 11-12.

Caput III: Tradatur ad Commissiones de Disciplina Cleri, Seminariis, Religiosis.

Caput IV: Potest abbreviari; retineatur n. 25, omissa lin. 17-20; omittatur n. 26; retineatur n. 27-29; omittantur nn. 30 et 32.

Caput V: Omitti potest n. 35 (alibi repetitum).

Caput VII: Uti « Praeambulum » sufficit incisum; reliqua, a « Tempora praeterita » usque ad « Formae variae » ponantur in notis. Insuper n. 50 omitti potest.

Caput VIII: Omitti potest n. 51.

Caput X: 1) Praeambulum ponatur in nota, excepto ultimo articulo, qui ponatur ut primum incisum n. 61.

2) In n. 61 incisa 2-4 omitti possunt; nam recurrent in capitibus de familia et de educatione.

3) nn. 65-66 pertinent ad Schema de cura pastorali.

4) nn. 68-69 et 75 omitti possunt.

PARS II

Prooemium: Ponatur in notis; incisa 1 et 3 insuper omitti possunt.

Titulus I

Caput I: 1) n. 4 omitti potest inde a « Quod si fiat... ».

2) n. 7 omitti potest (repetitur).

Caput III: 1) Posset in breviorem formam redigi (continet plura dicta in Parte I).

2) Omitti potest n. 14 (anticipat posteriora).

Titulus II

Caput I: 1) Posset abbreviari.

2) Omitti possunt n. 20 incisum 1 (lin. 14-18); incisum 2 (lin. 19-23); nam melius providetur in schemate de mediis communicationis; incisum 3 (alio loco recurrit).

3) Omitti possunt n. 22 et 23.

— 19 —

Caput II: Cfr. dicta ad Partem I, Cap. VI: in casu compositionis suggestae unum Praeambulum sufficit.

Caput III: 1) Praeambulum ponatur in notis.

2) n. 35 omitti potest: cfr. Schemata de cura pastorali.

Caput IV: Praeambulum ponatur in notis.

2) n. 42 omitti potest; cfr. Schemata de cura pastorali.

Caput V: 1) Praeambulum ponatur in notis.

2) Omitti possunt nn. 44, 47, 48 (alibi occurrunt).

3) n. 50 omitti potest (res nimis sub lite est nec necessario a Concilio decidenda).

Caput VI: Praeambulum ponatur in notis, retento inciso ultimo ut proprio numero.

Caput VIII: 1) Abbreviari potest vel transmitti ad Commissionem de Missionibus totum caput.

2) Praeambulum ponatur in notis.

3) Omitti possunt n. 65 art. seu incisum 2, praeterea n. 67 (postea iterum recurrent).

PARS IV

Declaratio omitti potest.

Prooemium: tertius et quartus numerus in unum componantur.

Titulus I

Caput I: 2ª propositio num. 2 et numerus 3 ponantur in notis.

Caput III: n. 9: omitti potest 3 incisum.

Caput IV: 1) n. 11 et 12 omitti possunt (pertinent ad pastoralem actionem).

2) n. 20 trahatur ad Caput V.

Titulus II

Praeambulum potest poni in notis.

Caput II: n. 32 poterit omitti, si alibi (in Schemate de Scholis) fusius tractatur.

Caput III: n. 43, incisum 3 omittatur (momentum viri in aeducatione negligi videri potest).

Caput V: n. 59: omitti possunt articuli 1 et 2, manente inciso 3.

Caput VI: n. 63, articuli 1 et 2 omitti possunt.

Caput VIII: n. 71: omittatur primus articulus ».

— 20 —

AD PROOEMIUM GENERALE

1) Pag. 9, 1. 13-14: Em.mus Ruffini dicit quod textus non quadrat ad rem, cum sit eschatologicus; refertur enim ad tempora novissima huius mundi, quando erunt novi coeli et nova terra.

Resp.: Corrigitur textus et sic leguntur lineae: « Ecclesiae missio est » omnibus membris suis potissimum vero christifidelibus laicis cooperantibus mundum quoque temporalem, immo materialem, utpote creaturam ingemiscentem et parturientem usque adhuc, ad illum statum adducere, in quo perfecte liberabitur « a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei ».

Ultimae lineae, 16-18, delentur.

2) Pag. 9, 1. 14: Em.mus Card. Léger postulat ut etiam indicetur actio positiva Ecclesiae in ordine temporali instaurando et proponit ut ad 1. 14 addatur: « et ad opus... ».

Resp.: Expressio tamen « liberare a servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei » sensum omnino positivum habere videtur. Caeterum hic solum in introductione versamur: positivus aspectus in decursu totius textus evolvetur.

PARS I

Caput I

1) Pag. 13, n. 1: Em.mus Card. Siri notat affirmationem hanc non posse sumi nisi sensu analogico et petit ut textus de novo redigatur iuxta criteria magis theologica.

Resp.: Commissio nostra dissertationem doctrinalem non confecit. Mere voluimus fundamenta munerum apostolatus laicorum recolere. Supra verba Sacrae Scripturae innititur (*I Petr.* 2, 9-10), (*Apoc.* 1, 6; 5, 10), quibus hic textus S. Thomae consonat: « Character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentalem characterem, qui nihil aliud sunt quam quaedam participatio sacerdotii Christi, ab ipso Christo derivatae (*S. Theol.*, III, Q. 63, a. 3).

Textus sic legitur: « ... arcano ac analogico sed reali quodam modo participes... ».

Et in pag. 14, 1. 12 legitur: « ... utrumque tamen est unius eiusdem Christi sacerdotii realis participatio, quamvis ab invicem essentialiter differant... ».

— 21 —

2) Pag. 14: Em.mus Ruffini petit ut vigiletur ne duae species sacerdotii constituantur...

Resp.: Textus in lineis 5-13, post diversas emendationes allatas in numeris 1-3 nunc sat clarus videtur: cfr. lin. 11-13: « utrumque tamen est unius eiusdemque Christi sacerdotii realis participatio, quamvis ab invicem essentialiter differant ».

3) Em.mus D'Alton, movens et ipse difficultates circa universalem sacerdotium fidelium, scribit inter caetera: « Cum distinctio inter partes sacerdotum et partes laicorum in Ecclesia sit fundamentalis et tanti momenti, termini omnino distincti pro diversis partibus adhibeantur. Velim ergo ut saltem verba " sacerdos " et " presbyter " reserventur pro sacerdotio stricto sensu... ».

Resp.: Iam consuetudo est reservandi haec verba solis presbyteris stricto sensu dictis; attamen minime renuntiare possumus expressioni traditionali « sacerdotium universale fidelium », quae facile fidelibus explanari potest.

Libenter citamus Rev.mus P. Benno Gut: « Ne timeatur nec proinde nimis extenuatur verbum S. Petri de " sacerdotio regali ", quod in Apoc. S. Ioannis iterum recurrit. Desiderarem in Decreto claram et sanam huius termini pulcherrimam definitionem et doctrinam ».

4) Em.mus D'Alton similiter petit emendationem quae melius determinet diversam rationem qua sacerdos et fideles eucharisticum sacrificium offerunt.

Resp.: In lineis 15-20, legitur novus textus: « ... Eucharistiae Sacrificio, quod quidem a solo ministro in persona Christi agenti conficitur, et una cum Christo Sacerdote et Victima, tamquam membra Capiti coniuncta, illum, seseque cum illo, Aeterno Patri offerre ac de ipsius Corpore et Sanguine communicare; cultu liturgico... ».

5) Pag. 15, n. 4, l. 4: Em.mus Card. Döpfner loco « ad statum qui per ordinem sacerdotalem acquiritur » legatur « ad statum sacerdotalis ordinis », quia si res accurate inspicitur, status clericalis iam prima tonsura acquiritur.

Resp.: Videtur simplicius dicendum: « ad statum clericalem ».

6) Pag. 16, n. 5, l. 2: Em.mus Card. Döpfner: Ut accuratius perspiciatur habitudo ambarum formarum apostolatus ad invicem, dicatur pressius: « ... qua, cum et sub iisdem apostolicis pastoribus regnum Christi... ».

— 22 —

Resp.: Observatio accipitur cum levi quadam modificatione. Textus sic legitur: « ... quam, una cum et sub iisdem pastoribus, regnum Christi... ».

7) Pag. 16, n. 6: Em.mus Léger duas observationes movet:

1) melius redigatur textus *d*), pag. 17;

2) modificetur ordo rerum.

Resp.: Ad 1) Textus ab ipso Em.mo propositus accipitur: « ... Fidelium cum Hierarchia, mundi et omnium hominum cum Ecclesia occursui favent... ».

Ad 2) Propositio accipitur. Itaque novus ordo erit:

a)

b) = ex *e*)

c) = cum nova redactione quam inveniri potest in seq. n. 9

d) = ex *b*)

e) = ex *d*)

8) Exc.mus Hurley qui consensum suum circa fundamentalia manifestaverat, proponit: « ... Bonus est ille elenchus et bene enumerat varios aspectus cooperationis laicorum ad Christi Regnum promovendum. Sed credo elenchum posse adhuc maiorem lucem dare si de variis competentiis quae actionem humanam moderant mentionem facit » et propositionem concretam tradit.

Resp.: Cum hae distinctiones non facile videantur, ideo solum ordinem logicum ope merae enumerationis praetulimus, iuxta observationem Em.mi Card. Léger.

9) Exc.mus Lefebvre crisi subiecit par. *c*) pag. 17: « Hae lineae sunt difficiles intellectu... », et ad eas acclarandas sese refert ad Num. 2 et 3 « Declarationis » IV Schematis. Concludit sensum generalem horum locorum adducere:

1) ad « distinctionem realem in actibus humanis ordinis naturalis, qui aliquando vocatur temporalis, et ordinis temporalis »; et ex hac distinctione concluditur non expresse, sed de facto: « temporalia laicis, spiritualia clericis »; et

2) ad principium: « in primis restaurandus est ordo naturalis et postea fit supernaturalis ».

Resp.: Exc.mus Lefebvre unicus est qui hanc observationem criticam fecit. Nemo hoc animadvertit. Em.mus Ottaviani laudavit integrum schema, cuius generalis intentio est e diametro opposita iis quae Exc.mus Lefebvre asserit. Verum est redactionem paragr. *c*) obscuram fuisse; melius, ut sequitur, eam redegimus:

« *c*) Munere proprio concurrunt ad consilium Dei, unicum

— 23 —

quidem tam naturalia quam supernaturalia in se complectens, exsecutioni mandandum: adlaborantes scilicet ad restaurandum ac perficiendum ordinem naturalem a peccato perturbato eumque spiritu christiano permeandum ».

10) Pag. 17, n. 7: Em.mus Card. Siri: Non placet: non quia hic verum non dicatur de charismatibus; sed non est conveniens de hoc in Concilio sermonem facere...

Resp.: Certum est quaestionem delicatam esse. Multum de charismatibus sermo est etiam quando de laicis agitur, sive apud Theologos sive apud fideles: ideo nobis opportunum, immo necessarium visum est, ut Concilium quaedam innueret de hac re, praecise ut darentur necessariae acclarationes, quae dum veritatem proderent, simul limites et submissionem Ecclesiae iudicio signarent.

Caput II

1) Pag. 19, l. 4-8: Em.mus Card. Ruffini: « quae a S. Paulo (*Eph.* 4, 11-12) recensentur, non sunt propria officia, sed charismata (theologice: gratiae gratis datae), de quibus pluries Apostolus loquitur in suis epistulis ».

Resp.: Textus unice citatur ad ostendendum in Ecclesia, diversa munera exsistere; minime intendimus illum ad « officia » applicare. In praeambulo servari posse videtur. Apprime distinguimus, 1. 9: « Haec diversitas et hierarchicus ordo ministeriorum... ».

2) Pag. 19, l. 24: Em.mus Card. D'Alton: Velim ut addatur verbum « praecepta ».

Resp.: Novus textus sic legitur: « Sacrae Hierarchiae est principia directiva, praecepta et spiritualia subsidia ad fidelium apostolatum tradere ».

3) Pag. 20, n. 11: Em.mus Card. Ruffini: Dari ab ecclesiastica Hierarchia missionem canonicam laicis mihi non placet; ea enim sacerdotibus reservanda est. Loco missionis canonicae ponatur « mandatum ».

Resp.: Distinctio inter missionem canonicam et mandatum servanda videtur. Numeri 11 et 12 diversas condiciones revera exprimunt... Ideo in Nationibus, prout v. gr. in Germania (Card. Döpfner declarat: « Revera placent nn. 11-14 propter intentionem servandi terminologiam praecisam: ita confusionibus praecavebitur...), in Austria, in Helvetia, quin sermo fiat de regionibus missionum (pro catechistis), Episcopi in casibus

— 24 —

particularibus, « missionem canonicam » laicis conferunt. Summus Pontifex Pius XII hoc innuebat in allocutione ad II Congressum Internationalem pro Apostolatu Laicorum, die 5 octobris 1957: « Le laïc chargé d'enseigner la religion avec " missio canonica ", avec le mandat ecclésiastique d'enseigner... ».

3 bis) nn. 11-12-13: Exc.mus Hurley non videt essentialem differentiam inter Missionem canonicam, mandatum et explicitam approbationem Episcopi.

Resp.: Dantur tamen differentiae quae pro laicis distingui debent.

4) Pag. 20, n. 11, l. 11: Em.mus Card. Ruffini: « Non pertinet ad laicos animarum cura pastoralis ».

Resp.: Sic textus legatur: « ... animarum curam ».

Caput III

1) Pag. 22, n. 16, l. 4: Em.mus Card. Ruffini notat: « Cum laicis collaborandum... »; et asserit: laici sunt qui cum sacerdotibus collaborant.

Resp.: Sententia Commissionis non bene exprimitur: sic legatur textus: « ... in mente habeant sibi una cum laicis operandum esse ».

2) Pag. 23, n. 18, l. 6: Em.mus Card. Silva Henriquez proponit ut addatur: « Episcopi curent ut sacerdotes aptos seligant ac praeparent ad fructuose inter laicos laborandum ».

Resp.: Numeri 23 et 24 (pag. 24) eiusdem capitis optatis Eminentissimi respondere videntur.

3) Pag. 23, n. 21, l. 26-28: Em.mus Card. Léger aliam redactionem proponit, quae melius determinat proprium sacerdotis munus et expunctionem ultimi membri lineae « ... de eorum optatis... ».

Resp.: Accipitur nova redactio, cum levibus emendationibus: « Sacerdotes qui ... Hierarchiam repraesentantes, mentem eius quoad apostolatum, eiusque praecepta et principia directiva communicant, aptasque laicorum relationes... ».

Sed contra, melius videtur servare « de eorum optatis », quia, etiamsi laici possint directe cum suis pastoribus conferre, Adsistentes Ecclesiastici idem et ipsi proprio nomine et ratione facere debent.

4) Pag. 24, n. 21, l. 1: Em.mus Léger emendationem proponit: « sese cum laicis apostolos habentes, una cum eis attente... », ut ostendatur etiam sacerdotes debere spiritum apostolicum demonstrare.

— 25 —

Resp.: Huiusmodi monitum magis proprium Commissionis de Disciplina Cleri et Fidelium esse videtur. Hic potius consideramus sacerdotem ut apostolatus propulsorem.

5) Pag. 24, n. 21, l. 5: Em.mus Card. Silva Henriquez: « Mentio de praesidentia orationis videtur omittenda; praxis enim nonnullis in locis est ut etiam laici orationi liturgicae praesint, adstante sacerdote, quae consuetudo non videtur improbanda ».

Resp.: Haec expressio a nostra Commissione valde discussa est. Plures institerunt ut servaretur, quia etiam quando laicus orationem dicit, de facto ipse sacerdos « praesidet ». Em.mus Card. Léger proponit ut legatur: « ad communem orationem adsociationem incitat », quod melius convenire videtur; hic novus textus accipitur, leviter emendatus, « ... incitant ».

6) Pag. 24, n. 21: Em.mus Card. Léger vellet ut quaedam dicerentur de « directione conscientiae ».

Resp.: Quod ad sacerdotes pertinet, in numero 24, l. 25, addimus: « Sive animatores apostolatus, sive ut director spiritus... ».

Ad laicos vero quod attinet, magis opportunum videtur unum verbum in Cap. IX dicere: « De spiritu apostolico », n. 59, pag. 45, l. 3: « ... renovetur ac per recursum ad directionem spiritualem ».

7) Pag. 24, n. 22: Em.mus Card. Léger vellet ut in lucem ponatur officium sacerdotum recte efformandi laicos ad has omnes responsabilitates quae ad eorum mentem revocantur.

Resp.: Generalis contextus huius capitis iam satis hac in re clarus videtur.

Caput IV

1) Pag. 25, n. 25, ll. 8-15: Em.mus Card. Richaud non vult ut modo specialissimo sermo fiat de apostolatu a mulieribus exercendo; magis opportunum esset insistere in apostolatu virorum.

Em.mus Card. Döpfner optaret, e contra, ut haec paragraphus amplius evolvatur.

Resp.: Commissio non voluit apostolatum virorum cum apostolatum mulierum comparare. Iuxta id quod Pius XII docuit (cfr. Alloc. *Ad Mulieres Catholicas Italiae,* 21 oct. 1945

— 26 —

et etiam Alloc. *Ad U.M.O.F.C.*, 24 aprilis 1952), solummodo voluit in lucem ponere factum (saepe nondum satis cognitum), aetate nostra, mulierem habere in apostolatu, sicut et in caeteris saeptis, novas responsabilitates.

Ut sensus huius lineae melius notetur (quam, e contra, latius evolvendam non putamus ne ordo idearum evertatur) emendationem in linea 10 afferimus: « ... commemorat momentum eius, haud raro tamen neglectum, huic nostrae aetati... ».

2) Pag. 28, n. 31: Em.mus Card. Ruffini optaret ut in lucem ponatur materialia subsidia maxime pro vocationibus necessaria esse.

Resp.: Difficile est hanc observationem accipere, secus elenchum rerum urgentiorum addere deberemus. Verbum « instituta » (l. 3 et 4) certe revocat in primis seminaria.

Caput V

1) Pag. 30, n. 35: Em.mus Card. Léger putat, ad hanc formationem, loquendum esse etiam de experientia apostolica concreta, antequam accipiant munera directiva; secus solum mere « negotiorum curatores » haberentur.

Resp.: Verissimum est. Legatur in linea 20: « ... adhibeant in experientia apostolica, scientia caeterisque qualitatibus... ».

2) Pag. 30, n. 35: Em.mus Card. Léger: id de quo sermo est in hoc num. non solum respicit Ordinarios, sed omnes, sacerdotes et laicos.

Resp.: Etenim legatur lin. 27: « ... recipiant, curent ne eorum conditio iuridica indefinite relinquatur neve unquam careant... ».

3) Em.mus Card. Léger: definiendum esset sensus horum verborum: « conditionem iuridicam convenienter definire ».

Resp.: Hoc minime possibile est cum condiciones admodum dispares sint iuxta diversa loca. Commissio voluit praesertim attentionem revocare circa hanc quaestionem. Textus supra (n. 2) emendatus fuit.

Caput VI

1) Pag. 33, n. 39, l. 11-12: Em.mo Card. Döpfner non placet expressio: « coniuges invicem esse gratiae ministros », quae difficultatem facit praesertim cum de matrimoniis mixtis agitur.

Resp.: Textus corrigitur: « In celebratione matrimonii ipsi coniuges sunt gratiae ministri » quae generalior est affirmatio.

— 27 —

2) Pag. 35, n. 44, l. 25: Em.mus Card. Léger desiderat ut haec linea deleatur, cum videatur favere organizationibus neutris. Proponit particulares emendationes quasdam.

Resp.: Quam plures organizationes neutrae in « Unione Internationali Organizationum Familiarum » coadunantur, relate ad quam Apostolica Sedes semper explicite plausum suum manifestavit, quia a catholicis animatur. Ideo lineam servandam putamus, sed cum emendatione quae eius vim mitigat. Legatur: « Haud neglectis consociationibus familiaribus neutris ».

Expressionem hanc servantes, putamus emendationes particulares accipi non posse, cum rationem essendi amiserint, praeter lin. 28, in qua « commercium » suppletur per « relationes ».

Caput VII

Praeambulum

1) Em.mus Card. Döpfner proponit (in suis observationibus ad omnia nostra schemata ad breviorem formam redigenda) ut ponantur in nota lineae 10 ad ad n. 24 et in pag. 38, lineae 1-9.

Resp.: Consentimus: textum hunc posuimus in nota, lin. 9, pag. 37.

2) Pag. 38, l. 15: Advertimus in nota paragraphi quae antecedit n. 46 praeberi magna lineamenta solutionis propositae a nostra Commissione ad solvendas difficultates quas movit Em.mus Card. Suenens (cfr. Responsionem ad Observationes Ordinis Generalis).

3) Pag. 38, n. 47: Em.mus Card. Léger proponit ut sic modificetur prima paragr.: « Episcopi associationes apostolatus quas Ecclesia laudaverit vel commendaverit omni nisu promoveant, maxime illas quae necessitatibus et conditionibus nostri temporis magis congruunt sensumque apostolicum in laicis melius efformant et fovent ».

Resp.: In decursu laborum Commissionis nostrae, hanc difficultatem experti sumus: Associationes apostolatus commendandae sunt et simul tamen legitima fidelium libertas in tuto poni debet. Praesertim Episcopi nostrae Commissionis membra magnopere contulerunt ad textus nostros magna cum discretione apparandos (cfr. 48). Malumus ergo eos minime tangere.

Attamen ad maiorem claritatem, corrigimus lineas 24-26: « ... sive ab Auctoritate ecclesiastica institutae, magni habendae sunt, praesertim eae quas Ecclesia speciali modo laudaverit vel commendaverit ».

— 28 —

4) Pag. 38, n. 47, l. 29: Em.mus Card. Léger petit ut extendatur etiam ad sacerdotes et religiosos exhortatio quae ad laicos fit.

Resp.: Emendatio accipitur. Ergo: « ... decreverit, pariter ac a sacerdotibus et a religiosis omnibus, a christifidelibus... ».

Caput VIII

1) Pag. 42, n. 54, l. 13-14: Em.mus Card. Döpfner: « Cum in Commissionibus, de quibus in loco citato, res generatim agenda sit de laicis oportet ut laici ipsi in eis partem habeant. Unde textus ita mutetur: « ad quas *praeter* sacerdotes, nisi speciales condiciones aliud suadeant, etiam laici vocentur ».

Resp.: Verum quidem est. Solummodo tantisper expressionem immutabimus: « ad quas, praeter sacerdotes, etiam laici vocentur, nisi speciales rationes aliud suadeant ».

2) Pag. 42, l. 15 et 16: Exc.mus Cooray invenit textum actualem distinguere (sic ei videtur) Papam et Concilium, quod minime convenit.

Resp.: Emendabimus: « Sacrosancti Concilii Patres submittunt ».

3) Pag. 42, l. 15-20: Quoad possibilem creationem cuiusdam Officii Romanae Curiae pro Apostolatu Laicorum, vide in alio fasciculo « Observationibus Generalibus » dicato, obiectiones et responsionem nostram et praesertim Notam respicientem « Acta et Documenta » praeparatoria Concilii, in qua plures Episcopi indicantur qui hanc propositionem fecerunt.

Caput IX

1) Em.mus Card. Döpfner novum omnino schema pro hoc capite proponit.

Unicus est qui criticam generalem de hoc capite moveat.

Resp.: Haec propositio optima quidem continet. Sed totalis refectio capitis maius tempus requirit quam quod nobis superstit.

2) Pag. 44, n. 58, l. 16-17: Em.mus Card. Léger petit ut addatur « competentia, sensus civicus et sensus professionalis ».

Resp.: Sic ergo textum emendamus: « ... humanitas, peritia rerum ac sensus civicus ».

3) Pag. 44, n. 59: Em.mus Card. Léger vellet ut melius indicetur exercitium ipsum actionis apostolicae communionem cum Deo... ».

— 29 —

Resp.: Addimus ergo, pag. 45, novam paragraphum quasi ad modum conclusionis huius n. 59: « His omnibus mediis apte adhibitis, actio apostolica interiorem eorum progressum fovebit ita ut Deum in ipsis operibus attingere discant ».

4) Pag. 45, n. 59, l. 3: Exc.mus Cooray optat ut addatur ad Sacramentum Poenitentiae, Sancta Eucharistia.

Resp.: Caput ordinem progressivum habet: in n. 60, de Sacra Liturgia, l. 20, sermo est de « Divino Convivio ». (Ut melius Eucharistia connotetur, verba « in communitate christiana » delentur. Legatur, l. 20-21: « huic divino convivio frequenter participatur »). Sic emendatio Exc.mi Cooray non admittitur.

Caput X

1) Ad *Praeambulum* Em.mus Card. Döpfner proponit (in suis observationibus generalibus de schematibus ad breviorem formam contrahendis) ut Praeambulum hoc in notam amandetur, praeter quattuor ultimas lineas.

Resp.: Propositio accipitur, exceptis lineis 1-3, pag. 46 et ultimis quattuor lineis ab Em.mo Döpfner indicatis. Quod breve praeambulum constituit (constans ex 6 vel 7 lineis): « Educatio christiana laicorum... reapse implet ».

Caetera in notam amandantur.

2) Pag. 47, n. 61: Exc.mus Cooray petit ut hic formuletur votum inserendi in Catechismis speciale caput de Actione Catholica.

Resp.: Nota 11, pag. 16 P. I Notionum Generalium, dicit huiusmodi votum ad Concilium a Commissione nostra exhibitum esse.

3) Pag. 49, n. 70: Em.mus Card. Döpfner optaret ut in speciali paragr. sermo fiat de studiis theologicis profundioribus pro quibusdam laicis et textum proponit.

Resp.: Hunc textum leviter emendatum, sic in n. 70, l. 24 inserimus: post « ... instituatur », textus prosequitur: « utque laici, maiori in dies numero, studiis sacraeque theologiae vacent, eisque hunc ad finem apte obtinendum, sub impulsu ac vigilanti cura Magisterii Ecclesiae, congruae opportunitatis praebeantur praelectionum, quae specialis indolis operum a laicis praestandorum rationem habeant ».

Postea (ab extrema parte versus) textus prosequitur: « In laicorum formatione praesens speciatim habeatur necessitas eos instituendi in doctrina sociali... » et sequitur l. 26.

— 30 —

PARS II

Tit. I - Caput I

Praeambulum

1) Pag. 6, ll. 7-10: Em.mus Card. Ruffini: hae linae minime clarae sunt.

Resp.: Sic de novo lineae rediguntur: « Unusquisque fidelium ad aliquam Ecclesiam particularem pertinet, in determinato loco « peregrinantem », in qua tota missio apostolica originem ducit ex Collegio Apostolorum eorumque successorum, sub Petro Ecclesiam Dei regentium ».

2) Pag. 7, n. 1, l. 16-20: Em.mus Card. Döpfner putat hanc paragraphum posse ita redigi ut melius in lucem ponatur unio fidelium cum suo Episcopo. Proponit, pro lineis 17-20: « ... ecclesialis, cui aggregati laici uniuntur cum suo Episcopo, sub suis parochis eorumque ordinatis adiutoribus, qui omnes eiusdem in ministeriis Verbi et Sacramentorum cooperatores sunt ».

Resp.: Hic novus textus nimis complicatus nobis videtur. Lineae 19-20 leviter emendatae sufficiunt ad unionem cum Episcopo in lucem ponendam.

Servamus igitur textum nostrum, addendo, lin. 20: « ... cuius sacerdotes in ministerio Verbi et Sacramentorum cooperatores sunt ».

3) Pag. 7, n. 3, l. 30: Em.mus Card. Döpfner proponit ut addatur: « qua in re commendantur apostolatus domorum, viarum, regionum aliaeque formae similes experientia probatae ».

Resp.: Sunt observationes nimis particulares, uti videtur, pro textu conciliari; putamus ergo accipiendas non esse.

4) Pag. 8, n. 5, l. 8: Em.mus Card. Léger proponit ut legatur: « et maiori huius Ecclesiae particularis deserviant, non Ecclesiae parti ».

Resp.: Haec observatio Em.mi Card. Léger movit nos ad immutandum textum, supra pag. 6 lin. 7-10, « aliquam Ecclesiam particularem ».

Hic e contra agitur de quadam parte Ecclesiae; servandum ergo putamus « parti ».

5) Pag. 8, n. 5: Exc.mus Cooray vellet ut clare indicentur modi coordinationis apostolatus in paroeciis et in dioecesibus.

Resp.: Absonum videtur repetere hic quod iam dictum est in Parte I, Notiones Generales, Cap. VIII, « De mutua coordinatione ». Absque dubio hoc caput ordinis generalis est; sed ideo quia condiciones particulares maxime dissimiles sunt.

— 31 —

Caput II

N. B.: Fatemur nos examini subiecisse emendationes ad textum huius capitis propositas magna cum diligentia ac prudentia: ex una parte quia caput hoc prae caeteris Constitutionis schematibus maxime investigatum et refectum est antequam unanimem approbationem nactum sit; ex alia parte quia emendationes quasdam nos ipsi attulimus, quas infra mox indicabimus.

1) Pag. 11, n. 8, l. 7: Em.mus Card. Léger proponit ut addatur: « Et ideo finem universalem et specifice supernaturalem Ecclesiae prosequitur: totum realitatis humanae, sub aspectu tamen formaliter supernaturali, respicit atque toto (sic) ipsius missionis Ecclesiae collaborat ».

Resp.: Hunc textum minime accipimus et quia terminos nimis technicos continet, et quia nimias praecisiones exhibere nobis videtur, de quibus disputari sane potest.

V. gr. Actio Catholica « toto ipsius missionis Ecclesiae collaboret ». Sed A. C. missioni gubernii Ecclesiae minime collaborat.

2) Pag. 11, n. 8, l. 18-19: Em.mus Card. Léger vellet ut modificetur *d*): « Laici, cum in apostolatu hierarchico directe et publice collaborent, agunt sub superiore... ».

Resp.: Quaestio disputatur utrum in Ecclesia distingui possit ius privatum et ius publicum: opportunum ergo non esset hanc expressionem ibi inserere ubi hae notiones recurrunt.

3) Pag. 11, n. 8: Em.mus Card. Léger proponit ut introducatur 5ª nota quae respiciat formationem mediante actione apostolica; et textum suum tradit.

Resp.: Verum est hanc formationem mediante actione, maximi momenti pro Actione Catholica esse; sed dubitari potest utrum sit eiusdem « nota specifica ». Unde observationem accipere non possumus.

4) Pag. 11, n. 8, l. 21: Em.mus Card. Döpfner proponit ut dicatur: « Hierarchia autem potest... », loco « est ».

Resp.: Admittitur.

5) Pag. 11, n. 8, l. 21; 24: Em.mus Card. Richaud quoad n. 20 Partis I (cui adhaerent Em.mi Card. Santos et Marella) quaestionem movet de « mandato »: quinam illud conferunt et quibusnam illud conferatur?

Resp.: Si in duobus locis (in Parte I, n. 20 et in hoc ipso loco) Commissio prudenter se gessit, hoc fecit propter rationes quas Em.mus Cardinalis Relator Membris Commissionis Centralis

— 32 —

clare patefecit: « ... Diligens investigatio documentorum Hierarchiae de hac quaestione clare ostendit Summos Pontifices Pium XI et Pium XII non ita frequenter nec tam certa et definita ratione de " mandato " locutos esse. Accedit quod non in omnibus regionibus " mandatum " ut nota distinctiva Actionis Catholicae consideratur nec auctores hac in re communem doctrinam profitentur ».

6) Indicamus hic, breviter, emendationes a Commissione allatas, prout desumuntur ex diffuso textu in alio fasciculo contento (« Observationes Generales ») ut respondetur observationi Em.mi Cardinalis Suenens:

a) Ad notam 1, in calce pag. 10, cui titulus « De Actione Catholica » hoc addimus: « hic sermo est de Actione Catholica, intelligendo Apostolatum Officialem Laicorum, praecipue sed non exclusive in Adsociationibus Actionis Catholicae exercitum ».

b) P. 10, lin. 7, addatur: « Inter has autem apostolatus consociationes, Episcopus tamquam officiales eas assumere potest, quas opportuniores iudicaverit.

At caeterum, ex his vel etiam similibus antiquioribus institutionibus, eae praesertim commemorandae sunt... » (ad lin. 7).

c) P. 11, lin. 2, legitur « ... et cumulata acceptione notio Actionis Catholicae constituitur ».

d) N. 9, lin. 25-26: « Organizationes Apostolatus officialis laicorum et Actionis Catholicae... ».

e) N. 10, lin. 33: « Optandum sane est ut huiusmodi organizationes inter se... ».

f) N. 11, lin. 8-10, legatur: « Episcopos autem hortatur ut Actionem Catholicam vel alias forte Consociationes Apostolatus Officialis laicorum promoveant, aptis accommodatas locorum adiunctis ».

Caput III

1) Pag. 13, n. 12, lin. 5-12: Exc.mus Lefebvre: « Minuitur, meo sensu, aestimatio harum formarum quae sunt maximi momenti... Hae formae videntur omnino necessariae pro ipsa Actione Catholica stricte dicta et Concilium deberet multum insistere in his formis quae dabunt Actioni Catholicae verum influxum Spiritus Sancti, verum sensum apostolatus qui non potest esse nisi supernaturalis et in gratia Christi fundatus ».

Resp : Hae affirmationes de vero sensu supernaturali et apostolico inveniuntur frequenter in nostris textibus et applicantur *omnibus* apostolatus laicorum formis de quibus in proposita Constitutione loquimur. Formae citatae in n. 12 respiciunt Organizationes Apostolatus proprie dictas, quarum obiectum differt ab obiecto Adsociationum Actionis Catholicae stricte dictae. Unde dici potest (sed, iterum sit dictum, hoc saepe in nostris schematibus repetitur praesertim in Cap. IX partis I) omnes apostolatus laicorum formas inspirationem ex doctrinis spiritualibus et ex devotione erga Beatam Virg. accipere debent, ac ex fontibus sacrae Liturgiae et doctrina sociali Ecclesiae alimentum haurire.

— 33 —

Non bene intelligitur affirmatio: « Minuitur aestimatio harum formarum... ». Caput VII Partis I loquitur de formis apostolatus quin eas ab invicem distinguat vel eas mutuo opponat.

In hoc ipso loco, n. 17, pag. 13, adest adhortatio Conciliaris pro ipsis formis de quibus Exc.mus Lefebvre loquitur.

Ideo textus cap. III nobis non videtur immutandus.

2) Pag. 13, n. 12, l. 8: Exc.mus Cooray optaret ut loco « infidelium » ponatur « acatholicorum ».

Resp.: Sensus huius verbi « acatholicus », iuxta communem usum, solummodo denotat christianos non-catholicos. Hic agitur de conatu ad conversionem infidelium obtinendam.

Titulus II - Caput I

1) Pag. 16, n. 20, l. 30: Em.mus Card. Ruffini: non placent verba « Missio canonica ». Idem pro pag. 44, l. 27.

Resp.: Iam declaratum est in prima Parte, Cap. II, n. 11, expressionem adhiberi posse (cfr. supra, pag. 4).

2) Pag. 16, n. 21: Em.mus Card. Léger optaret ut clarius tradatur « paedagogia » de apostolatu verbi, cuius ipse magna lineamenta tradit.

Resp.: Aliquid valde speciale est. De hac re igitur quaedam in nota ad n. 21 in calce paginae adduntur.

« Omnes illi qui ad verbum Dei administrandum vocantur apprime noverint idipsum non solum ex gratia Dei efficaciam depromere, sed etiam ex sapienti accommodationi audientium condicionibus et adiunctis.

Quapropter capacitas intellectualis et spiritualis necnon socialis conditio eorumdem prae oculis diligenter habeatur. Laicus insuper qui hoc ministerium exercet vitam interiorem sedulo colat ut verba quae profert testimonio vitae comprobentur nec tamquam " cymbalum tinniens " fiat ».

— 34 —

Caput II

1) Pag. 19, n. 24, l. 3-8: Em.mus Card. Silva Henriquez proponit novam redactionem ampliorem 3 paragraphi:

« Praeterea laici sedulam curam praestent ut filii praesertim in familia, ut naturaliter apta, in schola speciatim catholica, in associationibus pro iuventute, non tantum rectas notiones de matrimonio acquirant, sed etiam toto animo amorem eius excellentis dignitatis exigentiarumque in aedificationem Mystici Corporis; ipsis autem crescentibus efformatio successive compleri oportet ».

Sic familiae partes tutantur et ipsa efformatio non tantum ad rectam mentem restringitur sed ad vitam psychicam universam extenditur.

Resp.: Nova haec longior redactio plura continet quae alibi dicta sunt. V. gr. quoad Corpus Mysticum cfr. Partem I, Cap. VI, n. 38 et 40; de familia ut societate educativa cfr. n. 40, par. 2. Inclinamur ergo ad hanc emendationem omittendam.

2) Pag. 19, n. 24, l. 6: Em.mus Card. Léger proponit ut dicatur: « rectas notiones » acquirant de matrimonio christiano in sua realitate humana et supernaturali... » etenim educatio sexualis minime negligi debet.

Resp.: Emendatio haec accipitur.

3) Pag. 19, n. 25, l. 16-27: Em.mus Card. Silva Henriquez proponit diversas emendationes quarum plures accipiuntur.

Legitur ergo:

a) l. 16-18: « Melius vir et mulier ad omnes... percipiendos disponantur et propriam cuiusque sentiant dignitatem et responsabilitatem... ».

b) l. 21: « a Deo recipiant et ideo maturiore indigent instructione... ».

c) l. 23: « ... rite implenda, ita ut ad perfectionem christianam in statu consecrationis matrimonialis pleno sensu tendant... ».

d) l. 27: « ... maxime utilitatis sunt, hodieque longe et late urgenda ».

4) Pag. 19, n. 25, l. 25: Em.mus Card. Léger optaret ut etiam sermo fiat de « iuristis » et de « peritis in re oeconomica ».

Resp.: Legitur ergo: « ... psychologorum, iuris ac rei oeconomicae peritorum consilia maximae... ».

— 35 —

Caput III

1) Em.mus Card. Léger tenet hoc caput vigore carere.

Resp.: Caput hoc complendum est ex iis quae iam in Parte I, Capite X, « De Laicorum educatione et praeparatione ad apostolatum exercendum » dicta sunt, et in Parte II.

Tit. I, Cap. II « De Actione Catholica » et Tit. II, Cap. IV « De Apostolatu in proprio cuiusque ambitu sociali et professionali ». Plura ex his capitibus conferunt ad ea ditanda quae in hoc capite III dicuntur, cui aliquam emendationem sane afferimus.

2) Pag. 23, l. 1-17: Em.mus Card. Léger non putat iuvenes maturius hodie in vitam publicam ingredi.

Resp.: Affirmatio difficultates in Commissionis sinu minime excitavit.

Attamen procul dubio condiciones pro diversis ragionibus differunt. Emendamus lin. 4: « ad munera vitae publicae exercenda saepe maturius quam antea... ».

3) Pag. 23, n. 33: Em.mus Card. Léger vult ut officia recolantur adultorum, animandi iuvenes laicos ad plenam conscientiam sumendam de propria responsabilitate.

Resp.: Additur ergo nova paragraphus: « Imo adulti ipsi perspectum habeant officium excitandi sensum responsabilitatis in iunioribus ».

4) Pag. 24, n. 34: Em.mus Card. Léger optaret specialem numerum circa responsabilitates iuvenum in Adsociationibus et circa specialem valorem paedagogicum huius methodi quae verum fundamentum educationis est; de eiusdem necessitate, de emolumentis ac periculis et de ratione efformandi iuvenes ad proprias responsabilitates.

Resp.: De hac methodo loquimur in lin. 3-5, et quia valorem paedagogicum habet eam commendamus in hoc n. 34.

Sed opportunum non videtur Concilium valorem explanare cuiusdam methodi educationis.

5) Pag. 24, n. 34, l. 4-5: Exc.mus Lefebvre difficultatem movet circa expressionem: « ad seipsos efformandos ad apostolatum per ipsam actionem apostolicam ». Vellet articulum circa hoc subiectum. Insuper queritur quod non sufficienter insistatur in formatione spirituali et doctrinali militantium et responsabilitatem habentium.

— 36 —

Resp.: Non oportet semper eadem repetere. Quoad hoc ultimum cfr. Cap. IX et X Partis I et Cap. IV Tit. I Partis IV. Quoad primum vero, aliquid dicitur in n. 72 Partis I et in n. 16 et 17 Partis IV.

Caput IV

1) Pag. 28, n. 41, l. 6-10: Em.mus Card. Léger optaret ut ponatur in nota: « Tamen hic nullo modo infirmatur character universalis Actionis Catholicae specializatae ».

Resp.: Utilitatem huius notae minime videmus, quia Cap. « De Actione Catholica », supra, pag. 11, lin. 4-5, explicite dicit omnes organizationes Actionis Catholicae pro fine immediato habere « finem generalem apostolicum ipsius Ecclesiae ».

2) Pag. 28, n. 41, l. 11-15: Em.mus Card. Richaud optaret ut commendetur quidquid contactum favet cum organizationibus aliorum ambituum.

Resp.: Nota ad lineam 15 in pagina 28, in calce paginae, sufficere videtur ad emendationem Card. Richaud inserendam. Sic sonare potest: « Opportunum est insuper ad quodvis periculum mentalitatis classis socialis evincendum, ut frequentes dentur communicationes inter organizationes de apostolatu coetuum (milieux) in primis ab ipsis dirigentibus initium faciendo ».

3) Pag. 28, n. 41, l. 12: Em.mus Card. Léger optaret ut ponatur « compleri posse » loco « oportet », cum condiciones non ubique eaedem sint.

Resp.: Emendatio accipitur cum maxime opportuna sit.

Caput V

1) Pag. 30, n. 45: Em.mus Card. Léger: Laici qui apostolatum exercent in ambitu internationali communicationem et contactum cum organizationibus nationalibus colant ut eorum actio maiorem efficacitatem habeat.

Resp.: Etenim. Sic emendatur lin. 27: « ... praesto sint, nullimode tamen neglecta necessitudine cum organizationibus localibus ».

2) Pag. 31, n. 49: Em.mus Card. Ruffini optaret ut bene signetur officium pro Organizationibus Internationalibus catholicis nihil agendi sine vigilantia legitimae auctoritatis Ecclesiae.

Resp.: De huiusmodi organizationibus idem censendum est sicut de caeteris. Caput II Partis I clare tradit principium quod sive hoc in loco sive in toto schemate applicationem habet.

— 37 —

Episcopi nostrae Commissionis membra concordes fuerunt in hoc: ne scilicet explicite principium de subordinatione et vigilantia — quod semel pro semper affirmatum est — continuo iteretur, ne odiosum fiat (cfr. fasciculum circa « Observationes Generales » Cap. II, Partis I).

3) Pag. 31, n. 50, Nota 6: Em.mus Card. Léger emendationes proponit quae melius determinant quid sit « COPECIAL » et Conventus O.I.C.

Resp.: Textum suum assumimus ad complendam notam ad lin. 6: « ... fovere et promovere, in universo mundo, per conventus internationales vel regionales, diffusiorem et profundiorem cognitionem genuini apostolatus laicorum ».

Emendatio quae respicit O.I.C. necessaria non videtur.

4) Pag. 31, n. 51, l. 22-24: « Em.mus Card. Döpfner proponit ut dicatur: « huic fini inserviat cooperatio intensior et amplior centrorum nationalium cum iisdem institutis ».

Resp.: Harum linearum sensus sequens est: centra nationalia Organizationum Internationalium Catholicarum curare debent ut sive per se sive per propria membra subveniatur, etiam materialiter, Organizationibus Internationalibus Catholicis, quia huiusmodi Organizationes fontibus immediatis lucri minime gaudent.

Textus Em.mi Döpfner non videtur hoc bene exprimere. Et sic nihil mutatur.

Caput VII

1) Pag. 35, Nota 1 in calce paginae: Em.mus Card. König plures quoad hanc notam observationes facit. Cum agatur de quaestionibus doctrinalibus et Caput hoc minime inter nostra documenta permaneat non putamus respondendum esse.

Exemplar documenti Em.mi König fasciculo nostro adnectitur.

2) Pag. 37, l. 9-12 (*Praeambulum*): Em.mus Card. Léger et alii plures improbarunt textum in quo sermo est de « materialismo capitalistico ».

Resp.: Emendationibus ab Em.mo Card. Léger propositis innixi, hunc novum textum praebemus: « ille scilicet qui, valoribus spiritualibus sub specie exaltationis libertatis inceptionum penitus neglectis, aliis regiminibus oeconomicis substernitur et ab illis ita diffunditur ut quotidianam hominum vitam pervadat ».

3) Pag. 39, n. 59: Em.mus Card. Léger optat ut insistatur in formatione laicorum in disciplinis humanis positivis. Aliter

— 38 —

periculum haberetur illos ducendi ad moralismum sine ullo influxu in societatem. Illis etiam dici debet quod ipsi christiani capacitatem habent mundum transformandi.

Resp.: Ipso Em.mo Card. Léger expostulante, iam addidimus ad lin. 16, n. 58, Partis I: « peritia rerum »... Non eadem in unoquoque capite repetenda sunt.

4) Pag. 39, n. 60: Em.mus Card. Léger: Non placet. Optaret potius invitamentum ad collaborandum cum iis qui in Organizationibus apostolatus generalis operam dant.

Resp.: Praeter plures locos in schematibus Constitutionis, novissima nota ad lin. 15, pag. 28 (cfr. supra Cap. IV, n. 2) his optatis respondet — quoad n. 60, magni momenti videtur ut ii qui apostolatum operam perficiunt in his saeptis mutuo innitantur propriamque operam communi conatu ordinent.

5) Pag. 39, n. 61: Em.mus Card. Léger: non placet. Quod hic dicitur de omnibus saeptis valet. Optaret, e contra, numerum circa actionem quam laici catholici exercere debent erga personam eorum qui communismo nomen dederunt.

Resp.: Quoad ultima haec optata n. 56, 57 et 58, principia quaedam iam tradunt. Quoad n. 61, rationem essendi habet in magno momento quod huic apostolatui inest, cum sit hodie primordiale et debeat universum mundum complecti.

Appendix

Ut in responsione I ad observationes generales notatur in hanc secundam partem Constitutionis (a qua tria capita detrahuntur scilicet Tit. II, Cap. 6, 7, 8) inseruntur Caput de cultura et Caput de publicis moribus quae huic fasciculo adnectuntur.

Caput: De cultura.

Praeambulum

Inter humanas res longe mirabilior omnium, hac nostra aetate, culturae profectus in omnibus suis coetibus ac saeptis, praesertim sub scientifico ac technico respectu, procul dubio censeri debet. Permagni tamen interest ut haec cultura quaquaversus humana atque christianis principiis ac moribus adaperta ac praenuncia sit, quin immo evangelicis veritatibus ac legibus consona.

Ad hanc effingendam culturam, laicorum actio perurgens est.

1) Exculti laici quadruplici praecipue sensu actionem operamque suam dare possunt:

— 39 —

a) ad culturam genuinam et christianam pro omnibus effigendam adlaborare;

b) ad culturam in proprium coetum apud collegas, apud sibi subditos et clientes afferendam;

c) ad disciplinarum humanarum diligentem investigationem quae profectui scientiae theologicae deservire possint (philosophia, historia, archaeologia, etc.); ad regimen Ecclesiae, ad ipsius etiam administrationem fovendam (disciplinae iuridicae et oeconomicae); ad cultum liturgicum provehendum (artes, praesertim architectura);

d) ad diversa culturae saepta mutuo componenda et ad unitatem redigenda; ad recte aestimandos varios gentium humanos civilesque cultus ac ea quae in eis bona sunt aperto animo amplectenda; ad commercia cum culturis nondum christianis ineunda.

2) Peculiaria culturae munera ac saepta.

Enixe curetur christiana cultura laicorum qui munera directiva habent, in primis circa singulorum professionem. Novae professiones, quae saepe in campo scientifico et technico evolvuntur, cultura vere humana et christiana imbuantur.

Apostolatum vero exerceant in coetibus altioris culturae, praesertim in coetibus universitatis inter professores et alumnos, saeptis scientiarum peculiari modo prae oculis habitis.

3) Ad apte apostolatum culturalem exercendum, in primis scientificae methodi exigentiae debite observentur. In singulis culturae saeptis augeatur peculiaris peritia et novissimae notitiae sedulo acquirantur.

Praecipuis doctrinis theologicis laicus excultus carere non potest, ut sciant res sensu theologico diiudicare et interpretari utque theologia et vita mutuo proprius accedant.

Commercia inter excultos viros catholicos ineantur et foveantur. Vitam proprii culturalis coetus unusquisque scienter et intime vivat, relationibus tamen cum suo ambitu sociali diligenter servatis.

4) Magni momenti est, praesertim pro excultis laicis, vitae necessitudines cum clero statuere.

Ad haec omnia facilius consequenda necesse est ut sacerdotes peculiari cura et ratione praeparentur.

Caput: De publicis moribus.

Quamvis quaestio de publicis moribus procul dubio semper exstiterit, novam tamen induit rationem novamque gravitatem, cum animi undique naturalismo pervasi sint, faventibus

— 40 —

persaepe hodiernis communicationis socialis instrumentis. Caeterum, cum publici mores sive a legibus, sive a conscientia individuorum pendeant, singulorum civium responsabilitas duplici hoc sensu devincitur.

Christifidelium hac de re actio iuxta triplicem praecipue directionem exerceri potest:

a) ita in primis singula individua efformare ut, si opus est, resistendo opinioni forte praevalenti, superiora criteria obiectiva sequi non dubitent. Satagant insuper ipsas publicas opiniones effingere, ut principia recti ordinis moralis magis magisque sancte serventur;

b) de exsistentia aptarum legum edocere quae saepe ignorantur;

c) actionem communem honestorum hominum excitare ac fovere ad legum applicationem a militibus publicae disciplinae praepositis; sive a tribunalibus diligentius obtinendam: recolatur hac in re momentum consociationum ad publicos tuendos mores.

Ad sanctum hoc opus perficiendum totis viribus incumbant christifideles, memores semper, vi ipsius christianae professionis, se, ad bonos mores quod attinet, veluti bonum fermentum esse debere quo totam massam reformat atque immutat.

* * *

Titulus II huius partis II capita quaedam exhibere etiam debebat circa apostolatum hodie prorsus necessarium in istis quae sequuntur saeptis:

a) De socialis communicationis instrumentis;

b) De apostolatu ad unitatem christianorum promovendam;

c) De apostolatu in saeptis materialismo, praesertim marxistico, imbutis;

d) De apostolatu in Ecclesiae missione ad gentes.

Haec capita ideo e nostris Schematibus detraximus quia certi facti sumus huiusmodi subiecta ab aliis Concilii Commissionibus tractari debere.

Votum Em.mi Card. König

« In pagina 35 schematis II redit quaestio de communismo sub nomine marxismi atheistici. Optima est nota in eadem pagina apposita, qua ostenditur communismum esse pseudo-religionem

— 41 —

et quidem eschatologicam. Optime in paginis sequentibus materialismus marxisticus, dialecticus, simul cum materialismo practico in nostris regionibus reiicitur, etsi hae duae formae materialismi non eandem radicem habent.

Sed hac occasione haec liceat notare:

1) Modus tractandi hanc rem in hoc schemate coordinetur cum alio schemate Commissionis de disciplina cleri et populi christiani, ubi iam agebatur de communismo — vel potius in uno tantum loco de materialismo dialectico sive de communismo agatur.

2) Non videtur dicendum *nos* damnare materialismum dialecticum vel communismum, sed potius communismus reicit et damnat omnem religionem, ideo praeprimis ecclesiam catholicam. Et hoc ita fiet quousque communismus materialismum dialecticum retinebit. Id est si communismus se separaret a materialismo dialectico, res aliter se haberet. Nam in origine communismus non fuit atheisticus — sicut hodie primi expertes in hac materia v. g. P. Bochenski O. P. et P. Wetter S. J. ostendunt — sed tamquam utopia socialis quandam inspirationem religiosam in initio prae se ferebat. Atheismus, uti morbus societatis christianae, antecedebat motionem communisticam et fuit praecise ille Carolus Marx, qui univit atheismum et communismum.

3) Enixe rogo, ut *occasione* Concilii, non in concilio ipso, fiat conventus episcoporum, etiam ex terris missionum, quibus imprimis interest, ut actio concreta et immediata contra materialismum dialecticum praeparetur. Ex nuntiis novissimis scio, omnino urgere collaborationem internationalem catholicam. Et quidem urget, ut laici sacerdotes episcopi habeant notionem genuinam communismi eiusque periculi. Adhuc existunt non pauci sacerdotes qui de re innocua agi putant. Urget coordinatio omnium laborum qui iam fiunt in campo catholico. Urget cooperatio omnium christianorum etiam fratrum separatorum, ut defendantur strenue contra atheismum quae communia sunt.

4) Ideo talis conventus episcoporum cuiusdam numeri limitati occasione concilii, praeparet, utrum concilium, quid et quo modo concilium vocem suam manifestam faciat » (F. Card. König).

PARS III

Prooemium

1) Pag. 3, l. 1-3: Em.mo Cardinali Léger non placet hoc initium: Num verum est quod particulariter nostris in temporibus « abundat iniquitas »? Bene aliae rationes dantur ut officium caritatis revocetur.

— 42 —

Resp.: Delentur tres priores lineae. Prooemium sic igitur incipit: « Sacrosancta Synodus utpote praeclarum... ». Rationes vero ab Em.mo indicatae introducuntur ad immutandum, in pag. 4, initium 2^{ae} paragraphi. Unde lineas 10 et seqq. sic incipiunt: « Hodie vero, praesertim apud nonnullas regiones et gentes, miseria et indigentia eo usque increverunt ut singulorum industria et conatu superari nequaquam possint, unde communi collato opere actio caritativa exercenda est. Insuper communicationis instrumentis... ».

2) Pag. 3, l. 6-14: Em.mus Card. Léger: Enunciatur hic principium fundamentale generale apostolatus; quod locum opportuniorem invenit in Prooemio Generali de Apotsolatu Laicorum.

Resp.: Fundamentum hoc praenunciatur, de facto, in Praeambulo Generali, fasc. I, pag. 8, l. 21 sqq.

Consequens ergo erat ut hoc iterum resumeretur et evolveretur hic ubi haec verba Christi immediatiorem applicationem habent.

3) Pag. 4, l. 17: Em.mus Card. Léger: dicatur « vere humanae vitae » ad inserendas numerosas necessitates vitae hodiernae ut decens sit... ».

Resp.: Sic emendamus lin. 7: « ... instructione, vitae vere humanae ducendae... ».

4) Pag. 5, l. 13: Em.mus Card. Léger: dicatur « sua perita praesentia » ad significandum quod laicus catholicus habere debet, pro posse, omnes cognitiones scientificas et technicas.

Resp.: Sic emendatur lin. 13: « ... sua praesentia et peritia ac supernaturali... ».

Caput I

1) Pag. 6, n. 1: Em.mus Card. Ruffini: verba « indigentia et egestas » non satis significant omnes formas necessitatum quibus caritas remedium afferre debet.

Resp.: Verum est; attamen 2^{a} paragraphus, lin. 12-18, evolvit ac explicite determinat id quod haec duo verba implicite continent.

2) Pag. 6, n. 1, l. 4: Em.mus Card. Léger: de iustitia sociali sermo fieri deberet.

Resp.: Caput II ea quae oportet hac de re declarat.

3) Pag. 7, n. 4, l. 15: Em.mus Card. Léger: delendum esset verbum « mere », nam conatus humani minime spernendi sunt.

— 43 —

Insuper Em.mus proponit ut huic numero expressio quaedam addatur.

Resp.: Utraque proposita emendatio admittitur. Textus igitur huius n. 4, inde a linea 4 sic legitur: « ... quae ex humano vel sociali impulsu procedit. Actio caritativa, nedum illo impulsu contradicat, eum assumit, promovet ac suscitat ».

Caput II

1) Pag. 9, n. 10, l. 13-14: Em.mus Card. Léger duas emendationes proponit:

a) ut sermo fiat de « securitate sociali », quae ex parte, ab adsistentia sociali differt;

b) ut determinentur limites auctoritatis civilis eiusque relationes cum corporibus intermediis, revocando principium subsidiarietatis.

Resp.: *a*) Emendatur linea 13: « ... adsistentiam et securitatem socialem... »;

b) Textus huius n. 10 in praecedenti relatione, explicitam evocationem principii subsidiarietatis continebat. In ultima tamen discussione plenariae sessionis, antequam suffragium daretur, haec verba deleta sunt, cum unum ex Membris observaverit limites intra quos principium hoc exercetur adhuc obiectum discussionis sint: actio igitur Ecclesiae iuri adhuc discusso Status minime submitti debet.

2) Pag. 9, n. 10, l. 22: Em.mus Card. Léger petit ut addatur: « et foveatur ».

Resp.: Emendatio admittitur. Haec linea 22, igitur sic legitur: « ... Ecclesiae iure civili sanciatur et foveatur ».

Caput IV

1) Pag. 11, n. 15: Em.mus Card. Léger vellet ut in speciali n. dicatur momentum actionis caritativae ex hoc, maxime, pendere, quod amorem erga Deum et proximum exprimit.

Resp.: Ad emendationem accipiendam sufficere putamus hanc ideam in linea 19 addere, quae igitur sic legitur: « Haec enim opera amorem erga Deum et proximum clarius manifestant, evangelici apostolatus... ».

2) Pag. 11, n. 16: Em.mus Card. Léger: Dicatur etiam quod laici operibus caritativis... participant eo quod cognitionem et experientiam habent realitatis temporalis quodque dominium

— 44 —

temporale est locum proprium responsabilitatis et initiativae eorum.

Resp.: Novum textum ad hoc redigere minime necessarium putamus, sive quia n. 16 sufficienter explicitus esse videtur (cfr. pag. 12, lineas 2-3); sive quia haec idea pluribus aliis in locis Constitutionis De Apostolatu Laicorum iam redit...

3) Pag. 12, n. 19: Exc.mus O'Connor vellet ut hic num. prudentiore forma redigatur.

Resp.: Quamvis textus sufficientes cautelas continere videatur, tamen sic emendantur lineae 32-33: « ... discrete quidem ac prudenter, sed... ».

Caput V

1) Pag. 13, n. 22, l. 17: Em.mus Card. Léger: Tollantur verba « nisi gravis inopia pauperis aliter suadeat » etenim textus, sicuti proponitur, supponit quod sunt casus ubi non est attendendum ad dignitatem humanam.

Resp.: Delemus haec verba eaque supplemus ipsis verbis ab Em.mo Card. propositis: « ... exercenda, urgentioribus necessitatibus primarie sublevatis, curandum... ».

2) Pag. 13, n. 22, l. 19: Em.mus Card. Léger: loco « consilia praebere », dicatur « proprias eorum facultates excitare ». Etenim propter dignitatem humanam observandam, actio caritativa debet egentem habilitare ut sibipsi subveniat vel saltem participat suae propriae rehabilitationi; expressio « consilia praebere » talem modum agendi non exprimit et praeterea, iure aut iniuria, est peiorativa.

Resp.: Adduntur (sine pronomine « eorum » quod redundat) proposita verba, actuali expressioni quae nobis necessaria videtur. Lineae 19 sqq. leguntur igitur: « ... qualia sunt: proprias facultates suscitare, opportuna consilia praebere... ».

Caput VI

1) Em.mus Card. Ruffini optaret ut in Capite recolantur « Conferentiae S. Vincentii a Paulo » et « Dominarum a Caritate ».

Resp.: Propositio non admittitur. Notari potest in nostris quattuor fasciculis nos a recolendis personis et Consociationibus apostolatus abstinuisse. Unica exceptio fit quando recoluntur praecise opera S. Vinc., sed solum in nota, pag. 17.

2) Pag. 14, n. 24: Em.mus Card. Léger: dicatur clarius

— 45 —

quod ratio cur actio caritativa debet esse collectiva est quia necessitates hodiernae superant capacitatem seiunctae actionis individuorum.

Resp.: Immutamus ergo hunc n. 24: « Hodiernae hominum necessitates ita singulorum facultates excedunt ut omnino necessarium sit ad maiorem efficacitatem actionis caritativae, unitis viribus procedere, prout caeterum ipsa socialis hominum natura exigit.

3) Pag. 14, n. 27: Em.mus Card. Léger putat alia esse indicanda munera laicorum, quae ab ipso nominantur.

Resp.: Addimus ergo novam paragraphum, post l. 25: « Haec insuper munia laicorum magnopere laudantur: opus ad constituendam legislationem socialem conferre; indesinenter perquirere quaenam sint necessitates pro quibus opera caritativa non exstant ac eadem excitare; item denique fines ac media operum catholicorum iam existentium recognoscere.

4) Infra Em.mus Card. Léger vult ut addatur numerus de laicis qui operam caritatis administrant.

Resp.: In hoc eodem n. 27, post emendationem quae immediate praecedit, hoc additur, uti in 3 paragrapho: « Qui autem resposabilitatem habent in operibus caritativis moderandis, corde magno ipsis operibus sese devoveant, in consilium mandataque Hierarchiae semper animum intendentes, memores exempli S. Vinc. a Paulo qui pauperes " dominos suos " vocabat ».

5) nn. 28-30: Em.mus Richaud optaret ut amplius insistatur supra dependentiam laicorum a Hierarchia, quando agitur de activitate caritativa.

Resp.: Caput II Partis I (Notiones Generales) valet etiam pro hac Parte III, sicut et pro caeteris; quod amplius hic asseritur sufficere videtur.

6) nn. 30-31: Em.mus Léger: « Concilium » de quo loquitur n. 31 deberet tanquam finem primarium habere conservationem et promotionem spiritus vere christiani et proprie caritativi in omnibus operibus caritativis Ecclesiae; semper enim habetur periculum " burocratiam " formare et fovere ».

Resp.: Haec idea in n. 30 inserenda videtur; naturaliter inde n. 31 sequetur. Sic ergo lin. 11 seqq. emendamus: « consilium quod in omnibus adsociationibus caritatis promotionem spiritus vere christiani et caritativi foveat, eorumdem coordinationi efficaciter... ».

— 46 —

7) n. 31: Em.mus Léger: addatur ut finis « Consilii » specialis attentio ad regiones pauperiores.

Resp.: Textus Em.mi Léger prae oculis habito, sic fit emendatio: post lin. 23, additur: « *a*) urgentem actionem caritativam ditiorum regionum erga pauperiores fovere ».

8) n. 32: Em.mi Léger et Richaud vellent specialem numerum pro Religiosis qui operibus caritativis operam dant, ut et ipsi applicent quod hic suggeritur.

Resp.: Textus Commissionis nostrae non directe de Religiosis agit. Exc.mus O'Connor (cfr. Observationes Generales et responsionem nostram) dicit, immerito tamen, ut nobis videtur, hanc partem III non satis laicos respicere.

9) Pag. 16, n. 32: Em.mus Card. Léger vellet ut recolatur munus laicorum etiam in moderandis operibus religiosorum. Etenim laici habent cognitiones vel competentias quas saepe religiosi vel religiosae non habent; et necesse est ut illi laici partem habeant in operibus caritativis religiosorum moderandis, aliter opera religiosa senescunt.

Resp.: Emendatur lin. 11: « ... et patrocinium eis praestanda etiam moderationi participantes atque vocationes... ».

Caput VII

1) Em.mus Card. Godfrey optaret ut insistatur in hoc quod magnum subsidium formationis ad actionem caritativam quadruplex est, nempe: 1) spirituale: sanctitas personalis; 2) doctrinale: scientia doctrinae catholicae; 3) sociale: profundior cognitio condicionum personarum et rerum; 4) formatio professionalis quia competentia fiduciam alit.

Resp.: Tribus primis punctis sufficienter nobis respondisse videtur in nn. 33, 34, 35.

Quoad hoc ultimum punctum saepe illud revocavimus in quattuor schematibus Constitutionis, nec amplius apparet cur iterum speciali ratione sit in hoc insistendum.

Pars IV

Declaratio

In « Notam » amandatur et iam non pertinet ad textum huius quartae partis. Communes et plures emendationes fiunt: cfr. Schema emendatum.

— 47 —

Titulus I - Caput I

1) N. 4, l. 5: Em.mus Léger optat ut addatur: « Maxima ordinis iustitiae ».

Resp.: Rerum expositio transit ab ordine morali naturali ad ordinem ab Evangelio instauratum. Sicque proposita emendatio accipi nequit.

2) Em.mus Card. Léger: quoad observationem supra pro n. 4 factam, desiderium exprimit ut Caput aliquod de relationibus inter Veritatem, Justitiam et Caritatem pertractet.

Resp.: Ad Commissionem Theologicam spectat.

Caput IV

1) Pag. 15, n. 20: Em.mus Card. Döpfner putat hunc num. aptiorem locum in sequenti capite habere.

Resp.: Accipitur. In Capite V, n. 22, l. 27, legatur: « possunt ac tenentur; proinde, ad actionem socialem... »; et sequitur totus textus n. 20.

Titulus II - Caput II

1) Pag. 23, n. 35: Em.mus Card. Léger optaret ut proponatur laicis quae pertinent ad nationes edulibus bonis ac frugibus redundantes ut accipiant iuvenes qui ad nationes progredientes pertinent in eorum scholis et Universitatibus.

Resp.: Quoad generale propositum subveniendi nationibus progredientibus, addatur nota in n. 80.

Quoad quaestionem hic, ab Em.mo Card. Léger positam, addimus: « Relate ad nationes quarum progressiones in actu sunt, catholici curam habebunt omnibus collaborare conatibus ut apud ipsos suscitetur et profundior fiat instructio et educatio iuvenum cuiusvis studiorum ordinis.

Praeterea iuvenes e regionibus progredientibus oriundi libenter admittantur in scholis et Universitatibus praesertim catholicis, ex animo invitentur coetibus christianae iuventutis, et eis familiae quas illustrat christiana traditio mensam et lares patefaciant ».

2) Pag. 24, n. 38: Em.mus Card. Léger proponit ut mutetur titulus et contentum huius numeri. Sermo fiat de « exceptionalibus » et ideo de « sub vel super normam ob causas psychologicas, physicas vel sociologicas ».

Resp.: Sed ita totaliter res immutarentur. Pueri « super

— 48 —

normam » quaestionem minoris gravitatis ponunt quam caeteri; hi enim (« subnormales » est terminus receptus: Congressus Internationalis de his casibus recenter Romae habitus est) specialem attentionem merentur.

3) Pag. 24, n. 38: Em.mus Card. Döpfner quoad hunc numerum: « Non sufficienter ratio haberi videtur illius sectoris publicae educationis, cuius obiectivum est habere cura iuventutis extra familiam et scholam positae. Et textum proponit.

Resp.: Observationem Em.mi Card. Döpfner accipientes in n. 38 addimus novam paragraphum: « Et videant laici, ut christianae educationis principia serventur in illis institutis in quibus deficiente familia, infantes et iuvenes educantur ».

4) Pag. 24, n. 39: Em.mus Card. Döpfner: « Assumantur in hunc textum quaedam elementa de artibus gymnicis ex Appendice Partis II ».

Resp.: Textus n. 39 ostendit conceptum educationis adultorum in tali ordine constitui ut minime opportunum appareat aliquid inserere de artibus gymnicis.

5) Pag. 24, n. 40: Em.mus Card. Ruffini optaret ut melius explicetur quomodo tempore subcessivo continuo accrescente recte uti possibile sit.

Resp.: Opportunum videtur Concilium solummodo de momento quaestionis verba facere, quin ad nimia particularia descendat; secus quaedam magni momenti evolvenda essent, dum, e contra, brevior expositio requiritur.

Caput III

1) Pag. 26, n. 46: Em.mus Card. Léger proponit ut tangatur problema de influxu mercedis patris familiae in quaestionem de permanentia matris domi ad curam filiorum et domesticarum rerum habendam.

Resp.: Textus quem Em.mus Cardinalis proponit accipitur. Legatur in l. 29: « ... satagendum ergo est, praesertim in remuneratione determinanda patris familiae, ne unquam... ».

2) Pag. 26, nn. 25-26: Em.mus Léger optaret ut enumerentur alia et magis particularia argumenta contra laborem mulieris extra familiam.

Resp.: Non videtur opportunum Concilium quaestiones nimis particulares aggredi.

— 49 —

Caput IV

1) Quoad hoc cap. Em.mus Card. Ruffini vellet ut sermo sit de « Relationibus humanis » et de « Relationibus publicis ».

Resp.: Quoad « relationes humanas » huiusmodi expressio nunc designat universalitatem conatuum qui tendunt ad meliorem efficiendas relationes inter diversas personas quae collaborant in iisdem inceptis in eadem professionali activitate; in genere respiciunt praesertim commoda materialia. In n. 52, idem problema consideramus, sed iuxta socialem doctrinam Ecclesiae, quae supra dignitatem personae humanae fundatur, et hoc profundius et latius procedit, et ideo sufficere videtur.

Quoad « relationes publicas », nihil speciatim diximus, quia praeter ea quae in Capite V dicuntur, « De ordine in societate », problemata concreta quae hac hodierna expressione revocantur propria Concilii minime sunt.

2) Pag. 29, n. 50: Exc.mus Cooray putat, ad laboris remunerationem quod attinet, non solum adest officium eorum qui laborem dant sed etiam ipsorum operariorum qui laborem remunerationi proportionatum praestare tenentur.

Resp.: Sic ergo emendatur textus: « In aequa autem laboris constituenda remuneratione, haec etiam perpendantur: quantum singuli ad bona oeconomica gignenda conferant, quae sit condicio inceptus cui operam locant, quid poscat cuiusque civitatis utilitas, quid postremo exigat commune cunctarum gentium bonum ».

3) Pag. 29, n. 51: Em.mus Card. Léger optaret ut magis explicite exponatur id quod in l. 18-19 dicitur et textum proponit.

Resp.: Haec observatio nos ducit ad has immutandas lineas: « Rectores inceptorum, consociationes opificum, cum civili auctoritate cooperentur ut... ».

4) Pag. 29, n. 51: Em.mus Léger optaret ut aliquid ponatur contra excessum automationis quae in discrimen hominis verteret.

Resp.: Hoc nimis particulare est. Numerus 52 sufficere videtur.

Caput V

1) N. 59: Em.mus Richaud: quoddam incitamentum authenticum postulatur erga institutiones professionales quae sub inspiratione christiana vivunt.

— 50 —

Resp.: Novus numerus 59 bis additur, cum speciali referentia ad *Mater et Magistra* (De opificum Collegiis).

« Opificum speciatim conlegia late increverunt et communiter agnoscuntur iuridice; operarios adducere possunt et debent, non iam ad dimicandum, sed potius ad sociam conferendam operam. Proprium eorum obiectum est iura et utilitates operariorum defendere, in iis quae ad remunerationem et conditiones laboris pertinent; quod praesertim fit pactionibus inter opificum et conductorum consociationes initis. Laude digna sunt praeprimis illa conlegia quae vel expressis verbis, vel saltem suo agendi modo, ad doctrinam socialem christianam se referunt. Laudantur quoque opifices illi qui, christianis praeceptis imbuti, operam eximiam navant in aliis conlegiis, quae naturae legibus ducuntur, et Ecclesiae mandatis obtemperandi plenam revera libertatem faciunt ».

2) Pag. 35, n. 61, l. 13: Em.mus Card. Döpfner: cum doctrina de Ordinibus in societate peculiare obiectum sit doctrinae Encyclicarum Romanorum Pontificum, locus forte melius citatur.

Resp.: Ad strictiorem adhaerentiam textui *Rerum Novarum* servandam, addimus, l. 13, Ordines: « ... satagendum est ut Ordines, conlegia, corpora... ».

Caput VI

1) Em.mus Card. Döpfner putat in hoc capite sicut in sequenti nimium momentum progressui scientifico et technico eiusque in culturam influxum tribui. Caeterum pluribus in nationibus non adsunt multi catholici qui possint huiusmodi influxum in haec saepta exercere.

Proponit ergo:

a) ut in n. 63 abolentur paragraphi 1 et 2 quae sic incipiunt: « Scientificas investigationes... »;

b) ut ampliori modo explicentur ea quae de scientiis dicuntur quaedam desumenda ex iis quae in Appendice II Partis dictae sunt « De Cultura ».

Resp.: Delemus par. 2. Textus igitur n. 63 sic incipit: « Nostrae aetatis peculiare est ingens in scientiis ac technicis profectus.

Scientificas investigationes colere bonum est... ».

Quia caput Appendicis cui titulus « De cultura » insertus est in Parte II, secunda propositio accipi nequit.

2) Pag. 38, n. 67: Em.mus Card. Döpfner: hic numerus, uti iacet, parum dicere videtur. Unde aut omittatur, aut ad integrum caput evolvatur ut essentiales respectus a laicis attendendi exhibeantur. Idem sentit Em.mus Card. Léger.

— 51 —

Resp.: Distinctum caput conficere possibile non videtur: en tamen novum textum ampliatum, cuius redactio est ipsius Em.mi Cardinalis Praesidis.

Hic textus finem accipit lineis 21-14 antiqui n. 67.

« Fideles artem, utpote efficax instrumentum ad mentes humanas in Deum erigendas, maximi faciant, totisque viribus iis obsistant qui ipsam in intellectualis ac moralis perversionis causam convertere satagunt.

Qui vero altissimo aestheticae creationis munere a Deo donati sunt, gratos hac de re sese Ei exhibentes thesaurum istum in Illius hominumque servitium offerre ne cunctentur, cum vera ars non modo intimi gaudii fons exsistat, sed etiam schola quae ad elatos sensus animum extruit.

Omnes denique nobilissimam hanc humanae activitatis speciem apprime existiment, artisque magistros plausu ac auxilio prosequantur.

Hoc maxime praestent eis qui artem sacram colunt, cuius proprium est in templis praetiosa subsidia liturgico cultui afferre ac indeficientem quasi sermonem christifidelibus praebere.

Prae oculis habeatur aetatum omnium omniumque gentium ius esse religiosos sensus iuxta proprium insitum afflatum exprimendi.

Reiciant tamen improbatas illas depravationes, a legitima iam ecclesiastica auctoritate damnatas, quae revera potius velut impiae profanationes domus Dei visae sunt ac reapse fuere ».

Caput VIII

1) Pag. 41, n. 71: Em.mus Card. Döpfner proponit ut deleatur par. 1, linea 1-9.

Resp.: Putamus hanc paragraphum retinendam esse quia concretam condicionem describit. Sic etiam alii loci eiusdem generis in aliis capitibus redacti sunt expostulantibus pluribus Commissionis Membris, ea ratione ne videremur loqui nulla praesentium condicionum ratione habita.

2) Pag. 41, n. 72: Em.mus Card. Léger proponit ut quaedam notae addantur...

Resp.: Propositis additamentis prae oculis habitis textum huius numeri sic immutamus: lin. 24 sq.: « ... ordo reipublicae;

— 52 —

omnibus enixe commendantur in his rebus honestas, sensus iustitiae, pietas in patriam, et ad haec... ».

3) Pag. 42, n. 73: Em.mus Card. Léger optaret ut sermo fieret de Corporibus intermediis, commendantes ut publica Auctoritas ea propriae actioni consociet. Notetur functio socialis actionis non tantum personarum sed et consociationum.

Resp. ad secundum punctum: lin. 5 emendamus: « Caveant ne sive singuli sive consociati, nimia a republica... »; quoad primum punctum, n. 61 sufficere videtur.

Caput IX

1) Pag. 47, n. 84: Em.mus Card. Léger exoptat emendationem lin. 8, quae interdictionem omnibus nationibus imponat.

Resp. accipitur. Sic igitur textus lin. 8 legitur: « tam lethalia instrumenta efficaciter in omnibus nationibus... ».

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres, sua qua pollent sapientia, significare an textus schematis huius Constitutionis sit sufficienter emendatus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

DE EMENDATIONE SCHEMATUM CONSTITUTIONUM

DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS
ET
DE STUDIIS ECCLESIASTICIS ATQUE SCHOLIS CATHOLICIS

PARS II

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS - MCMLXII

— 3 —

I

DE EMENDATIONE SCHEMATIS CONSTITUTIONIS

DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

Schema Constitutionis De sacrorum alumnis formandis duas habet partes, quarum prima veluti praeliminaris *de vocationibus ecclesiasticis* fovendis pertractat, altera vero, in sex capita divisa, *de seminariorum ordinatione generali* (prooemium et caput 1), *de institutione spirituali in seminariis* (caput 2), *de disciplina in seminariis* (caput 3), *de ratione studiorum in seminariis* (caput 4), *de institutione pastorali* (caput 5), *de formatione post seminarium perficienda* (caput 6).

Schema decreti *de vocationibus ecclesiasticis* fovendis et schema decreti *de ratione studiorum in seminariis* (caput 4 schematis dictae Constitutionis) discussa fuerunt in sessione generali Pont. Commissionis Centralis mense februario 1962 habita et emendata sunt a nostra Subcommissione die 18 iunii eiusdem anni.

Capita 1, 2, 3, 5 et 6 dictae Constitutionis examini Pont. Commissionis Centralis subiecta sunt die 12 iunii 1962 et nunc a nostra Subcommissione sunt emendanda, prae oculis habitis observationibus sodalium Pont. Commissionis Centralis et responsis eis datis a Pont. Commissione de studiis et seminariis, quae infra habentur.

Prooemium et Caput I

DE SEMINARIORUM ORDINATIONE GENERALI

Observ. praevia: In aliquibus observationibus (cfr. Observ. Gen. IV, VII, VIII) plus minus explicite insinuatur, multa vel plurima ex his schematibus *non esse materiam Concilii, sed per competentis Dicasterii instructiones esse determinanda.*

Resp.: Secundum hoc principium quasi tota materia pro Concilio praeparata deberet remitti ad S. Sedis Organa ordinaria.

— 4 —

a) Summus Pontifex autem sat clare suam voluntatem manifestavit, proximum Concilium Oecumenicum non tantum de aliquibus prorsus extraordinariis argumentis agere debere, sed universim de maioribus quaestionibus quae vitam Ecclesiae in hodierno mundo tangunt. Hac intentione supposita, Concilium omnino agere debet de formandis Ecclesiae sacerdotibus.

b) Praeterea si vel obiter inspiciuntur vota Episcoporum pro Concilio missa, elucet *innumeros* Praesules quaestiones de Seminariis et de formandis sacerdotibus a Concilio funditus examinandas esse censere. Unum exemplum offeratur: « Disciplina et institutio tam scientifica quam ascetico-apostolica clericorum habenda est inter potiores ne quidem forte potissima quaestio ex iis quae in Concilio examinanda venient » (Ep. Huelvensis).

c) Notetur denique ipsam Commissionem Centralem, cum explicita Summi Pontificis approbatione, Commissioni de Studiis et Seminariis commisisse munus tractandi de institutione spirituali, de disciplina, de ratione studiorum, de institutione pastorali in Seminariis, secundum hodiernas necessitates, prae oculis habitis hodiernis periculis et erroribus.

OBSERVATIONES GENERALES ET RESPONSA EIS DATA

A) Plures Observationes Generales (v. gr. II, III, IV, VI, VII, VIII, XI propositae ab Em.mis Micara, Frings, Siri, Garibi, Richaud, Coussa et ab Exc.mo Alter) postulant *breviorem* schematum *redactionem*.

Resp.: Quaedam abbreviatio reapse desiderari potest. In praesentibus adiunctis autem illa redactio brevior non est tentanda.

a) Imprimis tempus sufficiens iam non prostat ad hanc novam redactionem faciendam, cum non parvus labor requiratur pro opere omnia quae servari debent ex his schematibus educendi, apte ordinandi, breviter dicendi.

b) Praeterea dubium est num nova brevior redactio quae ab aliquibus desideratur, aliis quoque placeat. Patres insuper generale tantum desiderium brevioris redactionis protulerunt; si aliquid in concreto tollendum indicassent, iam acta fuisset de concordia inter illos quoque qui breviorem formam petiverunt.

c) Denique Patres Commissionis Centralis non paucas novas additiones petunt in singulis capitibus (v. gr. Prooem. III; Cap. I, art. 2, III; art. 3, II-IV; art. 6; art. 8, II *b*-V; art. 9; art. 10, III; - Cap. II: art. 3, III-IV; art. 8, II etc.). In observatione generali XI e. gr. desideratur schematis abbreviatio et

— 5 —

simul petitur, ut principia in schemate contenta roborentur « methodis in specie determinatis », quo schema omnino longius redderetur.

Quare melius videtur hanc quaestionem ad Commissionem Conciliarem remittere, quae secundum ipsorum Concilii Patrum votum conficiet definitivam redactionem, breviorem vel longiorem.

B) Aliae Observationes Generales (V, IX — Em.mi Léger, Bea) petunt, ut in schematibus separatim agatur de Seminariis maioribus et de Seminariis minoribus et Institutis plus minusve aequipollentibus.

Resp.: Re a Commissione praeparatoria mature ponderata, opportunum visum est principia generalia ad virum ecclesiasticum hodiernis in adiunctis rite formandum statuere. Quae quidem imprimis in Seminariis maioribus vel proprie dictis applicanda sunt. Sed congrua congruis referendo etiam pro Seminariis minoribus et Institutis similibus valere censenda sunt.

Ubi autem videbatur necessarium, particularis ratio habita est conditionum in Seminariis minoribus vigentium: ex professo in Cap. IV (De ratione studiorum) et in Cap. V (De Institutione Pastorali) et in Cap. I huius Constitutionis, art. 2 (pag. 9, lin. 21-29); art. 8 (pag. 12, lin. 23-25); cfr. insuper emendationes ab hac Commissione praeparatoria propositas in art. 10 (pag. 14, linea 4 et linea 14).

De cetero, distinctis circa Seminaria minora decretis propositis, schemata certo non fierent breviora, e contra. Denique ob easdem rationes, de quibus supra ad A, respondendum videtur mutationem structurae schematum committendam esse ipsi Commissioni Conciliari, si eam opportunam censuerit.

C) Alia maior transformatio schematis postulatur ab Observatione Generali XVI (Exc.mus Hurley): ut indoles pastoralis totius formationis seminaristicae magis eluceat, tollatur totum Caput V eiusque praescriptiones integrentur in aliis Capitibus.

Resp.: *a*) Admittitur finem pastoralem debere penetrare omnia in Seminario. Etsi hoc iam in schematibus elucet, in Cap. I, art. 1 (pag. 9, lin. 12 sq.), explicitius dici potest: « ... induant, Eius opera imitari incipiant *et veri pastores, ad Divini Pastoris imaginem, conformentur* ».

b) Altera ex parte omnino retinetur utilitas agendi de formatione pastorali in particulari Capite (cfr. etiam « Statuta Generalia » adnexa Constitutioni Apostolicae « Sedes Sapientiae »).

— 6 —

c) Insuper haec mutatio radicalis reiicitur ex rationibus iam expositis ad A et B.

D) Ex Observationibus Generalibus restant considerandae:

XII: Instituatur « annus introductionis » ante cursum philosophicum (Bernard).

Resp.: Provisum est in Cap. II, art. 4 (pag. 7, lin. 27-32).

XIII: Praeferatur (in praeparandis sacerdotibus) selectio adultorum prae selectione puerorum (Ngô-dinh-Thûc).

Resp.: Ecclesia debet utramque methodum adhibere, prout etiam gratia divina diversos in diversa aetate ad sacerdotium Christi participandum invitat.

Observationes particulares et responsa eis data

Plura emendamenta modum loquendi et interpunctionem respicientia (Sépinski):
Libenter acceptantur — vide Emendamenta.

Art. 1

I et II *a*): nomen « Seminarii » reservetur institutis cleri dioecesani (Ferretto, Ruffini; concordant Copello, Siri, Montini, Caribi, Léger, Gori, Antezana, Šeper, Bazin).
Potest acceptari — vide Emendamenta.

Resp.: Sed duo animadvertuntur:

a) Nomen *Seminarii* certe primario ad clerum saecularem refertur; at secundum antiquam et constantem traditionem, etiam recenter a S. Sede probatam (Responsum Commissionis Cardinalitiae diei 14 novembris 1955) etiam a religiosis usurpari potest, dummodo clarum additamentum addatur (cfr. Observationem Em.mi Cardinalis Valeri - Obs. III, ad art. 1).

b) Etsi Constitutio praevalenter ad clerum saecularem respiciat, ex intrinseca catholici sacerdotii unitate principia valida pro omnibus utriusque cleri alumnis formandis continet, iis quae unicuique sunt propria, opportune aptandis vel addendis.

Quodsi nunc Schemata expresse ad solum clerum saecularem restringuntur, expungenda sunt quae ad clerum regularem pertinent (e. gr. in cap. IV « De ratione studiorum », art. 5).

II *b*): Inseratur « sub Episcopi regimine » (Ruffini — accedunt iidem ac in II *a*).

— 7 —

Resp.: Acceptatur, solummodo insertio expressionis iam fiat in linea 3. — Vide Emendamenta.

IV *a*): Detur definitio vel descriptio Seminarii (Silva Henriquez).

Resp.: Definitio non videtur opportuna. Omnia elementa essentialia exhibentur in ipso schemate.

IV *b*): Schemata tantum de Seminariis maioribus agant (Silva Henriquez).

Resp.: Sicut iam dictum est ad Observationes Generales V et IX.

Art. 2

I: Vocationes tardivae post tirocinium speciale pro studiis redimendis una cum ceteris in Seminario maiore formantur (McIntyre).

Resp.: Iam provisum est in schemate ad mentem Em.mi Domini (pag. 10, linea 1-2).

II *a*): Habeatur ratio particularium conditionum, ubi loco Seminariorum minorum habentur collegia idem munus ac seminarium minus explentia (Léger).

Resp.: Acceptatur — vide Emendamenta, pag. 9, linea 17.

II *b*): Dicatur: « conformatio ad perfectionem evangelicam » (Léger).

Resp.: Cum sermo sit de pueris in Seminario minore, expressio proposita videtur nimium postulare. De cetero verba « *religiosa conformatio* » habentur in Adhortatione Apostolica *Menti Nostrae,* loco citato.

II *c*): pag. 10, linea 2: dicatur: « curriculum studiorum mediorum *tantum* » (Léger).

Resp.: Schema cum mente Em.mi Obiicientis consonant. Illud « tantum » autem ne introducatur, quia existunt casus particulares, e. gr. « Collegium Beda » in Urbe.

II *d*): pag. 10, linea 5 dicatur: « nulla autem circa idoneitatis normas, *tam quod intellectualem quam spiritualem formationem attinet,* exceptione facta » (Léger).

Resp.: Etsi propositio Em.mi apparenter plus postulare videtur, de facto textus schematis, cum idoneitatem in universo spectet, ad alia etiam requisita extenditur, non tantum ad idonei-

— 8 —

tatem intellectualem et spiritualem. Cfr. nr. 8, pag. 12, linea 33 ss.

III *a*): Sermo sit de munere familiae in vocatione fovenda; *b*): Seminarii minoris statuatur finis diversus a Seminario maiore, scilicet ut formetur bonus iuvenis christianus (Döpfner, concordant ut supra ad Prooemium n. II).

Resp.: ad *a*) Iam provisum in schemate « De vocationibus ecclesiasticis fovendis » (pag. 6, linea 20 ss.).

Ad *b*) Haec sententia da unum extremum inclinatur, dum alii in oppositum extremum abierunt, Seminarium minus iam Maiori aequiparantes. Textus schematis voluit consulto mediam viam eligere.

IV: Desideratur duplex schema, de seminariis minoribus et maioribus distincte agens (O'Connor: concordant Tisserant, Copello, McIntyre, Léger).

Resp.: Iam provisum est in Resp. ad Observationes Generales V et IX.

Nota particularis ad supra recensitam Observationem II *a*) (Léger):

Ut peculiaribus conditionibus diversarum regionum consulatur, insuper sequens fiat additamenutm in art. 2:

Pag. 9, linea 17 dicatur: « ... etiam quae vocantur minora *necnon ea particularia collegia quae pro locorum adiunctis eidem fini, eadem ratione inserviunt,* aptissima sunt... ».

Quodsi haec formula videtur nimis favorabilis pro illis collegiis, quae in diversis nationibus seminariorum minorum locum tenent, proponitur alia solutio: inseratur scilicet in pag. 9, linea 21, post verba « Episcopis ea enixe commendat » sequens additamentum: « ..., minime neglectis aliis studiorum humaniorum institutis, quibus pro locorum adiunctis vocationes sacerdotales apte praeparantur ».

Art. 3

I: pag. 10, linea 13 dicatur « a S. Sede approbatas » (Ruffini; concordant: ut supra ad cap. I art. 1, n. II).

Resp.: Observatio acceptatur, etsi a pluribus proponitur opportunitas revidendi huiusmodi normas; proinde electa erat forma « approbandas ».

II: Proponitur formula quae omnino fortius fovet erectionem Seminariorum interdioecesanorum et regionalium (Léger; concordant ut ad Prooemium n. I).

— 9 —

Resp.: Commissio concordat cum Em.mo Obiiciente quoad utilitatem Seminariorum regionalium; conferantur etiam ea quae habentur in Cap. IV huius Constitutionis « De Studiorum Ratione in Seminariis », nr. 4: « Adsit quoque congruus alumnorum numerus; quo deficiente, alumni in sedes communes cum aliis sacrorum alumnis coniungantur, ut solidae alumnorum institutioni, quae *in hac re suprema lex est habenda,* efficacius consuli possit ». Hae commendationes videntur sufficere, nam prae oculis habenda est etiam quod plures existunt nationes, ubi, data dioecesium magnitudine, nulla est ratio instituendi seminaria interdioecesana etc.

III: Proponitur nova formula qua Episcopi regionis in *unum* Praesulem delegant potestatem in Seminarium regionale (Silva Henriquez).

Resp.: Decretum consulto modo generali ad normas a S. Sede datas (vel dandas) remittit. Pius X e. gr. in Constitutione Apostolica *Susceptum inde* d. 25 martii 1914 de Seminario maiori in Calabriis statuit, ut coetus episcoporum tres eligat Praesules qui adsint Rectori ad consilia ineunda (cfr. *L'Ordinamento dei Seminari da S. Pio X a Pio XII,* Città del Vaticano 1958, pag. 81). Secundum experientiam a S. Dicasterio competenti factam, evitandum est periculum, ne potestas uni soli delegata evadat « dictatorialis ».

IV: Quae hic apponuntur (ab Exc.mo Alter), se referunt ad aliud omnino schema, nempe « De obsequio erga Magisterium Ecclesiae in tradendis disciplinis sacris », Caput I, Notiones fundamentales.

Art. 4

Nulla observatio.

Art. 5

I: Dicatur in pag. 11, linea 12: « sub Episcoporum *ductu* » (Ruffini; concordant ut supra ad Cap. I, art. 1, n. II).

Resp.: Libenter annuitur — vide Emendamenta.

II: In pagina 11, linea 8 addatur « psychologica » (Léger; concordant ut ad Prooemium n. 1).

Resp.: Libenter acceptatur — vide Emendamenta.

— 10 —

Art. 6

I: *a*) Pagina 11, linea 22 dicatur: « pastorali experientia *opportune renovata* ».

b) Eadem linea addatur « necnon animi ornamentis quae a natura requiruntur » (Léger: concordant ut ad Prooemium n. 1).

Resp.: ad *a*) Res melius indeterminata remaneat, quia secundum experientiam S. Dicasterii timendum est etiam oppositum periculum, ne nimia operositate apostolica munus docendi damnum patiatur.

Ad *b*) Schema quod secundum votum plurium abbreviari deberet, non potest omnia explicite ponere. In « prudentia » includuntur etiam illae dotes quae a virtutibus naturalibus procedunt.

Art. 7

Pagina 12, linea 2 dicatur: « ... oboediat, quia in formatione sacerdotali tradenda, ipsum Episcopum repraesentat » (Léger; concordant ut ad Prooemium n. 1).

Resp.: Si Subcommissioni de Emendamentis hic textus videtur melior, transeat.

Art. 8

I: Timetur, ne a schemate foveatur immoderatus usus peritorum psychiatrarum (Spellman)

Resp.: Hic timor non habet fundamentum in schemate, quod explicite ne de psychiatris quidem agit, sed generaliter de medicis. De cetero in schemate haec commendatio est tam tenuis, ut multis vix sufficere videatur.

II: *a*) Pag. 13, linea 4 dicatur: « ... in scrutiniis *secundum normas a S. C. de Sacramentis statutas...* ».

b) Pag. 13, linea 7 et 8 dicatur: « ... solius *Episcopi* est... » (Ruffini: concordant ut ad art. 1, n. II).

Resp.: ad *a*) Non expedit illa additio, quia eadem pagina 13, linea 24 sq. exoptatur nova compendiosa redactio illarum normarum.

Ad *b*) Electus est modus dicendi minus determinatus, quia etiam inculcandum est, Rectorem quoque et Directorem spiritus debere iudicare de idoneitate candidati.

— 11 —

III: Pagina 13, linea 19 mutentur verba « catholica Ecclesia lacrimas fundit » (Léger: concordant ut ad Prooem. n. 1).

Resp.: Non videtur, cur debeant evitari haec verba adhibita a Papa Pio XI in Litteris Encyclicis *Ad Catholici Sacerdotii, A.A.S.* 28 (1936) 43.

Art. 8

IV: Non accessibilia sunt documenta pontificia de probanda castitate (O'Connor: concordant ut ad art. 2, n. IV).

Resp.: Etiam ex hac praecisa ratione in ipso schemate (pag. 13, linea 24 sq.) exoptatur, ut normae a S. Sede latae in unico documento apte colligantur.

V: Pagina 12, post lineam 28 addatur: « Fidelissime ab omnibus observandae sunt regulae a Sede Apostolica statutae de admissione in seminarium alumnorum qui iam in alio seminario indigni vel non idonei inventi sunt » (Alter).

Resp.: Additio potest accipi; sed clausula finalis sic mutanda est: « ... alumnorum qui ex alio Seminario egressi sunt ».

Art. 9

Pagina 13, linea 29: Principium sententiae tutioris in alumnis admittendis sequendae non debet conducere ad retinendos tardos, phlegmaticos etc.

Resp.: In schemate urgetur particularis psychologica et paedagogica conformatio Superiorum Seminarii, praecise etiam, ne tali modo decipiantur.

Art. 10

I: Statuta Seminariorum sint tantummodo in manibus moderatorum (Ruffini: concordant ut art. 1, n. II).

Resp.: Principium sic formulatum non est admittendum. Tamen in n. 10, pag. 14, post lineam 20 addetur nova sententia qua particulare directorium pro superioribus et magistris commendatur.

II: Nihil dicendum de observatione Em.mi McIntyre.

III: Pagina 14, linea 23 dicatur: « per expertos, prudentes, *et ad hoc praecipue deputatos,* ecclesiasticos viros... » (Silva Henriquez).

Resp.: Non videtur opportuna haec coarctatio.

— 12 —

Attendantur *emendationes* ab ipsa Commissione Praeparatoria ad art. 10 propositae.

Art. 11

I: Exprimatur ius et obligatio *Episcopi* Seminarium visitandi (Léger: concordant ut ad Prooem. n. I).

Resp.: Annuitur — vide Emendationes.

II et III: et IV (per modum unius):
Visitatio Apostolica periodice peragenda non est opportuna (Coussa, Maximos IV Saigh, Lefebvre: concordat Rakotomalala).

Resp.: Utilitas huius Visitationis periodicae abunde constat. Sed potest ratio haberi particularium conditionum Ecclesiarum orientalium, ubi habentur Patriarchatus. Addatur igitur in pag. 14, linea 26: « In Ecclesiis vero Orientalibus haec particularis Seminariorum visitatio a Patriarchis exercenda erit ».

EMENDATIONES

Ad Prooemium

Pagina 7, linea 1, post « Redemptor » mittitur virgula « , ».
Pagina 7, lineis 5-6, sic modificatur textus: « Apostolis etenim *iisque qui* in sacerdotio *succederent,* potestatem... ».
Pagina 7, linea 12, tollatur verbum « semper ».
Pagina 7, linea 15, loco « nihil fortasse magis per saeculorum decursum » dicatur « *etiam* ».
Pagina 7. linea 16, tollatur verbum « , quam » cum virgula praecedenti.
Pagina 7, linea 22 loco « Seminaris » debet esse « Seminari*i*s ».

CAPUT I

Ad Art. 1

Pagina 9, linea 3, addatur: « ... institutione, *sub Episcopi regimine,* ita excolere... ».
Pagina 9, linea 12, loco « Eiusque » dicatur « *Eius* ».
Pagina 9, linea 13, post « incipiant » tollatur punctum et addatur: « *et veri pastores, ad Divini Pastoris imaginem, conformentur* ».
Pagina 9, post lineam 13, addatur (post praecedentem textum insertum): novum a linea: « *Seminariorum vero nomine, nulla addita specificatione, ea tantum significantur instituta, quae clero saeculari seu dioecesano efformando destinantur* ».

— 13 —

Ad Art. 2

Pagina 9, linea 17, addatur: « ... minora *necnon ea peculiaria collegia quae pro locorum adiunctis eidem fini, eadem ratione inserviunt,* aptissima... ».

Ad Art. 3

Pagina 10, linea 13, loco « approbandas » dicatur « *approbatas* ».

Ad Art. 4

Nulla emendatio.

Ad Art. 5

Pagina 11, linea 8, post verbum « spirituali » inseratur « , *psychologica* ».
Pagina 11, linea 12, loco « auspiciis » dicatur « *ductu* ».

Ad Art. 6

Nulla emendatio.

Ad Art. 7

Pagina 11, linea 36 ita dicatur: « ... compaginati ita *inter semetipsos* unum ex... ».

Ad Art. 8

Pagina 12, linea 16 invertitur ordo verborum: « ... ex fine *a communi* collegio... ».

Ad Art. 9

Nulla emendatio.

Ad Art. 10

Pagina 14, linea 4 sic sonare debet: « ... Sancta Synodus ut *non solum* in unoquoque Seminario *maiore, sed etiam in Seminariis minoribus vel Institutis, quae eisdem pro locorum adiunctis aequiparantur,* Statuta... ».
Pagina 14, linea 14, loco « etiam » dicatur « ... habeantur *institutorum peculiaris natura, alumnorum aetas,* regulae... ».
Pagina 14, post lineam 20, novum a linea adiungatur: « *Sancta Synodus denique valde commendat ut in unaquaque natione aptum directorium exaretur quo Seminariorum superioribus et magistris in propriis muneribus explendis efficaciora*

— 14 —

principia et consilia, praecipue de re paedagogica, suppeditentur ».

Ad Art. 11

Pagina 14, linea 22, post titulum Articuli, sic incipiat: « *Firmis manentibus iure et obligatione Episcopi in proprio Seminario visitationem canonicam peragendi,* statis periodis... ».

Pagina 14, in fine lineae 26 adiungantur: « *In Ecclesiis vero Orientalibus haec particularis Seminariorum visitatio a Patriarchis exercenda erit* ».

Ad Notas:

Pagina 17, in prima linea notae 11) mendum typographicum invenitur « Motu Propiro », loco « Prop*rio* ».

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignetur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, significare an textus schematis primi capitis Constitutionis de Sacrorum alumnis formandis sit sufficienter emendatus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

— 15 —

Caput II

DE INSTITUTIONE SPIRITUALI IN SEMINARIIS

Observationes praeviae et responsa eis data

I: Imprimis in hoc capite separatim agendum de Seminariis minoribus et maioribus (Léger; concordant ut supra ad Prooemium, n I).

Resp.: Iam provisum est in Responsione ad Observationes Generales B (V, IX).

II: Inculcetur intima necessitudo inter institutionem spiritualem et formationem intellectualem. Caput praeterea inscribatur: « De Institutione *Morali* » (O'Connor: concordant ut supra ad Cap. I, art. 2, n. IV).

Resp.: Huic desiderio *abunde* provisum est in his schematibus:

Cfr. Cap. I, art. 6;

Hoc Cap. II, art. 2 (pag. 5, lin. 23 ss.): « A ceteris quoque Seminarii moderatoribus et magistris... alumni iuventur in arctissima inter scientiam praecipue sacram et vitam spiritualem percipienda unitate, ... etc. »;

Cap. IV (De ratione studiorum...) art. 14 (pag. 6, lin. 19 s.); art. 19 (pag. 8, lin. 1-6);

Cap. V (De Inst. Pastorali) art. 4 (pag. 9, lin. 19-21).

Quod titulum attinet, Commissio praeparatoria rem iam attente consideravit et titulum « Institutio *Spiritualis* » omnino praeferendum esse censuit.

II: Variae proponuntur emendationes grammaticales (Sépinski).

Resp.: Acceptantur, excepta ultima.

Art. 1

I: Afferantur testimonia etiam ex Patribus orientalibus pro inculcanda sacerdotali sanctitate (Maximos IV Saigh: concordat Rakotomalala).

— 16 —

Resp.: Decreta imprimis testimonia ex Verbo Dei desumpta afferre voluerunt; sed observatio utiliter prae oculis haberi potest a Commissione Conciliari in decreto definitivo redigendo.

Art. 2

I: Pagina 5, linea 14 inseratur: « ... et Spiritu Sancto, *mediante Ecclesia,* vivant familiari et assidua societate » (Léger; concordant ut ad Prooemium, n. I).

Resp.: Dimensio ecclesialis abunde exprimitur, in primis art. 6 *c,* pag. 11, lin. 2-13.

Art. 3

I: Observationes Em.mi Léger, cum quo concordant ut ad Prooem., n. I:

a) Pagina 6, lin. 8 dicatur: « ... Christum crucifixum, *resurrectum* eumque datum... ».

Resp.: Mysterium Resurrectionis et exaltationis Christi includitur in expressione « eumque datum caput supra omnem Ecclesiam... », sed observatio acceptari potest; evitata tamen formula « resurrectum », dicatur: « ad dexteram Patris exaltatum eumque... ».

b) Pagina 6, linea 14 dicatur: « ... ut dominicae mortis *et triumphi* celebraturi... ».

Resp.: Additio est reicienda; agitur enim de citatione litterali ex Pontificali Romano, in ordinatione Presbyterorum.

c) Pagina 6, linea 28-29 exigatur a Moderatore spiritus etiam studium sacrae liturgiae et theologiae pastoralis.

Resp.: Acceptari potest. Schema autem brevius redigendum continuo longius fit.

d) Exoptatur « ut plures dentur in Seminario moderatores spiritus ».

Resp.: Observatio non est acceptanda. Modus dicendi in schemate adhibitus, fructus patientis elaborationis, servat aequilibrium inter diversa systemata in Seminariis hac in re vigentia. Ordinatio in seminariis sulpicianis a schemate agnoscitur, sed minime praescribenda est qua unica norma. — Tamen pagina 6, linea 38 adiungatur: « Alumnis autem commendetur, ut stabilem moderatorem spiritus eligant cui eorum conscientia prorsus aperta sit et qui utiliter sit simul eorum confessarius ordinarius ».

— 17 —

e) Optatur ut moderator spiritus sit etiam confessor ordinarius.

Resp.: Iam provisum est in praecedente responsione.

II: Pagina 6, linea 8 exprimatur totum Mysterium paschale (Richaud, concordant ut ad Observ. Gen. n. VII).

Resp.: Provisum est in Responsione ad I *a*).

III: Pagina 6, linea 32 explicite dicatur, exhortationes et meditationes moderatoris spiritus a S. Scriptura penetratas esse debere (Döpfner; concordant ut ad Prooem. n. IV).

Resp.: Optimum consilium, sed iam continetur in commendatione studii S. Scripturae.

IV: Desideratur praescriptum magis explicitum habendi et colendi Moderatorem spiritus.

Resp.: Iam provisum est in Resp. ad I *d*); vide Emendamenta ad paginam 6, lin. 38.

Art. 4

I: Particulares periodi impensioris formationis spiritualis in Decreto generali tantum commendatione proponi debent (Spellman).

Resp.: Reapse, tali modo res in schemate proponitur.

II: *a*) Pagina 7, linea 33-36: dubitatur de opportunitate loquendi de ministeriis et officiis a diaconis in paroeciis forsan obeundis.

b) Vesperae et Laudes non videntur praeferendae Primae et Completorio (Ruffini; concordant ut ad Cap. I, art. 1, n. II).

Resp.: ad *a*) Iudicium dependet ab iis quae in decretis ab aliis Commissionibus propositis statuuntur. Non obliviscendum est, plurimos Episcopos huiusmodi tirocinium in votis pro Concilio missis exigisse. Et cfr. sequentem observationem V, ubi Exc.mus Cooray, concordante Lefebvre, conqueritur, in schemate illud diaconorum tirocinium non sufficienter commendari vel praescribi. De facto schema hac in re nihil imponit, sed possibilitatem tantum innuit, quae auferenda non est.

Resp.: ad *b*) Omnes in re liturgica experti sciunt, Laudes et Vesperas et quoad primatum primogeniturae et quoad intimiorem connexionem cum mysteriis durante anno liturgico celebrandis et quoad nobilitatem et momentum orationum in ipsis contentarum, omnino praeferendas esse.

— 18 —

III: *a*) Proponitur nova redactio primae paragraphi articuli 4.

b) Non placet id quod dicitur de diaconis in II paragrapho (Léger; concordant ut ad Prooemium, n. I).

Resp.: ad *a*) Redactio maneat sicut est. Ipsa commendatio est aequilibrata; nihil praecipitur; adiuncta locorum et conditionum respicienda esse statuitur.

Ad *b*) Iam provisum est in Resp. ad II *a*).

IV: Studia philosophica vel theologica durante particulari periodo spirituali non debent suspendi (Godfrey).

Resp.: Decretum hoc ipsum praevidet.

V: De diaconorum ministeriis in paroeciis explendis explicitius quid praecipiendum est (Cooray).

Resp.: Iam provisum est in Resp. ad II *a*).

Art. 5

I: Pagina 9, lin. 26: « vitas sanctorum *secundum authenticam historiam...* » (Léger; concordant ut ad Prooem., n. I).

Resp.: Observatio hodie iam per se patet. Ergo nihil addendum ad textum schematis, qui *brevior* debet fieri.

II: *a*) Ne insistatur in confessione hebdomadaria.

b) Ne vita in Seminariis oneretur nimiis devotionibus (Döpfner; concordant ut ad Prooem., n. III).

Resp.: ad *a*) Attentis documentis pontificiis Commissio censet, textum esse servandum. Mechanismus evitandus ex apta instructione theologica de dimensione imprimis etiam ecclesiali huius sacramenti et ex pesonali directione spirituali.

Ad *b*) Tenor schematis ponit in centro essentialia (sacrificium eucharisticum) et inculcat cetera sic ordinanda esse, ut ad illud centrum vitali modo conferant.

III: S. Scripturae ne detur ultimus locus sub *d*) (Alfrink).

Resp.: Ordinatio in articulo 5 non est secundum dignitatem; sub n. 5 enumerantur fontes scripti vitae spiritualis.

Art. 6

I: Ad pag. 9, lin. 32-35 proponitur novus textus (Döpfner: concordant ut ad Prooem., n. II).

— 19 —

Resp.: linea 34 sq. potest dici, si placet: « ... fides, spes, caritas, ad quas alumni vigilantissimis comparentur curis ».

II: In pagina 11, linea 11, loco « oecumenicum » dicatur: « zelo apostolico erga Christianos separatos plenum » (Browne: concordant Tisserant, Tappouni, McGuigan, Léger, Heard, Antezana, Campbell, Cooray, Lefebvre, Janssens).

Resp.: Pro Concilio parata sunt duo schemata de « *Oecumenismo* ». Ergo non videtur evitandus iste terminus, cuius sensus vere catholicus praecise in illis schematibus aperitur et circumscribitur.

Art. 7

Pagina 11, linea 30, dicatur: « methodos quos tenent naturalismus et hedonismus » (Léger: concordant ut ad Prooemium, n. I).

Resp.: Remaneat textus. Nullum est Seminarium, ubi adhibentur methodi quas tenent ex professo naturalismus et hedonismus.

Art. 8

I: Pagina 12, in fine paragraphi de castitate addatur aliquid de amore, qui per coelibatum non perditur, sed augetur (Léger: concordant ut supra ad Prooem., n. I).

Resp.: Conceptus iam exprimitur in pag. 12, linea 17 sq. et lin. 26 ss. Insuper inseratur in linea 16: « ... integra animae et corporis deditione Domino inserviunt, vere spirituale cum Ipso connubium ineunt atque... ».

II: Synodus hoc in loco directe alumnos alloquatur (Cento: concordant Garibi, Sépinski).

Resp.: Etsi ideae expressae sint verae, non videtur haec insertio opportuna in Decreto conciliari.

III: Instructiones catechumenorum mulierum vel puellarum a sororibus dentur (Godfrey).

Resp.: Decretum conciliare ad nimis particularia descendere nequit.

IV: Explicite dicatur oboedientiam non tollere « initiativam » (Döpfner: concordant ut ad Prooem., n. III).

Resp.: Res iam affirmatur in hoc schemate (cfr. pag. 13, lin. 2-5, et lin. 22-26) et in schemate de Disciplina (art. 8,

— 20 —

pag. 8, lin. 32 ss. et art. 9, pag. 9, lin. 27-39) et de « Institutione Pastorali » (art. 3, pag. 8, lin. 25-28).

V: Quae pag. 12, sub littera *b*) de coelibatu dicuntur, fusius et adhuc magis positive proponantur, inserendo plura ex nota 23 in ipsum textum (Alfrink).

Resp.: Provisum est ex parte iam in Responsione ad I, adiungendo scilicet in linea 16: « ... vere spirituale cum Ipso connubium ineunt atque... ». Insuper linea 19 post verbum « Exercendam » haec sententia inseri potest: « Plene igitur alumni compertum habeant, coelibatum ecclesiasticum non importare aliquid mere negativum id est matrimonii renuntiationem, sed aliquid positivum quo totus homo, anima et corpore, Deo consecratur et omnibus hominibus Christi amore diligendis devovetur ».

VI: Tractatus de « sexto » debet dari sufficienti tempore ante subdiaconatum, ut alumni mature deliberare possint (Bea).

Resp.: Concilium ad huiusmodi particularia descendere nequit.

VII: Habeatur tirocinium practicum « in contactu ministeriali cum populo fideli » ut clerici ante sacerdotium probentur in relationibus cum personis alterius sexus (Browne: concordant ut supra ad art. 6, n. II).

Resp.: Decretum saltem possibilitatem huiusmodi probationis providet in n. 4, pag. 7, lin. 32-36. Sed praescriptio dependet a decretis aliarum Commissionum. Et, proh dolor, neque desunt, qui in Commissione Centrali omnino respuunt iam solam huiusmodi probationis possibilitatem.

VIII: In pagina 12, linea 14 ne dicatur: « Ecclesiae ritus latini sacerdotes », quia coelibatus, etsi non omnibus impositus, etiam in Ecclesiis Orientalibus summopere honoratur (Maximos IV Saigh: concordat Rakotomalala).

Resp.: Textus in linea 14 sic emendetur: « ... coelibatum ecclesiasticum quo secundum proprias diversorum rituum Ecclesiae leges, sacerdotes... ».

Art. 9

I: Pagina 13, linea 10 ne dicatur « virtutes *humanae* », sine explicatione (Siri).

Resp.: Adhibitur vox sicut adhibita est saepius a Pio Pp. XII.

— 21 —

II: In Seminariis praeter Rectorem sint alii Moderatores qui in ipsorum vitam quotidianam accurate invigilent (Browne; concordant ut ad Art. 6, n. II).

Resp.: Schema loquitur de Rectore et aliis Seminarii Moderatoribus. De cetero Decretum ad nimis particularia descendere nequit.

EMENDATIONES

Ad Prooemium (Art. 1)

Nulla emendatio.

Ad Art. 2

Nulla emendatio.

Ad Art. 3

Pagina 6, linea 8: post citationem Ep. ad Galatas inserantur verba: « *ad dexteram Patris exaltatum* eumque... ».

Pagina 6, linea 21: tollitur verbum « olim ».

Pagina 6, lineis 28-29: inseruntur verba: « ... Scripturarum *et Sacrae Liturgiae* studium, theologiam dogmaticam, spiritualem *et pastoralem* imprimis... »; in linea 29 tollitur verbum « et », cuius loco ponitur virgula.

Pagina 6, linea 35: loco « Immo » ponatur « *Quare* ».

Pagina 6, linea 38 addatur: « *Alumnis autem commendetur,* ut stabilem moderatorem spiritus eligant cui eorum conscientia prorsus aperta sit et qui utiliter sit simul eorum confessarius ordinarius ».

Ad Art. 4

Nulla emendatio.

Ad Art. 5

Pagina 8, linea 23, tollatur verbum « olim ».

Ad Art. 6

Pagina 10, lineis 3-4, sic fiat interpunctio: « ... assuefiant ut, sacerdotio aucti, mundo... ».

Ad Art. 7

Nulla emendatio.

— 22 —

Ad Art. 8

Pag. 12, linea 7, tollatur verbum « olim ».

Pag. 12, linea 14, loco « Ecclesiae ritus latini » dicatur: « *secundum proprias diversorum rituum Ecclesiae leges,* ».

Pag. 12, linea 16, inserantur verba: « ... inserviunt, *vere spirituale cum Ipso connubium ineunt* atque... ».

Pag. 12, linea 23, loco « exigant » dicatur « *exigunt* ».

Ad Notas:

Pagina 15, nota 1), versus finem notae, in citatione Epistulae ad Episcopos Mex., est mendum typographicum: loco « Es tarca muy... » debet esse: « Es tarea muy... ».

Pagina 18, linea 3, loco « novensiles sacerdotes » dicatur: « *noviter ordinati* sacerdotes ».

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollente sapientia, significare an textus schematis huius capitis sit sufficienter emendatus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

CORRIGENDA

in Documentis transmissis cum epistolis Prot. 420/62 (et 423/62)

I. Quoad *Responsiones* ad Observationes circa Schema Constitutionis « De Sacrorum Alumnis formandis », Prooemium et Caput I:

In pagina 4, in fine paginae sub littera C, secunda linea debet legi « Observatione Generali XIV » (non XVI).

II. Quoad *Emendationes* in Constitutione « De Sacrorum Alumnis formandis », Cap. II « De Institutione Spirituali ». Addendum in pagina 2:

Ad Art. 8

Pagina 12, linea 19 schematis supradicti, post verbum « exercendam » haec sententia inseri potest:

« Plene igitur alumni compertum habeant, coelibatum ecclesiasticum non importare aliquid mere negativum id est matrimonii renuntiationem, sed aliquid positivum quo totus homo, anima et corpore, Deo consecratur et omnibus hominibus Christi amore diligendis devovetur ».

— 23 —

Caput III

DE DISCIPLINA IN SEMINARIIS

Art. n. 1

I. « Credo quod, loquendo de opportunitate declarationis de disciplina, aliquid etiam dicendum est de renovatione disciplinae relate ad ipsos alumnos temporis nostri. Non tantummodo considerentur virtutes quae, ob diversas opiniones, deperdi possunt, sed attendatur ad ipsos alumnos, subiectos disciplinae et formationis. Attendatur ad particularem mentalitatem generationum novarum. Moderatoribus commendetur ut animum suum ita intendant ad mentalitatem illam, ut virtutes quae periclitantur serventur utque etiam alentur et crescant vires illae novae quae apud iuvenes temporis nostri providentialiter inveniuntur. De hoc opportune agitur in ipso textu, sub n. 8; tamen, mea opinione, problema hoc etiam enumerari deberet in num. 1 ut motivum positivum praesentis schematis. Etenim hoc inter educatorum problemata enumerandum est quod firma manente necessitate omnes virtutes collendi, ipsa disciplina semper renovanda est » (Léger: concordant ut ad Prooemium n. I).

Resp.: In Commissionis de Studiis et Seminariis discussionibus non paucas obiectiones moverunt quaedam Membra circa « renovationem » disciplinae; dicebant principia semper eadem fuisse et esse, non nimis premendam esse mutatam temporum indolem etc. (quod ex variis schematis redactionibus et ex actis elucet).

Dubium ergo remanet utrum Patribus Concilii placeat haec inter opportunitatis rationes expressa mentio, eo magis quia deinde in variis Decreti locis hoc expresse dicitur, quod Em.mus observans iam ipse notavit.

Si tamen Commissioni emendationis haec additio apparet opportuna aut necessaria, his fere verbis fieri posset:

« ... nequeunt. Novae insuper menti et condicioni adulescentium aetatis nostrae modi disciplinae gerendae accommodandi sunt ».

Art. n. 3

I. « Notetur praeterea quod disciplina etiam ut finem habet efficacius servitium in Ecclesia » (Léger: concordant ut ad Prooemium n. I).

— 24 —

Resp.: Observatio Em.mi Card. Léger videtur suggerere additionem superfluam et ideo non necessariam:

1) Quia hoc « servitium efficacius in Ecclesia » est potius fructus quam finis directus et immediatus disciplinae tempore institutionis seminaristicae;

2) Quia in fine directo, sicut iuxta verba Leonis XIII et Pii X in hoc N. 3 indigitatur, iam, quamvis implicite, hoc « efficacius servitium in Ecclesia » continetur. Quod ceterum postea iteratis vicibus explicatur.

Art. n. 4

I. « Non mihi placet numerum illud de erroribus refellendis. Ea omnia quae ibi praesentantur non sub forma systematis vel doctrinae apud moderatores seminariorum inveniuntur. Sunt potius difficultates vel obstacula quae opportune memorari possunt educatoribus, sed alia sub forma. Vitare debemus declarationes damnatorias quae ad veritatem inquirendam vel methodos rectificandos non alliciunt, sed potius suspiciones favent in seminariis. Idem dicatur sequenti vel simili formulatione:

« *Meminerint moderatores alumnos sibi commissos vulnerari a sequelis peccati originalis eosque non adhuc plene educatos esse sed in via formationis et perfectionis. Rationem habeant educatores de infirmitate humana; tamen ne alumnorum defectibus nimis indulgeant neque obliviscantur iuvenilem infirmitatem roborandam esse ita ut viriliter fortiterque alumni ducantur ad vocationem quae tantum ab eis exigat. Ipsi alumni sciant, se, integra manente libertate conscientiae suae, moderatoribus et magistris opus esse qui libertatem suam manuducant; sciant quoque se obiectivis a normis, non tantum ab intra sed etiam ab extra, regi debere* » (Léger: concordant ut ad Prooemium n. I).

II. « Ad n. 4, pag. 6 lin. 5-31 et correspondentem notam 6: Errorum paedagogicorum temporis irradiationes quaedam certe semper in vitam seminariorum quoque influent. Dubito tamen, utrum revera errores recensiti in seminariis ita ex professo teneantur ab alumnis, ut eorum solemnis damnatio conciliaris necessaria sit. Fortasse hic numerus omitti poterit » (Döpfner: concordant ut ad Prooemium n. II).

III. « Pag. 6, lin. 31: Videntur etiam enumerandi ac reiiciendi errores ex excessu disciplinae, qui spiritum militarem potius generant ac nonnumquam deplorandam duplicitatem. Ita etiam " paternalismus " qui " responsabilitatem " extenuat et dynamismum personale obnubilat, impedit maturitatem virtutis prudentiae, quae maximi momenti est pro morali perfectione in saeculo assequenda » (Silva Henriquez).

— 25 —

Resp.: *In genere*:

Non videtur admittenda opinio eorum qui expressam et explicitam errorum mentionem repudiant:

1) Quia inter argumenta a S. Pontifice ipsi Commissioni de Studiis et Seminariis proposita, ut de iis schemata conficeret, legitur: « *Praecipuis de hac re erroribus reiectis*... aptiores ad clericos instituendos modi... determinentur » (pag. 18, N. III).

2) Quia multi episcopi in suis votis circa argumenta in Concilio tractanda hoc expresse expostularunt.

3) Quia de facto multi ex defectibus, qui hodie in habitu, mente, opere virorum ecclesiasticorum complurium inveniuntur, ex erroribus in hoc numero descriptis radicitus proveniunt.

Utrum ergo hic numerus de erroribus expresse reiiciendis conservandus sit necne, ipsis Concilii Patribus decernendum committatur.

In specie:

Ad I: Textus propositus omnino evacuat errorum reiectionem qua talem, sensum huius numeri plane mutat et iterum dicit quod iam antea et alibi in hoc Decreto expressis verbis dicitur.

Ad II: Ex citatis documentis SS. Pontificum et S. Sedis Dicasteriorum necnon ex votis episcoporum clare patet hos errores de facto et, proh dolor, nimis quam ut negligi possint, hodie influere in ipsam sacrorum alumnorum formationem in utroque clero qui a mundi mente non amplius segregari potest.

Ad III: Errores quos Em.mus Card. Silva Henriquez addendos exoptat, expresse non videntur inter « errores » enumerandi cum non, vel non amplius, ex *doctrina* accepta originem sumant, sed potius ex practica, quamvis erronea, habitudine quorundam Superiorum in quibusdam adhuc regionibus vel Seminariis. Hoc sub aspectu practico reapse iam reiecti apparent in aliis Decreti partibus, praesertim in N. 9 et inter modos, quibus Superiores in disciplinari ratione uti debent.

Art. n. 6

I. « Pag. 8 lin. 3 ss. Testimonium biblicum non affertur accurate. In Epistola Paulina ad Hebraeos deponitur ex Ps. 39 v. 9 s. et ita est, secundum veram translationem ex textu hebraico: " Ecce venio, in *volumine* libri scriptum est de me:

— 26 —

Facere voluntatem tuam, Deus meus, me delectat, et lex tua est in praecordiis meis ". Pulchrius sane quam quod laudatur in schemate! » (Ruffini; concordant ut ad cap. I art. 1 n. II).

II. « Ad pag. 7 lin. 34 sqq.: Citatus locus S. Scripturae ineptus esse videtur, cum instructio a S. Paulo hic data originarie intendit agere de modo, quo servus christianus in Antiquitate sese gerere debuit erga dominum suum » (Döpfner: concordant ut ad Prooemium n. II).

III. « Pag. 7 lin. 34: Citatio Eph. 6, 6 ss., refertur ad servos; non oportet eiusdem ad clericos sensum transferre, qui utpote filios se habere potius decet » (Silva Henriquez).

Resp.: Quoad citationes S. Scripturae:

Ad I: In schemate non citatur Psalmus 39, 9 s., sed Epistola Paulina ad Hebraeos. Ergo textus citandus videtur esse iuxta formam qua *S. Paulus* eum de facto composuit non iuxta formam qua ex sermone hebraico Psalmorum eum vertere *debuisset*. Ceterum schemata pro Concilio exarata iuxta « Vulgatam » textus S. Scripturae afferunt.

Ad II et III: Verum est quod sensus litteralis de « servis » agit; et si hic sensus offendit, absque difficultate omitti potest. Videtur tamen textus, hoc in contextu, ad omnes *subditos* accommodari et ita sine offensione etiam de seminaristis dici posse.

Art. n. 7

I. « Quantum ad n. 7 p. 8 post lineam 21. Utiliter recolerentur hic elementa principaliora quae ad maturitatem alumnorum fovendam conducunt, scilicet:

a) spiritus recollectionis et oboedientiae ex cultu orationis assiduo profluens;

b) commercium cum omnibus aliis in seminario in caritate et prudentia fundatum;

c) humilis conscientia propriae imperitiae simul et necessitatis superioribus et moderatoribus oboediendi et per eos scientiam et sanctitatem addiscendi;

d) toleratio patiens et lepida defectuum in seminario conviventium;

e) hilaris acceptatio cum Christo crucifixo disciplinae clericalis » (Alter).

Resp.: Quae hic desiderantur ab Exc.mo Alter non rem disciplinarem sed potius asceticam tangunt ideoque ad Cap. II Schematis (De Institutione spirituali) referuntur.

— 27 —

Revera, quae magis ad disciplinam accedunt ex his desideratis, iam in Schemate hoc, De Disciplina, habentur, praesertim ea quae sub littera *c*) et *e*) postulantur.

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, significare an textus schematis huius capitis sit sufficienter emendatus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

— 28 —

Caput V
DE INSTITUTIONE PASTORALI

Observationes praeviae et responsa eis data

I: Desideratur legislatio quam maxime singulorum adiuncta respiciens (Spellman).

Resp.: Huiusmodi de facto sunt ea, quae commendantur in Decreto.

II: Instructio et exercitatio apostolico-pastoralis etiam in Seminariis per totum studiorum tempus praecipiantur, sicut pro Religiosis factum est in Statutis Generalibus adnexis Constitutioni Apost. *Sedes Sapientiae* art. 14, par. 3 (Suenens: concordant Tisserant, Liénart, Copello, McGuigan, Léger, Montini, Giobbe, Godfrey, Richaud, Döpfner, Alfrink, Ritter, Silva Henriquez, Heard, Bea, Albareda, Gori, Lefebvre, Hurley, Šeper, Bazin, Bernard, Bernier, Yago, Rakotomalala, Jelmini, Suhr, Sépinski, Janssens).

Resp.: Iam in huius Constitutionis Capite IV (De Studiorum Ratione in Seminariis) art. 18 (pag. 7, lin. 21 ss.) dictum est: « Diligentissime praeterea instruantur in theologia pastorali atque affinibus disciplinis, ut apostolatus artem, temporibus et locis accommodatum, addiscant, nec tantum theoretice, sed etiam practice. Quare, prudenti Episcoporum iudicio, iam durante studiorum curriculo, moderate quidem ne vitae spirituali vel disciplinae vel studiis noceat, simul vero methodice, sub magistrorum peritorum ductu, in praxim pastoralem initientur. Cuius institutionis pastoralis singulare momentum persentiens, Sancta Synodus particularibus normis ei providit ».

In hoc praesenti decreto autem in omnibus curriculi phasibus praescribitur « institutio apostolica, qua educatio et practica formatio », ergo praecise id quod Em.mus Obiciens desiderat. Cfr. art. 2, pag. 7, linea 31 ss.; notetur imprimis, iam pro seminario minore agi de « apostolicae caritatis *exercitiis* » (pag. 8, linea 12). Cfr. etiam art. 3, tota, et art. 8, quod cursum theologicum attinet.

III: Proponuntur variae emendationes grammaticales et interpunctionis (Sépinski).

Resp.: Accipiuntur — vide Emendationes.

— 29 —

Art. 1

I: Pagina 7, linea 20 dicatur: « hominumque flagranti amore... ».

Resp.: Acceptatur.

II: Ad pag. 7, linea 28 addatur: « mens demissa et pessimismus » (Döpfner; concordant ut ad Prooemium n. II).

Resp.: Annuitur sed dicatur: « ... necnon animi demissio ac pessimismus ».

III: Desideratur definitio theologiae pastoralis, descriptio veri nominis pastoris et spiritus quo actio ipsa vere pastoralis evadit (Silva Henriquez).

Resp.: *a*) De theologia pastorali definienda periti hodie iam minime conveniunt.

b) Descriptio veri pastoris abunde datur.

c) De spiritu idem dicatur; cfr. art. 1 et art. 5.

Art. 2

I: *a*) Pagina 8, par. 2 commendetur erectio associationum actionis apostolicae in Seminariis minoribus.

b) Pagina 8, lin. 12 ss. ulteriora statuantur de introducendis alumnis in actionem pastoralem durantibus vacationibus (Léger; concordant ut ad Prooemium, n. I).

Resp.: Essentialia iam dicuntur. Ad nimis particularia secundum votum in Commissione Centrali toties repetitum ne descendatur. Schemata ne reddantur continuo longiora.

Art. 3

I: Studium de doctrina sociali habeatur in cursu *theologico* (Tisserant).

II: Idem sentit Em.mus Ruffini (concordant ut ad Cap. I, art. 1, n. II).

Resp.: Novissimae dispositiones S. Sedis inculcant hoc studium in curriculo *philosophico* saltem inchoandum esse. Cfr. praeterea huius Constitutionis Caput IV (De Studiorum Ratione in Seminariis), art. 12: « Solide etiam instituantur in disciplinis cum philosophia connexis quae Sacerdoti conveniunt, quales sunt scientiae paedagogicae, psychologicae; imprimis vero scientiae sociales quarum studium in curriculo philosophico

— 30 —

inchoandum et deinceps prosequendum est ita ut de iis quaestionibus, quae modernam societatem exagitant, doctrinam socialem Ecclesiae bene cognoscant, eam rite proponere valeant, simul vero ab iis quae ad Sacerdotem non pertinent, abstinere sciant ». Insuper observatio IV (Silva Henriquez) proprie contrarium postulat ac Obicientes in I et II.

III: Explicite praescribantur contactus cum operibus apostolicis dioecesanis et in pagina 9, lin. 1 addatur « culturales ».

Resp.: Annuitur — vide Emendationes.

Art. 4

I: Quae praescribuntur in art. 3, repetantur in art. 4 (Léger; concordant ut in Prooem. ad n. I).

Resp.: Observatio non considerat de exercitiis etc. in curriculo theologico habendis sermonem esse in sequentibus, maxime in art. 8.

II: Pagina 9, linea 4 dicatur: « *ratione* vere scientifica » loco « methodo... » (Silva Henriquez).

Resp.: Potest acceptari.

Art. 5

I: Disciplinae pastorales perficiantur nonnullis exercitationibus practicis (Ruffini; concordant ut ad Cap. I art. 1, n. II).

Resp.: De exercitiis agitur expresse in art. 8.

II: Pagina 10. linea 1 dicatur « Prudentia semper adhibita in novis vocibus seligendis » loco « supervacuis et profanis vocum novitatibus ».

Resp.: Annuitur; sed textus in schemate resonabat *I Tim.* 6, 20. — Vide Emendationes.

III: *a*) Sermo fiat de « diaconia » seu ministerio.

b) Aliquae novitates habent valorem positivum (ad paginam 10, lineam 1) (Silva Henriquez).

Resp.: ad *a*) Idea ministerii pervadit totum Decretum et explicite profertur in art. 6, pagina 10, lineis 29-30.

Ad *b*) Iam provisum est in Responsione ad II.

— 31 —

Art. 6

I: *a*) Magis foveatur formatio ad incepta pastoralia promovenda et suscitanda.

b) Educantur futuri pastores ad audiendos laicos (Léger; concordant ut ad Prooem. n. I).

Resp.: ad *a*) Attendatur accurate ad structuram Decreti, sicut explicatur in nota 1 *d*), pagina 14. Quae ab Em.mo Obiciente desiderantur, expresse habentur in art. 8, par. 2; insuper in art. 3, par. 1 et in art. 6, par. 2.

Ad *b*) Sufficienter provisum est in ipso par. 3° articuli 6.

II: *a*) Pagina 10, linea 12 post verbum « fundamentum » addatur « caritatem pastoralem esse... ».

b) Pagina 10, lin. 18 supprimatur verba « vel proponatur », addatur mentio expressionis « providi cooperatores » (Silva Henriquez).

Resp.: ad *a*) Potest accipi. Dicatur pagina 10, lin. 11: « ... et discant vitae apostolicae fundamentum esse caritatem pastoralem assiduo orationis cultu nutritam, eius vero incitamentum et praesidium sita esse in silentii amore et in proprii cubiculi operosa custodia, necnon... ».

Ad *b*) verba « vel proponatur » possunt tolli, si placet.

Art. 7

I: Pagnia 12, lin. 1 explicitius agatur de praeparatione ad directionem spiritualem conferendam (Richaud: concordant ut ad Observationem Generalem n. VII).

Resp.: Annuitur. In pagina 12, lin. 2 post verba « perfectionis dirigantur » ponatur: « ; » et prosequatur textus: « maxime enim interest ut sacrorum alumni ad artem animas regendi, quae est " ars artium ", prudenter et progressive instituantur ». Vide etiam Emendationes in nota 5, pagina 16.

II: In pagina 11, lin. 26 addatur aliquid contra vanam et scaenicam rhetoricam (Döpfner; concordant ut ad Prooem. n. II).

Resp.: Ne Decretum continuo longius fiat, nihil hoc loco addatur, eo vel magis quod res iam sufficienter continetur in textu: « gravitatem, simplicitatem et concinnitatem semper prae se ferat... » (pag. 11, lin. 26 sq.).

— 32 —

III: *a*) Pagina 12, lin. 6 inseratur aliquid de Actione Catholica.

b) Pagina 12, lin. 17 addatur aliquid de sensu « communitario » apostolatus (Silva Henriquez).

Resp.: ad *a*) Secundum ea quae proponuntur a Commissione de Apostolatu laicorum, « actio catholica » non est unica forma apostolatus. Forma generalior praeferenda est.

Ad *b*) Iam abunde exprimitur: cfr. pag. 10, lin. 25-30.

Art. 8

I: Pagina 12, lin. 37 dicatur: « ... scilicet: actioni liturgicae paroeciali et pontificali, Ordines sacros (minores et maiores) iam receptos exercendo, participare » (Léger, concordant ut ad Prooem., n. I).

Resp.: Res per se patet. Si aliquid addi debet, dicatur brevius: « Ordinis iam recepti exercitium ».

II: Concilium affirmet necessitatem exercitationum pastoralium durante Seminario. Schema laborat aliqua incohaerentia: nam in nota 13, pag. 19, exercitationes declarantur necessariae, sed in Conclusione dicitur eas singulis Episcopis committendas esse (Suenens; concordant ut ad Observat. praeviam n. II).

Resp.: Totum Decretum necessitatem exercitationum iam durante Seminario inculcat. Illa incohaerentia non existit, quia sententia conclusiva ad immediate praecedentia refertur, quae ab Em.mo Obiciente omissa sunt. Sed ut sensus vel clarior appareat, ultima sententia notae 13 (pag. 19) sic mutetur: « *Propterea exercitationes iam Seminarii tempore accurate et constanter peragendae sunt, ad earum opportuna selectio et peculiaris eas peragendi ratio singulis Episcopis committendae videntur* ».

Haec determinatio est momenti, contra sententiam eorum, qui, sicut Rationem Studiorum, sic etiam rationem exercitationum pastoralium *Conferentiis* Episcoporum statuendam esse propugnaverunt. Ratio autem Studiorum in singulis nationibus eadem sit oportet; e contra melius omnino a singulis Episcopis statuitur, quaenam exercitationes, qua mensura et progressione a futuris sacerdotibus peragendae sint, dummodo salvum sit principium de earum necessitate.

— 33 —

Caput VI

DE FORMATIONE POST SEMINARIUM PERFICIENDA

Art. 1

I: Etiam sacerdotes aetate provecti indigent aliqua renovationis periodo (Richaud; concordant ut ad Obs. Gen. n. VII).

Resp.: Hoc pertinet clarissime ad Commissionem de disciplina Cleri et populi christiani.

II: Pagina 20, linea 11 forsan addendum est: « Iam in Seminario alumnus ad hunc transitum auxiliis praeparantibus et praeservantibus praeformari debet » (Döpfner: concordant ut ad Prooemium n. II).

Resp.: Res iam exprimitur in Cap. II « De Institutione spirituali », pagina 6, lin. 16-22; pagina 10, lin. 14 ss.; pagina 12, lin. 19-21; cfr. etiam Caput III « De Disciplina », art. 7, pagina 8, lin. 16-21.

Art. 2

I: Pagina 20, lin. 20 inculcetur obligatio Episcoporum assignandi neo-sacerdotes parochis aptis et fortius urgeatur officium parochorum erga iuvenes confratres (Döpfner: concordant ut ad Prooem. n. II).

Resp.: Potest, si placet, textus inde a linea 20 sic mutari: « Praesules insuper parochos instanter hortentur, ut neo-sacerdotes caritate vere fraterna suscipiant, paterne moneant et in ministerii exercitio patienter adiuvent ».

II: Pagina 20, lin. 23 addatur: « Sacerdotes apostolica experientia praediti novensiles adiuvent in novos valores rite capessendos iisdem pro Regno Dei sapienter uti. Curent imprimis omnes sacerdotes ut iuniores fratres benevolo semper animo suscipiant, sacerdotalem caritatem inter se praecipue foveant, quae omnia officia Episcopi impensius diligant ac insuper sacerdotum conventus favore prosequantur. Meminerint denique omnes sacerdotes sacra ordinatione pastoralem praecipue efformationem non claudi sed novum spatium perficiendi aperiri » (Silva Henriquez).

Resp.: Haec omnia iam sufficienter dicuntur in hoc praesenti decreto, vel iam expresse dicta sunt in Capite V.

— 34 —

Additamenta (post Caput VI posita)

I: Primum ab Exc.mo D. Dell'Acqua propositum respicit Decretum de Facultatibus Ecclesiasticis.

II: Alterum ab Em.mo D'Alton propositum circa Seminaria minora et Instituta aequiparata, iam consideratum est in Capite I « De Seminariorum ordinatione generali ». Vide Emendationes ad Art. 2 (pag. 9, lin. 17 ss.) et art. 10 (pag. 14, lin. 2).

EMENDATIONES

Quoad caput V

Art. 1

Pagina 7, linea 20-21, loco « animarumque flagranti siti » dicatur: « *hominumque* flagranti *amore* ».

Pagina 7, linea 28 adiungatur: « ... appetentia *necnon animi demissio ac pessimismus* pastoris animum... ».

Art. 2

Nulla emendatio.

Art. 3

Pagina 8, linea 35, loco « Directe autem » dicatur: « *Opera apostolica in propria dioecesi florentia cognoscere incipiant; insuper* per aliquem contactum... ».

Pagina 9, linea 1, post « morales » inseratur: « , *culturales* ».

Art. 4

Pagina 9, linea 5, loco « methodo » dicatur « *ratione* ».

Art. 5

Pagina 10, lineis 1-2, loco « supervacuis et profanis vocum novitatibus sedulo vitatis », dicatur: « *prudentia semper adhibita in novis vocibus seligendis,* ».

Pagina 10, linea 4, loco « nunquam » scribatur « nu*m*quam ».

Art. 6

Pagina 10, lineis 12-14, loco: « et praesidium... cubiculi operosa (non " opera ") custodia... » dicatur: « ... vitae apostolicae fundamentum *esse caritatem pastoralem assiduo orationis cultu nutritam, eius vero incitamentum et praesidium sita esse in silentii amore et in proprii cubiculi operosa custodia,* necnon... ».

— 35 —

Art. 7

Pagina 12, linea 2 adiungatur in fine lineae: (loco puncti ponatur punctum cum virgula, postea:) « *maxime enim interest ut sacrorum alumni ad artem animas regendi, quae est " ars artium ", prudenter et pogressive instituantur* ».

Art. 8

Pagina 12, linea 31, inter verba « familiae » et « necessitates » ponatur virgula.

Pagina 12, linea 37, post « scilicet »: primo loco ponatur: « *Ordinis iam recepti exercitium,* ».

Pagina 13, linea 5, loco « inire » dicatur « *habere* ».

Notae ad Caput V:

Pagina 14, in medietate paginae, in nota 1 *c*), emendetur error typographicus: « labor*i*s socii », non « labor*e*s ».

Pagina 16, in nota 5, lineis 3-5 notae, tollantur verba: « maximi interest ... est " ars artium ", ... ipsi instituantur. Neque ». Postea prosequatur hoc modo: « *Apta non esset* ea institutio... ».

Pagina 19, in nota 13, ultima sententia sic sonare debet: « *Propterea exercitationes iam Seminarii tempore accurate et constanter peragendae sunt, at earum opportuna selectio et peculiaris eas peragendi ratio singulis Episcopis committendae videntur* ».

Quoad caput VI

Art. 1

Pagina 20, linea 6, loco « Novensiles sacerdotes » dicatur « *Neo-sacerdotes* ».

Art. 2

Pagina 20, linea 14, loco « novensiles sacerdotes » dicatur « neo-sacerdotes ».

Pagina 20, lineis 20-22, si placet, potest substitui passus: « Parochi ... adiuvent », sequenti textu: « *Praesules insuper parochos instanter hortentur, ut neo-sacerdotes caritate vere fraterna suscipiant, paterne moneant et in ministerii exercitio patienter adiuvent* ».

— 36 —

Art. 3 et 4

Nulla emendatio.

Notae ad caput VI:

Pagina 23, linea 1, inter verba « quibus » et « secundum » ponatur virgula.

Item pagina 23, linea 6, inter verba « Spirituali » et « eiusmodi » ponatur virgula.

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, significare an textus Schematis capitis V et textus capitis VI sint sufficienter emendati; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

— 37 —

II

DE EMENDATIONE SCHEMATIS CONSTITUTIONIS

DE STUDIIS ECCLESIASTICIS ATQUE DE SCHOLIS CATHOLICIS

Pont. Commissio de studiis et seminariis praeter schema constitutionis De sacrorum alumnis formandis, de quo iam disceptatum est, paravit quoque schema constitutionis *De studiis ecclesiasticis* et *de scholis catholicis*, quod in tres dividitur partes, nempe: *a*) De studiis academicis ab universitatibus tum catholicis tum ecclesiasticis provehendis; *b*) De scholis catholicis; *c*) De obsequio erga Ecclesiae Magisterium in tradendis disciplinis sacris.

Pars prima huius constitutionis — sub litt. *a*) —, continens duo schemata decretorum (De universitatibus catholicis; De studiorum ecclesiasticorum universitatibus) discussa fuit a Patribus Pont. Commissionis Centralis diebus 26 et 27 februarii 1962 atque emendata fuit a nostra Subcommissione die 18 iunii eiusdem anni.

Emendanda nunc remanent pars altera (De scholis catholicis) et pars tertia (De obsequio erga Ecclesiae Magisterium in tradendis disciplinis sacris), de quibus Pont. Commissio Centralis disceptavit diebus 12 et 13 iunii 1962.

Infra, prouti de more, habentur animadversiones, observationes et suggestiones Patrum Pont. Commissionis Centralis atque responsiones eis datae a Pont. Commissione de studiis et seminariis.

— 38 —

DE SCHOLIS CATHOLICIS

A

Observationes generales et responsa eis data

I. *Declarentur imprimis iura puerorum ad educationem integram recipiendam,* ex quo principio profluunt iura et officia unicuique (Familiae, Societatibus minoribus, Consociationibus, Civitati et Ecclesiae) propria (Liénart: concordant Tisserant, Ferretto, Tappouni, Quiroga y Palacios, Léger, Montini, Richaud, Döpfner, Alfrink, Silva Henriquez, Suenens, Bea, Albareda, Gori, Antezana, Hurley, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Bernier, Yago, Rakotomalala, Suhr, Sépinski).

Resp.: Potius statuatur imprimis *finis personalis* hominis (finis enim est causa causarum) *et obligatio* inviolabilis illum assequendi, nam in humanis obligatio iuri praecedit; *ex qua obligatione oritur ius ad educationem integralem recipiendam non solum pro puero sed etiam pro quolibet homine.* Ex quo iure clare statuto oritur officium familiae, Ecclesiae et Civitatis educationem tradendi *et consequenter ius* ut in tali obligatione adimplenda positive adiuventur nedum impediantur.

Hic autem nexus logicus et iuridicus invenitur in par. 2-3, *ubi in fine par. 2 expressis verbis enuntiatur ius hominis, praesertim puerorum ad educationem.* Cfr. pag. 4, lineis 16-21. Praeterea cfr. pag. 17 adnotationem 6 et pag. 18 adnotationes 8 et praesertim 9.

Vide Emendationes propositas ad par. 2.

II. In aliquibus regionibus ipsi Status (vel communitates publicae civiles) condunt scholas elementares catholicas; quae etsi non sunt stricto sensu ecclesiasticae, tamen omnia ea praebent quae Ecclesia postulare debet. Ubi et quamdiu res publica secundum has normas agit, non est necessarium, ut Ecclesia ipsa condat scholas elementares (Frings: concordat Bea).

Resp.: Ubi Status (vel communitates publicae civiles) parentibus catholicis eas parant scholas, quae dotes essentiales scholae catholicae habent, Ecclesia de facto non debet condere scholas, quae sensu stricto essent Ecclesiae.

Saepe saepius in Commissione Praeparatoria uti exempla laudanda et imitanda libertatis conscientiae et scholae propositae sunt nationes Anglosaxonae et Germania, Hollanda, et etiam Belgium et Canada, quas semper prae oculis habuimus. *Et quamvis non semper status rerum sit ubique undequaque perfectus,* nullo modo ab illo statu est recedendum, sed optandum ut in regionibus ubi libertas desit, saltem ad illam libertatem perveniatur et ad meliora obtinenda ubique adlaboretur.

— 39 —

Ceterum cfr. pag. 33-34, adnotationem 53.

III. Nova « perspectiva » magis integralis et universalis in schemate desideratur (Léger: concordant Tisserant, Ferretto, Copello, McGuigan, Richaud, Döpfner, Alfrink, Bea, Gori, Antezana, Hurley, Šeper, Bazin, Yago).

Resp.: Valde placet propositio, cuius obiectum principale iam inde ab initio prae oculis habuimus, licet non adeo explicite sicuti in observatione desideratur. Sub hac inspiratione exarati sunt numeri 1, 2, 8, 16 et 19, in quibus agitur de libertate scholae pro omnibus — non pro solis catholicis —, damnatur quodvis monopolium — etiam ecclesiasticum —, desideratur cooperatio universalis omnium qui « iura hominis praecipue vero pueri defendere *sincero animo* conantur » (par. 19, pag. 14, lin. 29-30).

Quoad III, 3 cfr. responsum ad V, 2 Observ. Gen.

IV. (et VII, VIII et IX). *Habeatur ratio adiunctorum uniuscuiusque nationis* (Marella: concordant Traglia, Browne). *Ne ad nimis particularia descendatur* (Bea: concordant Perrin, Bazin, Yago, Verwimp, Suhr, Felici).

Resp.: Uti patet ambae instantiae mutuo excluduntur. Ratio rerum peculiarium uniscuiusque nationis — quae ceterum sunt condiciones non permanentes sed transeuntes — haberi nequit in decreto conciliari. Potius respiciendae sunt a Conferentiis Episcoporum et in concordatis vel conventionibus particularibus cum singulis nationibus ineundis.

V. 1. *Definiatur quid intelligendum sit per vocem « Ecclesiae »* (Alfrink: concordant Léger, Albareda, Gori, Antezana, Hurley).

Resp.: Salvo meliore iudicio, vox « Ecclesia » est sat definita et quaevis alia expressio significationem minus rectam innuere possit. Ecclesia est *Societas hierarchica* a Christo Domino instituta. Et ipsi competit ius, et ipsius sunt scholae etc. etc. Cum agit uti societas, habet organa (Rom. Pontifex, Hierarchia, etc.) per quae agit. Ius est Ecclesiae, quae operatur per organa competentia bene nota. Veleat exemplum: infallibilitas per-

— 40 —

tinet ad Ecclesiam, cuius organa sunt Romanus Pontifex, Episcopi per orbem dispersi in communione cum Romano Pontifice, Oecumenicum Concilium. Sub adspectu doctrinali et iuridico, quaevis alia expressio esset minus recta et timendum ne, dum statalismus politicus reprobatur, quidam quasi statalismus ecclesiasticus instauretur. Cavendum omnino ab hoc periculo.

2. *Quid de scholis rectis a catholicis cum approbatione Hierarchiae* (Alfrink, et concordant ut ad V, 1).

Resp.: Humili commissionis iudicio, sunt scholae catholicae non solum de facto, sed etiam de iure, sicuti plures scholae ab auctoritate civili, praesertim sub regimine concordatario, erectae; Commissio praeparatoria enim censet, ad scholarum catholicarum iuridicam condicionem non requiri erectionem *sed sufficere approbationem vel etiam specificam commendationem* auctoritatis ecclesiasticae. Cfr. can. 686, § 1. Cum autem de hac re non sit concors omnium sententia, in § 6 statuta sunt quae omnino certa habentur. Cfr. omnino pag. 23, adnotationem 22. Paragraphus 6 exarata est summa — in quantum humana fragilitas sinit — ponderatione et habita ratione scholarum catholicarum *ubique terrarum,* praesertim apud regiones non christianas existentium; quia adhuc difficiliora problemata exurgunt pro scholis catholicis in Iaponia, Aegypto, etc. In hodierno statu rerum hanc quaestionem accuratius definiri non expedit. Per hebdomadas et menses immorati sumus in studio huius problematis.

VI. *a) Parum de paedagogica arte dicitur;*

b) Accuratiores distinctiones inter scholas elementares, medias etc. dandae sunt.

c) Munus sacerdotis in schola non definitur;

d) Laicorum partes praetermittuntur (Silva Henriquez: concordant Léger, Beras, Hurley, Šeper, Rakotomalala).

Resp.: Ad *a)* Schema, sicut ab ipsis Em.mis Patribus exoptatum est, non debet ad nimis particularia descendere; non potest nec debet hic dari tractatus de paedagogia (cfr. tamen ea quae insinuantur in par. 7 et par. 13).

Ad *b)* Hae distinctiones in schemate omnino non sunt explicitius proponendae, cum abunde constet, quantum ratio distinctionis in singulis nationibus differat.

Ad *c)* Munus sacerdotis, et praesertim parochi, sufficienter adumbratur in par. 5 commate 2; par. 6, commate 2, et praesertim par. 10 et 11. Magis particularia ad dispositiones *C.I.C.* et Synodales pertinere videntur.

Ad *d)* Paragraphi 5, 13, 14 et 16 agunt de magistris sive laicis sive clericis, sive religiosis sive non religiosis, et pluries de laicis specialis mentio fit.

— 41 —

X. *Mentio fiat in textu de « scholis radiophonicis » et de televisorii scholaris usu* (O' Connor).

Resp.: Libenter annuitur desiderio. Vide additamentum in fine par. 15.

XI. *Plura menda corrigantur* (Sépinski).

Resp.: Libenter omnibus annuitur, si unam excipias, nempe eam propositam ad pag. 6, linea 24 et sequentibus: « *Aperte et directe proclametur quod solum indirecte insinuatur* ». Cfr. pag. 23, adnotationem 22 et, ne bis in idem incidamus, responsionem supra datam ad V, 2.

B

OBSERVATIONES PARTICULARES ET RESPONSA EIS DATA

Ad art. 1 et 2

I. *In prooemio valores positivi minime in lucem proferuntur* (ad art. 1, I); *finis temporalis modo nimis negativo proponitur* (ad art. 2) (Silva Henriquez: concordant Léger, Beras, Hurley, Šeper, Rakotomalala).

Resp.: Non omnia erant explicite proponenda inde ab ipso prooemio, sed solum quaedam adumbratio totius schematis. Omnia quae hic desiderantur, habentur in par. 7 commate 3 et 4. Ceterum novum prooemium melius, ni fallimur, considerat, « valores positivos » et « finem temporalem ».

Vide Emendationem ad par. 1.

II. *Brevis introductio historica desideratur* (ad art. 1, II) (Ujcic).

Resp.: Haec brevis introductio historica opportunius traditur initio par. 5, ubi de *scholis* sermo incipit.

Vide emendationem ad par. 2.

Ad art. 3

I et II *a)* « *Consequenter vero...* ». *Consequentia minime patet* et explicari debet (Ruffini: concordant Copello, McIntyre, Léger, Silva Henriquez, Antezana, Hurley, Bazin, Rakotomalala). *Expungantur verba « uti societas perfecta atque completa » et dicatur « Propter... »* (Léger et concordant uti ad Observ. Generales III).

— 42 —

Resp.: Libenter observationi annuitur; retinenda tamen existimamus verba « societas perfecta atque independens (loco completa) » eo vel magis quod

a) vis argumenti non in citatis verbis consistat, sed in illis « ad proprium finem attingendum », qui procul dubio valde differt a fine Status, et

b) etiam in commate sequenti (pag. 5 lineis 5-14) iura Status ab eius fine assequendo derivantur.

Vide novam formulam propositam et reordinationem totius huius paragraphi.

II. *b*) Loco *« suppletivo, devolutivo et comulativo » dicatur « subsidiario »* (Léger: concordant ut ad Observ. Gen. III).

Resp.: Libenter annuitur et dicatur: « Subsidiarium vero et aliquando comulativum etc. », quia « comulativum » plus connotat quam solum subsidiarium.

Vide Emendationes ad hanc paragraphum.

II. *c*) *Defendere, adiuvare et supplere non differt a bono communi* (Léger et concordant ut ad Observ. Gen. III).

Resp.: Bonum commune cum illis tribus functionibus non omnino adaequate convertitur; tamen nova formula proponitur.

Vide Emendationes, ad hanc paragraphum.

III. *Optarem ut in hac materia melius et fusius explicarentur relationes inter parentes et Ecclesiam (Hierarchiam) quoad scholas* (Alfrink: concordant Léger, Gori, Antezana, Hurley).

Resp.: *a*) Non est eadem ratio de *instructione* ac de *educatione;*

b) In hac par. 3 nondum agitur de scholis;

c) Responsum habetur in par. 6 ubi explicite agitur de requisitis ad scholam catholicam. Cfr. praeterea responsum iam datum ad Observ. Gen. V, 2.

IV. Ad pag. 5, linea 28 dicatur « *plenum* » *loco* « *verum* » (Silva Henriquez: concordant ut ad art. 1, n. I).

Resp.: Libenter annuitur desiderio.

Vide Emendationes, ad hanc paragraphum.

Ad par. 4

I. *Ut omnia mitius dicantur* (Léger, concordant ut ad Observ. Gen. III).

Resp.: Libenter annuitur.

Vide Emendationes, ad hanc paragraphum.

— 43 —

Ad art. 5

I. Fiat mentio de « *Consociationibus Laicorum* » (Léger).

Resp.: Libenter annuitur.

Vide Emendationes ad hanc paragraphum.

II. *Mirum est inter condiciones catholicae scholae apostolicam finalitatem non venire* (Silva Henriquez: concordant ut ad art. 1, n. I).

Resp.: Vel mentem Em.mi Obicientis non bene attingimus vel responsum invenitur tum n. 5 secundo commate, ubi exercitium scholasticum verus apostolatus declaratur, tum n. 7 ultimo commate, ubi de operositate apostolica expresse agitur.

Vide Emendationes ad hanc paragraphum.

Ad art. 6

I. *a*) Pag. 6 ad 6 « *perfecte catholica* » *non placet,* quia schola aut est catholica aut non est catholica.

b) Pag. 7 primis lineis: *Scholae a religiosis familiis fundatae cui auctoritati subsunt?* (Ruffini: concordant ut ad art. 3, n. I).

Resp.: Ad *a*) Distinguo: si ageretur de re dogmatica et fide catholica, concedo: aut est catholica aut non est. Si agitur de perfectione iuridica vel etiam technica, talis perfectio est perfectio divisibilis, quae plus minusve participari potest, sicuti cum loquimur de bonis, melioribus et optimis catholicis. Cfr. can. 686 § 1 et hic responsum ad Observ. Gen. V, 2.

Ad *b*) Hae scholae subsunt, uti patet, *immediate* ipsi auctoritati, quae familiae religiosae praeest, *mediate* vero, iuxta casus, vel auctoritati pontificiae vel auctoritati dioecesanae.

II. *Paragraphus 2 huius articuli 6 (denominatio nempe « scholae publicae ») non placet* (Léger: concordant uti ad Observ. Gen. III).

Resp.: *a*) Attente legatur pag. 24 adnotatio 26;

b) Haec denominatio retinenda est, quia identificatur cum ipsa natura publica Ecclesiae;

c) repraesentantes U.S.A. in Commissione praeparatoria pro hac declaratione uti maxime utili erant;

d) *Tandem quod asserit Em.mus Obiciens, proh dolor, veritati haud congruit. In toto schemate ne semel quidem usurpatur verbum « publicum » ad exclusive designandam auctoritatem civilem.* Etenim:

— 44 —

1) In hac ipsa par. 6 loquimur de « publica auctoritate ecclesiastica »;

2) In loco ab Em.mo Obiciente allato, pag. 8 linea 15, agitur quidem de « publica auctoritate civili », cum et ipsa sit publica, sed mens illius paragraphi refertur etiam ad publicam auctoritatem ecclesiasticam, cuius etiam munus est illam libertatem pro posse defendere et procurare.

Ad art. 7

I. *Quomodo munus Directoris spiritualis in scholis puellarum exerceri potest?* (Ruffini: concordant ut ad art. 3, n. I).

Resp.: *a*) Imprimis munera in hac par. 7 enumerata non soli Directori spirituali, sed universae scholae assignantur; hoc est, organum educativum et schola seu collegium;

b) Director spiritualis praeest educationi morali, sicuti Praefectus studiorum institutioni intellectuali; quae educatio moralis, in scholis puellarum, praesertim in confessionali tradi debet;

c) De facto adsunt iam isti Directores spirituales;

d) Optandum est, ut in huiusmodis scholis etiam « Consiliatrix spiritualis » adsit, de quo munere Pius XII pluries locutus est.

II. *Dicatur instructionem religiosam pertinere ad Hierarchiam* (Alfrink: concordant ut ad art. 3, n. III).

Resp.: Tales dispositiones pertinent ad Ius Canonicum, ubi nunc quoque reperiuntur, et habita quoque ratione religiosorum qui scholae ministerio devoventur imprimis ut educationem moralem et religiosam tradere valeant. Episcopi quoque monendi essent ne ad instructionem religiosam dandam, imprimis in scholis sororum, nominent eos sacerdotes, quos alibi adhibere nequeunt vel qui capacitate paedagogica carent.

Ad art. 8

I. *Omnia quae de educatione « iuxta rectam conscientiam » tradenda in nn. I-XII inveniuntur per « modum unius » tractantur.*

Resp.: Plura quae in praefatis observationibus indicantur maxime placent, praesertim quae sub n. XII ab Em.mo Hurley et accedentibus proposita continentur circa libertatem conscientiae, eo quod cum primis editionibus huius vexatae paragraphi magis concordant. Cfr. omnino pag. 25-27 adnotationes ad hanc paragraphum. Quam ob rem, ratione habita observationum et schematis « De libertate religiosa », nova proponitur formula, quae sub ampliori ac veriori luce principium libertatis enuntiat.

— 45 —

Vide emendationes, ad hanc paragraphum.

Ad art. 9

I. *a*) Quaestio scholarum « maternarum » pertinet potius ad art. 15.

b) Negotium scholarum pro « pauperibus » pertinet potius ad art. 17.

II. Pag. 9 linea 18 *loco « Ecclesiae » dicatur « Hierarchia »* (Léger: concordant ut ad Observ. Gen. n. III).

Resp.: Cfr. dicta ad Observ. Gen. V, 1.

Ad art. 10

I. *Dicatur ius invigilandi proprium esse Episcoporum* (Ruffini: concordant ut ad art. 3, n. I).

Resp.: Tales dispositiones potius pertinent ad Codicem Iuris Canonici, ubi etiam nunc habentur.

II. *Etiam Status habet ius invigilandi quoad mores* (Ottaviani: concordat McGuigan).

Resp.: Supprimatur verbum « soli ».
Vide Emendationes ad hanc paragraphum.

Ad art. 11

Omnia quae hic dicuntur circa educationem puerorum qui scholas non catholicas frequentant assumuntur per « modum unius » et iuxta observationes factas nova proponitur formula.
Vide Emendationes, ad hanc paragraphum.

Ad art. 12

I et III. *b*) *Relate ad coëducationem, desideratur educatio positiva* affectiva (Léger: concordant ut ad Observ. Gen. n. III). *Adhibeantur subsidia sanae paedagogiae* (Silva Henriquez: concordant ut ad art. 1, n. I).

Resp.: Libenter annuitur. Vide Emendationes ad hanc paragraphum.

II. *Non placent quae de coëducatione dicuntur* (Spellman).

Resp.: Probabiliter Em.mus Obiciens non cogitat *de coëducatione in sensu stricto,* quae procul dubio est educationi minus consentanea, sed *de coinstitutione* in U.S.A. tam frequenter adhibita, quaeque expresse permittitur, suadetur atque fovendo pro-

— 46 —

vehitur a S. C. de Religiosis. Cfr. *A.A.S.* vol. L (1958), pag. 101, n. 8.

Vide Emendationes ad hanc paragraphum.

III. *Omittatur verbum praesertim* (Silva Henriquez: concordant ut ad art. 1, n. I).

Resp.: Haec propositio non tam facili negotio acceptanda videtur. Curandum enim est, ne disciplina severior ubi viget infirmetur, cum per se coëducatio sit minus suadenda, et in nonnullis regionibus educatio elementaris nimis protrahatur.

Ad art. 13

I. *a*) Pagina 11 supprimantur 4 primae lineae;

b) Pag. 11, linea 6, loco « statalibus » dicatur « non catholicis »;

c) Pag. 11, lineis 11-13 magis prudenter commendetur promotio iurium Ecclesiae in scholis non catholicis (Léger, et concordant ut ad art. 1, n. III).

Resp.: Ad *a*) Illae lineae omnino retinendae sunt, cum formatio magistrorum pro instructione religiosa, sive in scholis sive in catechesi, nullo modo sit problema particulare, sed universale uti experientia demonstrat.

Ad *b*) Libenter annuitur.

Ad *c*) Proponitur nova formula.

Vide Emendationes ad hanc paragraphum.

II. *Non fit verbum de munere parentum in educatione quando haec a schola perficitur, neque de iuribus eorum* (Silva Henriquez).

Resp.: Provisum per additamentum ad par. 3 post primum comma.

Vide Emendationes ad par. 3.

Ad art. 14

Nihil dicendum.

Ad art. 15

I. *Scholae technicae et pro adultis non sunt eadem ratione fovendae ac reliquae scholae* (Léger: concordant ut ad Observ. Gen. n. III).

Resp.: Impraesentiarum hae scholae habent magnum momentum, uti in textu asseritur, et Ecclesia pluribus in regionibus numerosas professionales regit et quidem optimo cum fructu.

— 47 —

Praeterea Exc.mus D. Michael Keller, Arch. Monasteriensis, nonnullis abhinc mensibus proh dolor e vivis ereptus, in Commissione Praeparatoria causam scholarum pro institutione adultorum acriter propugnavit.

Ut autem desiderio in observatione expresso aliquo modo annuatur, proponitur additamentum.

Vide Emendationes ad hanc paragraphum.

Ad art. 16

a) Textus attenuetur secundum conditiones historicas et sociologicas in diversis regionibus (Léger);

b) *Dubitatur utrum illa « croisade » quae proponitur opportuna sit* (Léger: concordant ut ad Observ. Gen. n. III).

c) Determinationes particulares non conveniunt textui conciliari (Léger, et alii ut supra).

Resp.: Ad *a*) Libenter acceptatur attenuatio sub I, a proposita;

Ad *b*) Illa « croisade » quae proponitur *non est contra aliquem,* sed potius *pro aliquo,* nempe pro libertate scholae et iuribus educationis, quae omnibus et bono communi favent.

Ad *c*) Respondetur cum verbis Em.mi Silva Henriquez: « Varia media utilissima enumerantur ad defensionem iurium Ecclesiae in ambitu educationis, quod bonum est ».

II. *b*) *Suadenda positiva collaboratio cum organisationibus internationalibus* (Silva Henriquez: concordant ut ad art. 1, n. I).

Resp.: Mira haec observatio videtur, nam et in fine huius par. 16 (pag. 13 linea 6) et par. 19 (pag. 14, lineis 27-29) illam commendatam invenimus.

Vide Emendationes ad hanc paragraphum.

Ad art. 17

I. *Haec paragraphus innuit conceptionem statalem scholarum* (Léger, et concordant ut ad Observ. Gen. III).

Resp.: Nihil magis alienum a toto schemate quam conceptio statalis scholarum; potius diceremus quod vindicatur iustitia distributiva, vestigia sectando tam Romanorum Pontificum quam plurium Conciliorum provincialium. Ut autem doctrina accuratiorem expressionem habeat, emendatio proponitur in qua aliis quoque instantiis satis fit.

Vide Emendationes ad hanc paragraphum.

— 48 —

Ad art. 18

Observationes circa Organisationem Centralem ad sequentes categorias reduci possunt:

a) Negotium relinquatur Commissioni postconciliari (Spellman);

b) Iam existit (Frings, Bea, Siri, Léger et ut ad Observ. Gen. III, Alfrink et ut ad Art. 3, III, Bernard).

c) Non placet ut sit « hierarchia », audiantur et laici (Bea: concordant Perrin, Bazin, Yago, Verwimp, Suhr).

d) Caute procedatur (Montini, Döpfner, Santos, Coussa, Alter, Lefebvre, Gut, Janssens). Ne nimius sit interventus S. Sedis (Maximos IV, Saigh, Valeri, Perrin).

Resp.: I. *Generatim loquendo,* haec paragraphus debet sustineri:

a) Paragraphus, ni fallimur, caute omnino est exarata et nemo negat summa prudentia esse procedendum;

b) Talis organisatio nullo modo intendit coarctare libertatem, sed solutionem problematum et difficultatum quaerere;

c) Ipsa existentia cuiusdam Organisationis Internationalis, bene notae, quae optimos fructus fert, demonstrat necessitatem organisationis in articulo propugnatae;

d) Si agnoscitur necessitas organisationis nationalis et regionalis, pariter agnoscenda est necessitas organisationis internationalis: adsunt problemata, quae limites nationales transcendunt et aliquando sola S. Sedes potest illa solvere. Officium Centrale est omnino necessarium;

e) Attente legatur adnotatio 55, pag. 34-36.

II. *Ad singula.* Ad *a*) Tali commissioni committendum est negotium organisationis;

Ad *b*) Bene nota est illa laudanda organisatio, quae nullo modo detrimentum pati debet, sed potius novum impulsum accipiat oportet;

Ad *c*) Quid illa vox « hierarchia » significet, dicitur in adnotatione 55, pag. 34, nempe « organica, articulata, subordinata »; et quidem inde ab Officio Centrali Romano. Audiantur laici, et audiantur etiam religiosi, qui in hac materia saeculares habent experientias;

Ad *d*) Omnino sumus eiusdem sententiae, et gratias agimus pro benevola ac opportuna mentis nostrae interpraetatione.

— 49 —

C

EMENDATIONES

Ad par. 1

Pag. 3 (primum comma, a linea 1 ad 16 remaneat); (secundum comma, inde a linea 17 ex integro retractatur, secundum consilium Em.mi Léger).

Quandoquidem autem hisce nostris temporibus integralis educationis beneficium apud omnes populos et coetus quam maxime appetitur, cum neminem lateat educationem esse viam ad dignitatem humanam tuendam et ad populorum progressum provehendum, Ecclesia Catholica, cunctas gentes materna sollicitudine amplexa, omnes homines, civium consociationes seu corporationes atque publicas imprimis auctoritates enixe hortatur, ut germano fraternae necessitudinis sensu ducti, populorum necessitatibus, non solum materialibus sed potissimum spiritualibus sublevandis efficaciter consulere satagant.

Ipsa vero Ecclesia, Oecumenico Concilio congregata, educationis et scholae causam in omnium populorum beneficium promovere cupiens, dolenti animo animadvertit in campo educationis tot doctrinas late grassantes non solum divinae revelationis principiis, sed rectae etiam rationis postulatis ipsique humanae dignitati adversari, non paucos quoque ipsius Ecclesiae filios catholicam in re doctrinam magno cum conscientiarum periculo ignorare. Ideo haec Sancta Oecumenica Synodus, Romanorum Pontificum ac potissimum Pii Papae XI exempla tenens, statuit firma doctrinae christianae de scholis principia denuo declarare, iterum inculcare atque ut in praxim efficacius deducantur providere.

Ad par. 2

(Pag. 4, 1. 5) *si placet*:

« ... hominem, ipsa sua natura, non solum finem temporalem, in humano consortio consequendum, *sed finem quoque personalem habere, quo scilicet cuiusvis humanae societatis fines transcendit, solique Deo subest; ac praeterea, in praesenti ordine salutis,* ad supernaturalem finem, personalem et aeternum, infinita Dei bonitate, esse vocatum. Quapropter... ».

(Pag. 4, 1. 11):

« ... ad rectam vitam, *in pleno humanorum iurium exercitio officiorumque observantia* gerendam, et... ».

(Pag. 4, 1. 21):

« ... ad illam *integralem educationem recipiendam, physicam*

— 50 —

nempe, intellectualem, moralem ac religiosam, sine qua fines sibi proprios attingere nequeunt ».

Ad par. 3

(Emendatio et reordinatio):

« Munus educationis impertiendae, *cui exequendo cuncti, humanae necessitudinis vinculo coniuncti, operam suam praestare debent,* prae ceteris omnibus ex iure naturali familiae competere, quae verum germanumque educationis sacrarium constituit, Sancta Synodus apertis gravibusque verbis confirmat. Parentes enim, vi muneris ipsis proprii, prolem educandi et gravissima obligatione tenentur et inviolabili iure gaudent, quae eas solas patiuntur limitationes, quas ipsa lex naturalis vel divina positiva postulant. *Quod si parentes quamvis ob causam, prolem educandam scholis, uti plerumque fit, tradere malint, ideo a gravi filios educandi munere sese omnino vacare posse minime existiment; nam, obligatione tenentur non solum optimas suis filiis scholas quaerere, sed etiam magistrorum operam sedula attentione prosequi, rectum filiorum educandorum progressum diligenter probare, omneque ipsius scholae educandi ministerium assidue iuvare concursu.*

Neque sola Familia, ex lege naturali, educandi officio tenetur, *sed ceteris quoque humanis corporationibus* imprimisque ipsi rei publicae officia et iura, ex natura et amplitudine proprii finis temporalis definienda, hac in re competunt: proprium ac nativum circa ea quae hunc finem consequendum specifice respiciunt; *subsidiarium* vero vel etiam aliquando cumulativum, quoad cetera, cum Civitas, *cuius est bono communi providere, civium* iura et officia defendere, adiuvare et, si opus fuerit, supplere debeat.

Singulare *deinde* ratione et independenter a quavis humana potestate hoc officium et ius ad Ecclesiam spectat, et quidem, quod ad religiosam et moralem educationem attinet, ex positiva institutione divina, cum ipsi infallibile et universale magisterium atque spiritualis maternitatis munus concredita sint a Deo; consequenter vero et ex ipsa lege naturae ius quoque habet quoad ceteros humanae vitae adspectus, etiam ad ordinem naturalem pertinentes: *gratia enim et ordo supernaturalis naturam eiusque ordinationem non destruunt, sed complent ac perficiunt, arcteque cum ipsis cohaerent; et Ecclesia, societas perfecta ac independens, finem assequendum habet, qui ex ipsa natura rerum, ius ad educationem integralem, humanam et supernaturalem, impertiendam omnino requirit.*

Cum autem haec tripartiti ordinis munera suapte natura arcte inter se cohaereant, Familia, Ecclesia et Civitas, communi consilio summaque concordia, in educatione impertienda cooperentur oportet, particularibus quoque, si casus ferat, initis conventionibus.

— 51 —

Ad par. 4

(Pag. 5, l. 28 ss.):

« ... utiles existimant, *plenum* educationis conceptum nequaquam attingunt. *Ab eodem educationis conceptu pariter deficiunt* ii omnes qui... subvertunt. *Valde denique errant quicumque* Familiae et Ecclesiae iura negantes, impedientes vel quovis modo *contemnentes...* ».

Ad par. 5

(Pag. 6, l. 6):

« ... Societates et Instituta, *necnon laicorum Consociationes,* educationis ministerio dedita... ».

Ad par. 8

Pag. 8, l. 7 (*initium par.*):

« Cum salvo divino Ecclesiae magisterio quoad doctrinam fidem vel mores respicientem, veritas commune patrimonium constituat *et educatio moralis etiam ac religiosa sit oporteat, libertatemque conscientiae, dummodo bono communi non contradicat, neque in ipso educandi opere violare unquam liceat, docet...* ».

(Pag. 8, l. 19):

« Quare quodvis scholae monopolium, *a quavis auctoritate attentatum...* ».

(Pag. 8, l. 22):

« ... quippe quod verae, *etiam conscientiae,* libertati... ».

Ad par. 8

(Pag. 8, l. 25):

« ... aliaque beneficia *reliquis scholis* concedere... ».

Pag. 8, l. 27 ss.: (substitutio):

Ast dum Ecclesia hanc humanam libertatem, etiam conscientiae, indefesse ac fideliter tuetur, indifferentismi doctrinae, quae omnes religiones aequales esse propugnat, suffragari nullo modo intendit, neque Auctoritatum Civilium agendi modum probare, quae indifferentismi placitis positive favent.

Ad par. 10

(Pag. 9, l. 26):

« ... divini Ecclesiae competit... ».

— 52 —

Ad par. 11

(Pag. 10, 1. 3-4):

« ... puerorum catholicorum qui scholas *non catholicas frequentant...* ».

(Pag. 10, 1. 9 et ss.):

« ... pro adultis, statutis temporibus et locis habendam. *Optimum quoque consilium erit, praesertim ubi adiuncta locorum hoc magis suadeant, condere aedes residentiales, convictus aliasve sedes formationis vere catholicas, ubi alumni qui scholas medias vel superiores non catholicas frequentant, pleniorem educationem recipiant et in actione apostolica exerceantur.*

Ad par. 12

(Pag. 10, 1. 18 ss.):

« ... et ad probitatem morum servandam augendamque non solum debitae adhibeantur cautiones, iuxta normas ac instructiones ab Apostolica Sede pluries traditas, *sed sanae etiam paedagogiae subsidia prudenter usurpentur ad rectos animi affectus castosque iuvenum mores in spiritu vere christiano efformandos. Nullatenus autem reprobatur illa scholas gerendi ratio quae coinstitutio vulgo appellatur.*

Ad par. 13

(Pag. 11, 1. 6-7):

« ... magistros catholicos qui in scholis *non catholicis* docendi... ».

(Pag. 11, 1. 12-13):

« ... circa educationem et scholam principia *probae vitae testimonio* imprimis promovere studeant... ».

Ad par. 15

(Pag. 12, 1. 2):

« ... de infantium asylis, de scholis elementaribus et mediis, *in quibus fundamenta totius vitae christianae ponuntur,* sed etiam... ».

(Pag. 12, 1. 20): (additamentum in fine paragraphi):

« ... instruuntur, *et praesertim instructio ope radiophonii et televisorii, quae maiores in dies partes agunt etiam uti scholarum subsidia* ».

Ad par. 16

(Pag. 12, 1. 33):

« Ad scholae libertatem *et educationis iura, in bonum commune, tuenda et provehenda, prae oculis habitis adiunctis historicis et socialibus uniuscuiusque regionis,* cuncta praeterea adhibeantur media... ».

— 53 —

Ad par. 17

(Pag. 13, 1. 15 et ss.):

« Sumptus autem ad rem necessarios *suppeditare per se quidem parentum est, at debitis per eosdem solutis Civitati taxis, publici aerarii imprimis officium, salva semper legitima scholae libertate, evadit,* habita ratione... ».

(Pag. 13, 1. 24):

« *Libenter quidem Sancta Synodus merita honestat laude Auctoritates Civiles, quae iustitiae distributivae memores omnibus scholis aequa subsidia tribuunt. Ubi vero* res publica hoc officium... ».

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres, sua qua pollent sapientia, significare an textus huius schematis sit sufficienter emendatus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

— 54 —

DE OBSEQUIO ERGA ECCLESIAE MAGISTERIUM IN TRADENDIS DISCIPLINIS SACRIS

Observationes generales et responsa eis data

I: Patrum animadversiones perpendantur et in decretum, quatenus fieri potest, introducantur (Ferretto: concordant Aloisi Masella, Beras, Cooray, Suhr, Gut).

Resp.: Optimum sane consilium.

II: Apte considerentur quae dicta sunt ab Em.mis Frings, Bea, Ruffini, Döpfner, Léger; et ab Exc.mis Hurley et Tinello (Confalonieri).

Resp.: De singulis considerandum est in sequentibus punctis.

III: Prudenter agendum est ne occasiones dentur disceptationum et divisionum (Jelmini).

Resp.: Etiam hoc optimum est consilium, quod in schemate exarando continuo ante oculos Commissionis Praeparatoriae fuit.

IV: Brevius decretum fiat, quod agit de rebus iam in Commissione theologica pertractatis (Sépinski: concordant Liénart, Döpfner, Suenens, McKeefrey, Graner, Bernard, Verwimp, Jelmini, Janssens).

Resp.: Aliquae abbreviationes quidem fieri possunt, ne repetitiones sint in actis concilii. Tamen non est curandum de nimia brevitate, quia hoc modo decreta evacuantur.

Ceterum puncta fundamentalia omnibus nota sunt et pervia; at non tantum ad haec puncta potiora et fundamentalia Concilium attendere debet, si vult efficaciam habere, sed etiam aliqua magis determinata docere et praecipere. Eo vel magis quod ipsi Patres Commissionis Centralis plura addenda existimant, ad decretum iam a Commissione praeparatoria propositum.

— 55 —

Caput I
NOTIONES (vel NORMAE) FUNDAMENTALES

Observationes praeviae et responsa eis data

I: In notionibus fundamentalibus decretum declaret dependentiam muneris docendi disciplinas sacras a Magisterio Ecclesiae (Micara).

Resp.: Iam hoc est factum et ad hunc finem decretum est propositum.

Art. 1

I: Pagina 5, linea 2, sic mutetur: « ... Fidei depositum diffundendum concredidit » (Léger: concordant Tisserant, Liénart, Giobbe, Bea, Graner, Bazin, Jelmini, Sépinski, Janssens).

Resp.: Observatio non est recipienda; nam Ecclesia debet non tantum diffundere sed etiam custodire, explicare, defendere etc. depositum Fidei; ideo aut omnia munera haec ponenda sunt aut nullum in particulari indicandum est. Secus in textu concilii insinuaretur momentum minus aliorum, quod concedi non potest.

II: Pagina 5, lin. 5, sic mutetur: « ... Christi Vicarius, atque in eius communione Episcopi, qui sunt... » (Silva Henriquez).

Resp.: Animadversio recipitur. — Vide Emendationes.

Art. 2

I: Pagina 5, lin. 11-13, sic mutentur: « Ideo qui magistri missionem sacras disciplinas in scholis et universitatibus docendi a legitimo Ecclesiae magisterio acceperunt, necesse est... » (Ruffini: concordant Giobbe, Traglia, Santos, Campbell, Ngô-dinh-Thûc).

Resp.: Animadversio recipitur. — Vide Emendationes.

Art. 3

I: *a*) Pagina 6 lin. 10, loco verbi « animasque » sit « hominesque » (Léger: concordant ut ad art. 1, n. I).

Resp.: Animadversio recipitur. — Vide Emendationes.

b) Linea 12, loco « ipsius Doctoris Angelici exemplum sectando » ponatur: « ipsorum Doctorum Ecclesiae exemplum sectando » (Léger: concordant ut supra).

— 56 —

Resp.: Animadversio non recipitur; nam ideo S. Thomas exemplum proponitur, propter ipsius particularem vim in progressu scientiae philosophicae et theologicae fovendo, sua audaci inquisitione continuo conatus est inserere in doctrinam catholicam novas suorum temporum doctrinas ab erroribus expurgatas; quod S. Thomas fecit sapienter et fortiter adhibendo philosophiam Aristotelis, tunc temporis in occidentem noviter diffusam. Hoc est proprium S. Thomae, et non valet de omnibus aliis Ecclesiae Doctoribus. Ex. gr. S. Bonaventura a mente S. Thomae omnino alienus. Et ideo in textu decreti aut ponatur S. Thomas aut illa sententia omittatur.

c) Linea 20 dicatur: « ... ab omni errorum specie expurgatam, si quae sint... » (Léger: concordant ut supra).

Resp.: Animadversio non recipitur; nam verba addita « si quae sint », iam evidenter subintelliguntur.

d) Linea 25, loco verbi « erronea » melius dicatur « falsa » (Léger: concordant ut supra).

Resp.: Animadversio recipitur. — Vide Emendationes.

II: Pagina 6, linea 24, loco « obvium sensum », melius dicatur « genuinum sensum » (Döpfner: concordant Léger, Giobbe, Bea, Hurley, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Bernier, Jelmini).

Resp.: Animadversio recipitur. — Vide Emendationes.

III: *a*) Pagina 6, linea 8-9, interpunctio sic fiat: « ita ut, fide roborata et illuminata, apti... » (Sépinski: concordant ut ad Observ. Gen., n. IV).

Resp.: Animadversio recipitur. — Vide Emendationes.

b) Pag. 6, lin. 12-13, dicatur: « Quapropter, ipsius Doctoris Angelici aliorumque Ecclesiae sanctorum doctorum exemplum sectando... » (Sépinski: concordant ut supra).

Resp.: Non accipitur, propter rationes superius allatas (Art. 3, n. I *b*).

c) Pag. 6, lin. 23-25, interpunctio sic fiat: « ita ut, si sententia aliqua neget vel deformet ... a magisterio propositae, ... » (Sépinski: concordant ut supra).

Resp.: Animadversio recipitur. — Vide Emendationes.

d) Pag. 8, lin. 29, interpunctio sic fiat: « sed, servatis prudenter differentiis, valent etiam ... » (Sépinski: concordant ut supra).

Resp.: Animadversio accipitur. — Vide Emendationes.

Art. 4

— 57 —

I: Nihil dicendum, quia animadversio non excluditur a decreto (Ruffini, concordant ut ad art. 2, n. I).

II: *a*) Titulus quartae paragraphi mutetur, et sit: « Opiniones discernendae ». Prima vero sententia sic mutetur: « Ideoque bene quisquis in suo campo magister de diversis opinionibus hinc inde exsurgentibus certior semper exstet, et, in novis sententiis scrutandis, quod verum est retinens quod autem falsum reiciens, doctrinam Ecclesiae fideliter teneat, ita ut discipulos suos ad plenam et solam veritatem Christi prudenter et scienter ducat » (Léger: concordant ut ad art. 1, n. I).

Resp.: Mutatio tituli potest fieri sed est minoris momenti, quia huiusmodi tituli in textu Concilii omittentur. Mutatio vero textus decreti placet et recipitur. — Vide Emendationes.

b) Secunda sententia incipiat per verba: « Errores tamen... » (Léger: concordant ut supra).

Resp.: Animadversio recipitur. — Vide Emendationes.

c) In ultima sententia (pag. 7, lin. 7) sequentia verba addantur: « ... et auctores catholici qui, honeste inquisitionem veritatis prosequentes, tamen Ecclesiae ... » (Léger: concordant ut supra).

Resp.: Animadversio non recipitur; non refert utrum auctores bona aut mala fide errent; nam semper curandum est ne discipuli in eorum errores cadant.

III: In pag. 6, lin. 37 usque pag. 7, lin. 4, verba: « Quos errores ... problematis inspectione », omittantur vel in notis ponantur (Döpfner: concordant ut ad art. 3, n. II).

Resp.: Animadversio non recipitur, nam etiam illa verba habent peculiare momentum.

Art. 5

I: *a*) Pagina 7, lin. 13, loco verborum « quasi fundamentum et columnas sacrae scientiae » dicatur: « ut regula sacrae scientiae ». Nam tantum Scriptura et Traditio sunt fundamentum et columna scientiae sacrae (Léger: concordant ut ad art. 1, n. I).

Resp.: Mutatio minus placet; in *I Tim.* 3, 15 non de Scriptura vel Traditione, sed explicite de *Ecclesia* dicitur quod sit « *columna et fundamentum veritatis* »; Textus proinde sic corrigi potest: « Summopere ergo curent magistri doctrinarum sacrarum ut alumni cognoscant et magni aestiment documenta sive antiqua sive moderna Ecclesiae, quae est « columna et funda-

— 58 —

mentum veritatis » (cfr. *I Tim.* 3, 15); eorumdem sensum verum aperiant etc. ... ».

b) in fine art. 5 addantur verba: « Itaque memorentur ipsa magisterii documenta methodo vere positiva consideranda, ita ut sensus eorum clare appareat et momentum eorum bene percipiatur » (Léger: concordant ut supra).

Resp.: Additio non videtur necessaria. Si Subcommissioni de emendandis Schematibus aliter videtur, stylus linguae corrigatur.

Art. 6

I: Propter difficultates quae oriri possunt in iudicando de obsequio debito magisterio non infallibili Ecclesiae, pag. 7 post lineam 29 addantur verba: « donec ulteriores investigationes factae et novae rationes inventae sint » (Frings: concordant Tisserant, Liénart, Siri, Quiroga y Palacios, Léger, Döpfner, Alfrink, Silva Herniquez, Suenens, Ujčič, Graner, Hurley, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Jelmini, Sépinski, Janssens).

Resp.: Difficultas vere adest et additio videtur opportuna. Curandum est tamen ne per haec verba conscientia veri obsequii interioris erga magisterium non infallibile Ecclesiae minuatur. Additio ergo sic sonet (pag. 7, lin. 29): « *donec ulteriores investigationes factae et novae rationes, ab ipsa Ecclesia probandae, inventae sint* ». — Vide Emendationes.

II: Ad vitandam expressionem « magisterium non infallibile » quod posset minuere in fidelibus obsequium et oboedientiam erga magisterium, proponitur mutatio expressionis, quae idem dicat at non contineat expressionem illam non gratam, « magisterium non infallibile ». Proponitur sequens mutatio textus: « Clare etiam alumnos suos doceant de authentico valore Magisterii Ecclesiae, cui assistentia Spiritus Sancti promissa est. Illos doceant magisterium non solum silentium obsequiosum, sed semper etiam interiorem religiosum assensum exigere, ita ut quando Romani Pontifices in actis suis de re hactenus controversa sententiam ferant, res illa, secundum mentem et voluntatem eorundem Pontificum, quaestio liberae inter theologos disceptationis iam haberi non possit. Explicent insuper Summos Pontifices aliquando, in docendo de rebus fundamentalibus, adiutos esse charismate infallibilitatis, ita ut Magisterio infallibili et irreformabili proponant, quod ab omnibus Christifidelibus devotissime recipi debet, secluso lapsu in fide. Tandem magistri utiliter docent differentem valorem doctrinarum, apte distinguentes quaenam certa tenenda, quaenam ulteriori investigationi subicienda » (Léger: concordant ut ad art. 1, n. I).

— 59 —

Resp.: Scopus ab hac emendatione intentus probari potest. Sed ipse textus propositus minus placet. Nimis ambigua est locutio « Summos Pontifices aliquando, *in docendo de rebus fundamentalibus,* adiutos esse charismate infallibilitatis, ... ». Ceterum de solo magisterio extraordinario Romanorum Pontificum in emendatione agitur. Insuper inserenda est emendatio supra ad I statuta. Proponitur quoque, ut in lin. 20 post verbum irreformabile addatur: « *sive ordinarium sive extraordinarium* ».

III: Quomodo componi debent assensus internus religiosus erga magisterium Ecclesiae non infallibile et dubitationes, quae prudenter oriri possunt apud doctos?

a) In pag. 7, linea 24 sic mutetur: « ... sed etiam generatim interiorem religiosum assensum... ».

b) Post lin. 29 addantur verba haec: « Hisce vero normis minime impeditur quominus theologi catholici eandem rem plenius investigent. Difficultates autem, si quae forsitan ex argumentis novis allatis oriantur, iidem conformiter cum doctrina a magisterio authentice proposita solvere nitantur. Quod si fieri impossibile esse videtur, quin inveniantur solutiones extortae, dubia et novas propositiones ad ipsum magisterium, i. e. ad Episcopos vel ad Sanctam Sedem, qua par est reverentia, deferre licebit » (Döpfner: concordant ut ad art. 3, n. II).

Resp.: Ad *a*) Additio videtur inutilis dato argumento; exceptiones relate ad interiorem assensum dari possunt, sed regula integra manet.

Ad *b*) Huic instantiae legitimae essentialiter iam satisfit in Resp. ad I (Frings).

IV: *a*) Etiam Magisterium « fallibile » in Schemate practice fit infallibile, quia excluditur omnis discussio de huiusmodi documentis pontificiis.

b) Auctoritas doctrinalis quibusnam competit in Ecclesia?

c) Illa « infallibilitas practica » respicitne etiam rem disciplinarem? (Maximos IV: concordant Liénart, Döpfner, Suenens, McKeefrey, Bernard, Bernier, Verwimp, Sépinski, Janssens).

Resp.: Ad *a*) Negatur obiectio. — Vide Emendationes acceptatas in Resp. ad I (Frings).

Ad *b*) Auctoritas doctrinalis pertinet Summo Pontifici, docenti vel per se immediate vel per Sacras Congregationes Ro-

— 60 —

manas. Differentiae explicantur in Decreto « De Ecclesiae Magisterio » proposito a Commissione theologica.

Ad *c*) Omnes norunt Ecclesiae infallibilitatem tantum in rebus de fide et de moribus; ergo non in re pure disciplinari. Hoc valet de Summo Pontifice (et Congregationibus Romanis), sicut etiam de dispositionibus disciplinaribus Patriarcharum et Episcoporum.

Art. 7

Opportunum videtur addere clausulam de valore doctrinali magisterii singulorum episcoporum; quorum auctoritas non eo ipso authentica censenda est (Döpfner: concordant ut ad art. 3, n. II).

Resp.: Animadversio recipitur. Pagina 8, linea 5 sq. dicatur: « ... auctoritatem doctrinalem Summi Pontificis et Episcoporum in communione cum Summo Pontifice docentium, qui unice magistri... ».

Art. 8

I: Paragraphus non placet, quia est additio, et introducit novas quaestiones disputationi obnoxias (Liénart: concordant Suenens, Bazin).

Resp.: Animadversio in parte solummodo recipitur. Nam ideo paragraphus ista addita est ut obsequium erga Magisterium Ecclesiae in omnibus scientiis proponatur et etiam praesertim in philosophia. Tollatur e contra ultima sententia (pagina 8, linea 32-36: « Quod quidem obsequium ... haec S. Synodus censet ») et omittatur nota 19; nondum enim constat, in quonam contextu schemata « de ratione docendi S. Scripturam » et « De doctrina S. Thomae servanda » ponenda sint.

II: Pagina 8, lin. 29 fiat interpunctio (,) post « sed » (Sépinski).

Resp.: Animadversio recipitur. — Vide Emendationes.

Animadversio ipsius Commissionis Praeparatoriae ad paginam 10, notam 5:

Tollantur primae 8 linae huius notae, quia textus ibi adductus mutatus est in definitiva forma schematis « De Ecclesiae Magisterio ».

In notis 12, 14 et 17 corrigatur:

Cfr. Constitutionem « De Ecclesia », *Pars II*, cap. VIII « De Ecclesiae Magisterio ».

— 61 —

EMENDATIONES

Art. 1

Pagina 5, lineis 5 et 6, loco « sub eius auctoritate » dicatur: « *in eius communione* ».

Art. 2

Pagina 5, linea 11, loco « ad munus » dicatur « *missionem* ».
Pagina 5, linea 12-13, loco « ab Ecclesia vocantur » dicatur: « *a legitimo Ecclesiae magisterio receperint,* ».

Art. 3

Pagina 6, linea 8, inter verba « ut » et « fide » ponatur virgula.
Pagina 6, linea 10, loco « animasque » dicatur « *hominesque* ».
Pagina 6, linea 23, inter verba « ut » et « si » ponatur virgula.
Pagina 6, linea 24, loco « obvium » dicatur « *genuinum* ».
Pagina 6, linea 25, loco « erronea » dicatur « *falsa* ».

Art. 4

Pagina 6, linea 31, loco « Refutatio errorum » dicatur « *Opiniones accurate discernendae* ».
Pagina 6, linea 34, loco « emendandis et assimilandis » dicatur: « *scrutandis, quod verum est retinens, quod autem falsum reiciens* ».
Pagina 6, linea 35-36, loco « discipulosque a praecipuis grassantibus erroribus immunes servet » dicatur: « *discipulosque ad plenam et solam Christi veritatem prudenter et scienter ducat* ».
Pagina 6, linea 37, loco « Quos errores » dicatur: « *Errores tamen* ».

Art. 5

Pagina 7, linea 10 usque ad 15 proponitur novus textus: « Summopere ergo curent magistri doctrinarum sacrarum ut alumni cognoscant et magni aestiment documenta sive antiqua sive moderna Magisterii Ecclesiae, quae " columna et firmamentum veritatis " est (cfr. *I Tim.* 3, 15), eorundem sensum verum aperiant... ».

Art. 6

Pagina 7, linea 20 adiungatur post verbum « irreformabile »: « *sive ordinarium sive extraordinarium* ».

— 62 —

Pagina 7, linea 29, post verba « non possit » adiungatur: « *donec ulteriores investigationes factae et novae rationes Ecclesiae reverenter propositae et ab Ipsa perpendendae, inventae sint* ».

Art. 7

Pagina 8, linea 5 et 6 dicatur: « ... auctoritatem doctrinalem Summi Pontificis et Episcoporum in communione cum Ipso docentium, qui unice magistri... ».

Art. 8

Pagina 8, linea 29, post verbum « sed » ponatur virgula.

Pagina 8, linea 32, usque 36: « Quod quidem obsequium... haec Sancta Synodus censet. » omittantur.

Ad Notas

Pagina 10, nota 5, tollantur primae octo lineae huius notae.

In notis vero 12 et 14 (pagina 10) et in nota 17 (pagina 11) corrigatur: cfr. Schema Constitutionis « *De Ecclesia* », pars. II, caput VII, « De Ecclesiae Magisterio ».

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, significare an textus huius capitis sit sufficientèr emendatus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

— 63 —

Caput II

DE RATIONE DOCENDI S. SCRIPTURAM

Observationes praeviae et responsa eis data

I: « *Cognitio* » Sacrae Scripturae (de qua in prooemio, pag. 7, linea 3-5) nondum reddit firmiorem coniunctionem cum Christo (Micara).

Resp.: Agitur de cognitione non tantum intellectuali, sed de illo modo cognoscendi, qui in ipsa Sacra Scriptura saepissime affirmatur: « Haec est vita aeterna, ut cognoscant Te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum » (*Io.* 17, 3).

II: Exoptatur mutatio schematis secundum animadversiones Patrum (Garibi).

Resp.: Desiderium hoc est nimis generale.

III: Schema ampliari deberet ulterioribus determinationibus circa functionem S. Scripturae in methodo theologico, circa genera litteraria, circa relationem inter testimonium Christi et testimonium communitatis christianae primaevae (Döpfner: concordant ut ad cap. I, art. 3, n. II).

Resp.: Praesens schema est subsidiarium tantum ad Constitutionem « De Fontibus Revelationis » a Commissione Theologica exaratam. De cetero Card. Bea (cfr. n. IV) urget non esse ad particularia descendendum.

IV: *a*) Schema nihil novi continet et quaeri potest num ea quae dicuntur ad Concilium pertineant; schema aptius ordinari posset.

b) S. Scripturae deberet maius spatium et tempus assignari in cursu theologico (Bea: concordant Tisserant, Liénart, McGuigan, Léger, Döpfner, Alfrink, Ritter, Silva Henriquez, Suenens, Gori, Cheikho, Alter, Graner, Hurley, Perrin, Šeper, Bazin, Bernard, Yago, Verwimp, Jelmini, Scharmach, Janssens).

Resp.: Ad *a*) Non erant nova dicenda, sed a Concilio solemniter inculcanda sunt summa principia quae, nonobstantibus Instructionibus Commissionis Biblicae iam datis, a non paucis non satis respiciuntur. Cfr. rationes allatas in fine Prooemii per-

— 64 —

strictas et cfr. Monitum S. Officii d. 20 iunii 1961. De cetero ipsa Commissio Centralis in thematibus Commissioni De Studiis et Seminariis commissis agendum esse statuerat « De ratione docendi Sacram Scripturam ». Ipsa indicare poterit utrum et qua ratione hoc schema cum Constitutione « De Fontibus Revelationis » coniungi debeat.

Quod schematis *ordinem* attinet, non habetur illa repetitio ab Em.mo Bea affirmata.

In par. 1, pag. 7 a linea 30 usque ad pag. 8, lin. 4, sermo est de conditionibus adimplendis ab eis qui ad docendam S. Scripturam vocantur.

In par. 2: de principiis fundamentalibus explicationis.

In par. 3: de programmate in lectionibus absolvendo.

In par. 4: de « spiritu » quo tota instructio in S. Scriptura penetrari debeat.

Potest vero, si Subcommissioni de emendandis Schematibus placet, par. 4 immediate poni post par. 2.

Em.mus Bea proponit prius agendum esse de valore Sacrae Scripturae pro doctrina et vita. Sed de his veritatibus agit ipsa Constitutio « De Fontibus Revelationis » a Commissione theologica praeparata.

Ad *b*) Non est Concilii Oecumenici praescribere quot lectionibus per hebdomadam S. Scriptura docenda sit. Ipse Em.mus Bea in IV *a*) edixerat: « Ad summum, Concilium inculcare posset *principium* interpretationis Sacrae Scripturae, quin ad particularia descendant ». Secundum hoc criterium sufficit omnino id quod in Prooemio statuitur, nempe S. Scripturam in instituendis sacrorum alumnis principem locum obtinere debere. Cetera pertinent ad Rationes Studiorum a Conferentiis Episcoporum exarandis et ad instructiones a competenti S. Dicasterio edendas.

V: Exoptatur maior omnino integratio theologiae biblicae et patristicae in theologiam dogmaticam, evitando exclusivum quasi primatum methodi scholasticae (Hurley: concordant Tisserant, Graner, Šeper, Yago).

Resp.: Instantia potest accipi. Sed non in externo in hoc schemate tractanda est. In par. 4 enuntiatur fundamenale principium: « S. Scripturae usus in universam influat Theologiam eiusque prope sit anima ».

Ulteriora habentur in schemate Constitutionis « De Sacrorum alumnis formandis », Cap. IV: « De Studiorum Ratione in Seminariis », par. 15: « Proinde momentum Sacri Textus Theologicum, spirituale, liturgicum, et pastorale futuris Sacerdotibus

— 65 —

praeprimis aperiatur »; et in par. 19, ubi omnia ab Exc.mo Obiciente postulata in brevi synthesi habentur. De cetero cfr. eiusdem Constitutionis Cap. V: « De Institutione Pastorali », par. 5 (pag. 10, linea 4-6); par. 7 (pag. 11, linea 24-26).

VI: Principia generalia solum a Concilio dentur (Perrin).

Resp.: Observatio confirmat schema, contra plura desideria particularia.

VII: Schema summatim exhibet Instructionem Pont. Commissionis Biblicae (Sépinski: concordant ut ad observat. gen., n. IV).

Resp.: Non est contra schema.

Art. 1

I: Gradus academici congrui (pag. 7, linea 27 sq.) pro magistris S. Scripturae postulentur tantummodo « in quantum fieri possit » (Quiroga y Palacios).

Resp.: Secundum mentem S. Sedis debet omnino sustineri severior forma in schemate adhibita. Data gravitate muneris docendi Sacram Scripturam, studia particularia congruis titulis comprobata omnino necessaria sunt.

II, III et IV proponunt novum textum pro lineis 23-25, ne deprimatur plus aequo momentum, quod scientiae quoque humanae convenit (Léger, cui adsentiunt Tisserant, Liénart, Giobbe, Bea, Graner, Bazin, Jelmini, Sépinski; et modo aliquatenus alio Alfrink et Silva Henriquez).

Resp.: Annuitur observationibus. Textus sic emendetur: « ... doctrinae revelatae, non tantum scientiae humanae, quantumvis insignis et necessariae agant magistros... ».

Art. 2

I: (Liénart, cum Suenens, Bazin, Suhr); II (Ruffini: cum Giobbe, Marella, Traglia, Santos, Di Jorio, Campbell, Ngô-dinh-Thuc); III (Léger); IV (Silva Henriquez) desiderant ut in pag. 8 ss. verba citata ex Encyclica *Divino afflante Spiritu* compleantur et ita ponantur ut non tantum vindicationem veritatis historicae et obiectivae, sed etiam mentem Sacri auctoris plenius perspiciendam respiciant.

Resp.: Annuitur libenter his observationibus. Melior videtur propositio facta ab Em.mo Léger, addito autem complimento citationis ex Encycl. *Divino afflante Spiritu,* sicut iure desiderant

— 66 —

Em.mi Liénart et Silva Henriquez; nam sic clarior apparet utilitas huiusmodi methodi scientificae, quae semper est adhibenda, non tantum quando agitur de obiectionibus solvendis « Contra Divinarum Litterarum veritatem fidemque historicam ». *Legatur igitur* in pag. 8, inde a linea 9: ... inerrantia, statuatur et declaratur atque « Cognitio accurateque aestimatis antiquorum loquendi scribendique modis et artibus »,[5] veritas historica et obiectiva Sacrae Scripturae sarta tectaque conservetur [6] et Sacri Auctoris mens plenius illustrisque perspiciatur.[6-a]

Inter notam 6 et 7 inseratur nota 6[a] (in pag. 10, post lineam 7): Cfr. PIUS XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* l. c. n. 560.

V: *a*) Proponitur additamentum ad pag. 8 lineam 12 de indole particulari quae convenit historiographiae sacrorum auctorum.

b) In pag. 8, linea 18, post « analogiae fidei » addatur: « ... ratione habita etiam eorum quae a Pio XII scripta sunt de determinatione huius sensus litteralis » (Alter).

Resp.: Ad *a*) Principia fundamentalia in schemate iam sufficienter indicata sunt; dicitur enim (pag. 8, linea 9 ss.): « Cognitis accurateque aestimatis antiquorum loquendi scribendique modis et artibus ».

Ad *b*) Neque hoc additamentum necessarium est; insuper in forma, qua proponitur, decreto conciliari non convenit.

VI: In pag. 8, linea 11-12 inseratur clausula: veritas historica et obiectiva Sacrae Scripturae, *prout subiecta materia postulat,* sarta... conservetur » (Sépinski: concordant ut ad Obs. Gen., n. IV).

Resp.: Conceptus in clausula expressus iam continetur in principio fundamentali enuntiato in lin. 9-11; cfr. supra Resp. ad Alter V *a*).

Art. 3

I: *a*) (Léger), II *c*) (Döpfner), II *b*) (Alfrink) idem obiciunt: in pag. 8, lin. 33-34 ne dicatur « *vita* Iesu Christi ordinate tradatur », quia in S. Scriptura non agitur de vita Iesu Christi in sensu alicuius biographiae tradendae.

Resp.: Libenter annuitur. Emendetur textus hoc modo: « ex novo Testamento praecipue *quae Iesus fecit et docuit* (cfr. *Act.* 1, 1) tradantur, et ... ».

— 67 —

I: *b*) Pag. 9, linea 9 dicatur « *fusius proclametur* » loco « fortius possit vindicari » (Léger).

VII: Eadem pag. 9, linea 9 dicatur « *profundius comprehendatur* » « profundius adoretur » (Sépinski).

Resp.: Attentis observationibus textus in linea 8-9 sic emendetur: « ... ut integra veritas divina clarius appareat, profundius colatur, latius promulgetur ».

II: *a*) Notetur etiam valor doctrinae biblicae pro vita intellectuali et spirituali.

b) Durante tota institutione theologica habeatur lectio et explanatio currens S. Scripturae (Döpfner: concordant ut ad Cap. I art. 3, n. II).

Resp.: Ad *a*) Hic valor S. Scripturae exprimitur in par. 4 schematis, pag. 9, linea 14 ss. In responsione autem ad *b*) huic observationi etiam explicite satisfit. Insuper si Sub-Commissioni de schematibus emendandis opportunum videtur, in fine huius par. 4 haec addi possunt (pag. 9, linea 21 sq.): « ... laetum nuntium communicare ipsosque fideles ad Sacri Textus lectionem ducere discant qua " per consolationem Scripturarum " (cfr. *Rom.* 15, 4) spe confortentur ».

Ad *b*) Annuitur observationi. Post lineam 28 pag. 8 addatur: « Durante toto curriculo theologico habeatur cursim lectio Veteris et Novi Testamenti, adnexa explicatione concisa, sed solido fundamento scientifico innixa. Praeterea Sacrae Scripturae magister ne omittat in lucem ponere vitale momentum quod narrationes et doctrinae librorum sacrorum habent pro vita intellectuali et spirituali hominum in cuiusvis temporis adiunctis ».

III: *a*) In pag. 8, linea 31 inseratur « historia originis populi electi Israël » (Alfrink).

Resp.: Annuitur. Cfr. Emendationes.

b) Iam provisum est.

IV: Alumni cum tota Sacra Scriptura familiares reddi debent (Ritter).

Resp.: Iam provisum est in Resp. ad II *b*); vide Emendationes in par. 3.

V: *a*) Exigatur praeparatio omnium S. Theologiae professorum in re biblica.

b) In schemate deest sensus investigationis scientificae (Silva Henriquez).

— 68 —

Resp.: Ad *a*) Non pertinet ad hoc schema; iam adest propria hac de re paragraphus in schemate Constitutionis « De Fontibus Revelationis » (par. 29, pp. 18 sq.).

Ad *b*) Negatur. Cfr. par. 1, par. 2, par. 3 (emendatum).

VI: Exigatur modus proponendi *synthesim,* ita ut quaedam theologia biblica proponatur (Alter).

Resp.: Observatio IV (Ritter) dixerat, hanc paragraphum 3 probare praxim secundum quam S. Scriptura docetur *synthetice,* i. e. secundum quasdam veritates doctrinales explicandas.

Art. 4

I: Explicite notetur influxus S. Scripturae in curam pastoralem (Döpfner).

Resp.: In schemate (pag. 9, lin. 13 sq. statuitur S. Scripturam debere influere *in universam* Theologiam; ergo et in theologiam pastoralem. Praeterea momentum pro praedicatione explicite in schemate effertur (pag. 9, linea 19 sq.).

II: *a*) explicite exprimatur relatio S. Scripturae et « Theologiam in Ecclesiam iam constitutam ».

b) Inculcetur valor vitalis S. Scripturae etiam pro hominibus hodiernis (Alter).

Resp.: Ad *a*) Quae in schemate synthetice modo (pag. 9, lin. 13 ss.) dicuntur, deberent sufficere, imprimis quia in schemate Constitutionis « De Fontibus Revelationis » (pag. 29) hac de re explicitius tractatur.

Ad *b*) Provisum est in Resp. ad art. 3, Observ. II *a*) et *b*). Vide textum emendatum articuli 3.

EMENDATIONES

Ad Art. 1

Pagina 7, linea 24, loco « autem » dicatur « *tantum* ».

Pagina 7, linea 25, post « insignis » adiungatur: « *et necessariae* ».

Ad Art. 2

Pagina 8, linea 9, post « declaretur » additur: « *atque* ».

Pagina 8, linea 12, post « conservetur » adiungatur: « *et Sacri Auctoris mens plenius illustriusque perspiciatur* (6[a]) ».

Ad Art. 3

Pagina 8, post lineam 28, adiungatur: « *Durante toto curriculo theologico habeatur cursim lectio Veteris et Novi Testamenti, adnexa explicatione concisa, sed solido fundamento scientifico innixa. Praeterea Sacrae Scripturae magister ne omittat in lucem ponere vitale momentum quod narrationes et doctrinae librorum sacrorum habent pro vita intellectuali et spirituali in cuiusvis temporis adiunctis* ».

— 69 —

Pagina 8, linea 31, inseratur: « ... primordiis, *historia originis populi electi Israël,* Prophetarum... ».

Pagina 8, linea 33-34, loco « vita Iesu Christi ordinate tradatur » dicatur: « *quae Iesus fecit et docuit* (cfr. *Act.* 1, 1) tradantur ».

Pagina 9, linea 8-9, loco: « fortius possit vindicari, profundius adoretur » dicatur: « *profundius colatur, latius promulgetur* ».

Ad Art. 4

Pagina 9, linea 22, loco « discant » dicatur: « *ipsosque fideles ad eam Sacri Textus lectionem ducere discant, qua* " *per consolationem Scripturarum* " (cfr. *Rom.* 15, 4) *spe roborentur* ».

Ad Notas:

Pagina 10, post notam 6, inseritur:

6.a Cfr. PIUS XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* l. c., n. 560.

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollent sapientia, significare an textus schematis huius capitis sit sufficienter emendatus; et, quatenus negative, quaenam adhuc desiderentur emendationes.

— 70 —

Caput III

DE DOCTRINA S. THOMAE SERVANDA

A) *Observatio quaedam generalis*

Omnes quidem animadversiones criticae, quae in Commiss. Centr. allatae sunt, iam ad trutinam vocatae fuerant et plena animi libertate atque fere cum omnium satisfactione — ut ex votatione constat — discussae et solutae in Commiss. Praeparatoria, Decretum enim *quinquies* discussum et emendatum est (Confer Acta eiusd. Commiss.).

Miramur proinde, salva semper debita reverentia, quam veloci verbo in Commissione Centrali res actae fuerint, tamquam si nihil prius tractatum fuisset a peritis et doctis membris Commiss. Praepar., immo critica ipsorum adversariorum Ecclesiae (v. g. in Observ. II ubi afferuntur « mendacia et contumeliae » contra S. Thomam; et etiam Observ. XIII ubi falsa theoria kantiana de principio causalitatis exaltatur (mirandum valde!) super solutionem thomisticam; similiter Observ. IV falso asserit « marxismum doctrina S. Thomae oppugnari non posse » (?), dum peritis constat S. Thomam iam posuisse fundamenta iuris sive privati sive internationalis (Ihering) et infensissimum esse capitalismo et egoismo divitum sec. puram Evangelii et Novi Testamenti doctrinam!), Orthodoxorum et Protestantium assumuntur dicta contra S. Thomam.

Antiquae animositates veterum Scholasticorum contra S. Thomam ex oblivione excitantur sub pretextu libertatis.

Oppositio illorum qui in Commiss. Centrali contra S. Thomam locuti sunt, aperte vel velate, ad chaos Nominalismi scholarum mediaevalium saec. XIV-XV, quae Humanismum provocaverunt sive ad babelem doctrinalem saeculorum eclectismi XVII-XIX unde orta est philosophia moderna, reditum parare videtur.

Quid de splendido et universali consensu totius Episcopatus, Ordinum Religiosorum, Universitatum post « Aeterni Patris » (cfr. J. J. BERTHIER, *S. Thomas, Doctor Communis Ecclesiae,* Romae 1914)?

Fructus optimi quos ultimo saeculo theologia et philosophia catholica post exaltationem thomismi nactae sunt (Lorenzelli, Satolli, Janssens, Tabarelli, Liberatore, Cornoldi, Billot, Mattiussi, Grabmann, Plassmann, Stöckl, Gredt, ...), quique theologiam sive speculativam sive positivam (praes. theol. biblicam, historiam dogmatum) a tabe Modernismi vel criticae liberalis seu naturalisticae praeservaverunt, inanes erunt.

— 71 —

Scopus proinde Decreti specialis pro S. Thoma, quod peritis Commiss. Antepraep. de Studiis commissum fuit, est in primis actionem continuam Supremi Magisterii a Leone XIII ad Ioannem XXIII f. r. usque, fructus eximios obtentos sacre custodiendos, ipsos errantes ut in viam veritatis et unitatis redeant invitare.

Ii qui proinde in Commiss. Centrali *ex toto* volunt decretum delere vel aperte contra magisterium Ecclesiae viventis locuti sunt, vel rem ipsam in suis fundamentis et consectariis non sat accurate considerasse videntur.

B) *Ad observationes criticas praecipuas*

Diff. 1. (Observ. V et VI) « Quae ab ultimis quinque Pontificibus allata sunt valebant pro erroribus tunc grassantibus, non vero hodie » (V. Frings, concordant 17 Membra; VI. Valeri, concordant 5 Membra).

Resp.: Apud peritos in philosophia moderna constat errores hodiernos vel eosdem esse ac hesternos scil. rationalismum, materialismum, laicismum, vel ab illis *directe* manantes (marxismum, existentialismum, *Lebensphilosophie,* pragmatismum, neopositivismum...). Unde urgentia vel necessitas redeundi ad S. Thomam potius aucta quam diminuta est.

Diff. 2. Proclamatio conciliaris circa auctoritatem S. Thomae *libertatem scientiae* in Ecclesia minueret (*Observ.* II, XIV, XVIII, XXI, XXIV): (II. Micara, concordant 21 Membra; XIV. Döpfner, concordant 12 Membra; XVIII. Ritter; XXI Bea, concordant 23 Membra; XXIV. Perrin).

Resp.: Haec est praecisa accusatio iniusta quam *rationalistae* (Eucken, Frohschammer, Paulsen, Rougier, Saitta) et modernistae omnes saepe fecerunt contra Encycl. *Aeterni Patris* et alia decreta pontificalia illam declarantia et applicantia. Ecclesia dum proponit S. Thomam magistrum officialem, non imponit « philosophiam ex decreto » (*Observ.* II), sive quia hoc dicere iam iniuriam sonare potest contra ipsos Summos Pontifices qui ad S. Thomam fideles revocarunt, sive quia indicando ex S. Thoma lineam plenioris usus rationis ante fidem (philosophia) et in fide (theologia) contra fideismum nominalisticum

— 72 —

aliarum scholarum *exercitium ipsius rationis et verae libertatis firmat.*

Diff. 3. Proclamatio conciliaris seu universalis de auctoritate S. Thomae, Doctoris Ecclesiae Occidentalis, *derogaret dignitati Ecclesiae Orientalis* (*Observ.* II, VII, XI aliquomodo, XX, XXI, XXIII, XXVI aliquomodo): (II. Micara, concordant 21 Membra; VII. Ciriaci; XI. Montini, concordant 2 Membra; XX. Silva Henriquez, concordat 1 Membrum; XXI. Bea, concordant 23 Membra; XXIII. Maximos IV, concordant 8 Membra; XXVI. Sépinski, concordant 10 Membra).

Resp.: Absonum est haec afferre quae sunt ex parte adversariorum Ecclesiae Romanae.

Ipse Micara cogitur admittere quod sunt « ... mendacia et contumeliae ». Ad quid ergo afferuntur et cui prosunt? *Hoc est contra historiam*:

a) S. Thomas prae omnibus doctoribus Occidentis altissimas habuit considerationem apud magnos doctores orientales (N. Cabasilas, D. Cydonius, Gennadius, Bessario, ...) et opera eius praecipua saepe in linguas orientales (graecam, syram, armenam...) translata sunt: recentissima; hisce ultimis annis, est translatio in 1 neo-grecam ab Acad. Theol. Athenarum.

b) Decisiva fuit praesentia S. Thomae in Conciliis quae de unione egerunt ita ut Angelicus declarari possit « *Doctor unionis seu Oecumenicus* » per excellentiam. Iam Gregorius X vocando illum ad Lugd. Conc. iussit eum afferre secum opuscul. *Contra errores Graecorum.*

Professio fidei Mich. Paleologi, in eodem concilio facta, extracta est ab opusculis S. Thomae *Contra errores Graecorum, De rationibus Fidei, Contra Graecos, Armenos et Saracenos; Declaratio quorundam articulorum contra Graecos,* etc. Anno 1341 Benedictus XII edidit elenchum errorum Armenorum, qui nihil aliud est quam compilatio ex opusc. S. Thomae ab aliquo canonista facto. In Conc. Florentino, sub Eugenio IV, Decreta pro Graecis (26 iul. 1439), pro Armenis (22 nov. 1439) et pro Jacobitis (4 febr. 1441) ex opusculis nunc memoratis S. Thomae fere usque ad verba revocata sunt. Haec scripta adhuc apparent a. 1575 quando Gregorius XIII conatus est unionem facere inter Ecclesiam Romanam et Graeco-Russam.

Haec omnia noverunt posteri ut super sepulcrum Doctoris Angelici poneretur inscriptio:

> « Hoc unum optarem, miro inflammatus amore
> unus sit Europae cultus et una fides ».

— 73 —

Unde recte ergo quidam modernus criticus de hac praesentia decisiva in Conciliis S. Thomae scripsit: « Even more absolutely here the words of St. Thomas have become the official language of the Church, the position of the creed dealing with the sacraments being taken verbally from the opusculum of St. Thomas, entitled *De Articulis fidei...* » (B. JARRETT, *St. Thomas and the Reunion of Christendom,* in « St. Thomas Aquinas », Papers from the Summer School of Catholic Studies held, at Cambridge, August 4-9, ed. by C. Lattey S. J. — Cambridge, W. Heffer and Sons, 1925, pp. 242-244).

c) *Ex experientia directa* declaravit *plenam* conformitatem doctrinae S. Thomae cum mente Orientalium Ngô-dinh-Thûc (*Observ.* XXV) quod obvium videtur *cum natura et ratio humana eadem sit apud omnes populos.*

De cetero omnes qui docent Romae in aliqua Univ. Pontificia experiuntur in suis alumnis undique venientibus hanc magnificam conformitatem quae catholicismum iam parat et auget.

Vere mirandum est similes factas esse difficultates contra Decretum!

Diff. 4. Documenta pontificia et C.I.C. Can. 1366, 2 non intendunt alligare doctrinae S. Thomae alias scholas (Franciscanos, Suarezianos) sed relinquunt libertatem sequendi proprios doctores... (*Observ.* II, XIV, XXI pro Suarezianis, XXVI pro Franciscanis).

Resp.: *a*) *Hisce interpretatio si recta esset, evacueret sensum principalem documentorum* qui consistit in eligendo S. Thoma ut Doctore officiali Ecclesiae, quod non fuit concessum nec ipsi Augustino nec cuilibet Patri vel Doctori ab ipsa Ecclesia proclamatis.

b) *Haec interpretatio destructiva quolibet caret iuridico fundamento.* Concessiones quae ad praeces datae sunt quibusdam familiis religiosis, studendi scil. etiam suos Doctores, ut concessiones considerandae sunt quae legem generalem non tollunt. Si in Soc. Iesu data est facultas ad praeces Praep. Gen., propter rationes internas, ut Suareziani non teneant distinctionem realem in creaturis inter essentiam et esse, hoc videtur ad malum vitandum concessum fuisse, minime ex ipsa primitiva mente legislatoris. « Ab initio non fuit sic... »: optimi quique Thomistae ex S. I. considerant thesim praedictam ut verum cardinem thomismi (Cornoldi, Billot, Geny, Mattiussi, aliique).

c) Circa Theses XXIV, quas Observ. XXI omnino eliminare vult, mens Commiss. Praep. est:

— 74 —

1) inutile omnino videtur commendare doctrinam S. Thomae quin aliquid dicatur in concreto et modo praeciso quibus principiis et sententiis maioribus constet... Notum est enim doctrinam S. Thomae fere ab omnibus scholis oppugnatam fuisse, eo quod illae ad nominalismum plus minusve corruissent.

2) Si plane leguntur verba nostra, non simplicem impositionem XXIV thesium commendamus, sed novam redactionem principiorum *totius* doctrinae S. Thomae cuius specimen rude dedimus per « Additamenta ». Expressio deinde « ... normae tutae et directivae » sensum obvium teneat: securitatem enim viae ex monitu Magisterii indicat.

C) *Interpretatio decreti genuina iam data est ab aliquibus Membris in ipsa Comm. Centrali.*

1. *Sensum proprium Decreti,* quod non ut stricte doctrinale sed formaliter ut disciplinare habendum est, clare indicat Observ. XVI (Traglia), agitur unice de acceptanda et solemniter renovanda per Concilium commendationem S. Thomae quae iam transivit in legem Ecclesiae.

2. *Valorem doctrinalem Decreti* ad ipsam defensionem fidei atque ad sanam theologiam extruendam, firme proclamat Observ. VIII (Siri), contra chaos tum scholasticae decadentis, tum theologiae catholicae saec. XIX philosophiae modernae addictae, praesertim in Gallia et in Germania, quae damnationes pontificias provocarunt (Greg. XVI et Pius IX) et Concilium Vaticanum I adunare fecerunt.

3. *Rationes profundas electionis S. Thomae* in Doctorem Communem Ecclesiae exponit Observ. XXII (Browne) ita quod Lefebvre qui prius ad positionem contrariam adhaeserat, deinde ad decretum defendendum accesserit.

4. *Momentum positivum seu constructivum Decreti* sapientibus verbis aperuit Observ. XIII (Richaud), qui maximam convenientiam doctrinae S. Thomae seu actualitatem ad errores philosophiae modernae modo vere speculativo profligandos exponit.

Haec omnia plene concordant cum mente Commiss. Praeparatoriae.

Liceat pauca adhuc addere, claritatis causa:

a) Agitur de doctrina « ipsius » S. Thomae, non de Scholastica in genere sed nec absolute de schola thomistica historice considerata.

b) Agitur de doctrina S. Thomae *dynamice* intellecta, scil. expurgata ut patet a mendis culturae proprii temporis et ulterius evolvenda sec. virtualitatem et « aperturam » suorum principiorum.

— 75 —

c) Agitur de doctrina S. Thomae non praecise ut doctrina particularis Doctoris et alicuius epochae, sed in quantum ut « sanior et plenior » expressio rationis humanae iudicata est universaliter seu valida pro quolibet populo vel tempore. Hoc sensu vere S. Thomas non limen, sed lumen omnibus perenne habendus est.

D) *Observationes quaedam collaterales* (salva omnibus debita reverentia).

1. Plerique, et magis animosi, oppositores Commendationis solemnis Conciliaris de S. Thomae doctrina, prout Magisterium Ecclesia iam stabilivit, ex motivis particularibus ad propriam familiam religiosam attinentes progressi esse videntur (*Observ.* II et XXVI pro Franciscanis et XXI pro S. I.).

2. Liceat ad rem notare unicum membrum ex O. P. in Commiss. Praep. fuisse P. Lavaud qui numquam discussionibus adstitit propter surditatem gravem [nec suffragium ullum dare potuit]. Liceat etiam recolere quod dum in initio membra Comm. Praep. erant in opiniones diversas divisi, deinde per amplissimam et liberam discussionem ad Decretum ipsum adprobandum omnes venerunt praeter unum, qui (ut videtur) maiorem adhuc claritatem expostulabat.

3. Constare videtur in votatione Commiss. Centralis de nostro Decreto, plures dedisse idem suffragium, scil. *iuxta modum,* qui in discussione oppositas habebant sententias: unde videtur sensus et valor votationis ambiguitate gravi scatere.

E) *Solutiones quaedam possibiles proponuntur ex mente Comm. Praep.*

I. Ut Decretum nostrum inseratur sec. substantialem integritatem in aliquo alio decreto magis generali: v. g. De Magisterio, vel de Scholis catholicis et studiis.

II. Propter ambiguitatem votationis in Comm. Centrali habitae et quo melius difficultates exortae coram tota Ecclesia solvantur, res tota deferatur Sanctissimo qui Concilio mandet ut quaestio plene investigetur sub aspectu sive iuridico (seu de mente Magisterii sec. ultimos quinque Pontifices) sive formativo pro iuventute formanda et tuenda contra errores philosophiae modernae.

— 76 —

* * *

His omnibus rite perpensis, ne dedignentur Em.mi Patres nostrae Subcommissionis, sua qua pollente sapientia, significare quid in casu sit statuendum.

B) *PROCESSUS VERBALIS*

Il giorno 20 luglio, alle ore 10, si è riunita nell'abitazione dell'Em.mo Card. Clemente Micara la Sottocommissione degli Emendamenti con la partecipazione degli Em.mi Cardinali Clemente Micara, Giacomo Copello, Carlo Confalonieri.

Presidente: Card. Carlo Confalonieri, Presidente della Sottocommissione; segretario: Mons. Vincenzo Fagiolo.

Dopo la preghiera di rito, *l'Em.mo Card. Presidente* saluta gli Em.mi Principi, comunicando loro che è all'ordine del giorno, come già annunziato, l'emendamento degli schemi *De laicis* e di alcuni della Commissione dei seminari e degli studi.

Lo schema *De laicis* comprende quattro fascicoli: 1° *Prooemium generale et notiones generales*; 2° *De apostolatu laicorum in actione ad regnum Christi directe provehendum*; 3° *De apostolatu laicorum in actione caritativa*; 4° *De apostolatu laicorum in actione sociali.*

Lo schema, preparato dalla Commissione dell'apostolato dei laici, fu discusso dai Padri della Commissione Centrale nelle sedute dei giorni 18 e 19 giugno 1962.

I Padri della Commissione Centrale approvarono lo schema, facendo alcune osservazioni ed alcune modifiche, che furono passate alla Commissione di origine. Questa ha preso in esame tutte le osservazioni dei Padri della Centrale ed ha risposto ad esse con oggettività e chiarezza, accogliendo spesso anche le proposte di emendamento.

I Padri della Centrale hanno fatto delle osservazioni di carattere generale all'intero schema e, quindi, osservazioni di carattere particolare ai singoli numeri.

Tra le generali, la prima propone di ridurre lo schema «ad breviorem formam» e fu fatta dagli Em.mi Ruffini, Léger, Richaud, Döpfner, ecc.

La Commissione di origine non si è mostrata del tutto contraria alla proposta ed ha indicato già alcune riduzioni nel testo.

Si propone di insistere su questa osservazione. Dello stesso avviso sono i Cardd. *Micara* e *Copello.*

Alla seconda osservazione generale, fatta da Mons. Lefebvre, pare che la Commissione dica il giusto ricordando che fine dello schema «non est tractatio doctrinalis», così pure all'osservazione terza del Card. Silva Henriquez.

«Non mi sembra — conclude il *Presidente* — che sia il caso di insistere molto sull'espressione 'consecratio mundi', di cui all'osservazione quarta del Card. Richaud».

Il Card. Presidente continua quindi a passare in esame le altre osservazioni: la quinta, del Card. Siri, la sesta del Card. Richaud, la settima fatta da molti, l'ottava del Card. Godfrey, la nona di Mons. O'Connor, la decima del Card. Richaud, e le risposte date ad esse dalla Commissione di origine.

Vengono accettate le risposte con le spiegazioni della Commissione di origine ed i suggeriti cambiamenti da essa proposti.

Il Card. Presidente passa quindi all'esame delle osservazioni particolari fatte al «prooemium generale» e alla «pars prima: notiones generales».

Il Card. Presidente sottolinea che la Commissione di origine si è mostrata sensibile alle proposte dei Padri della Centrale, correggendo spesso dietro i loro suggerimenti il testo, come è facile rilevare.

Il Cardinale in proposito espone le osservazioni singole e le risposte ad esse date, comunicando altresì i cambiamenti proposti al testo.

Non vengono fatte altre proposte di cambiamento ed il testo viene perciò dichiarato approvato.

Il Card. Presidente passa quindi alla seconda parte: *De apostolatu laicorum in actione ad regnum Christi directe provehendum*, esponendo le singole osservazioni fatte dai Padri della Commissione Centrale e le risposte ad esse date dalla Commissione di origine.

Il Card. Micara torna a rilevare che sarebbe bene accorciare un po' almeno il testo: per quanto si dicano cose nuove per un Concilio, una forma più concisa o meno prolissa non guasterebbe.

Anche *il Card. Presidente* approva e con lui il Card. Copello.

Per il resto il testo viene approvato.

Il Card. Presidente passa quindi ad esaminare le singole osservazioni fatte alla parte terza dello schema: *De apostolatu laicorum in actione caritativa*, dando le risposte che ha fornito la Commissione di origine.

Il Card. Copello fa osservare che la struttura dello schema è sì bene ideata, ma egli avrebbe preferito che nello schema ci fosse stata una parte prevalente sull'Azione Cattolica.

Non si comprende perché da qualche anno a questa parte si cerchi di non sottolineare — come ai tempi di Pio XI e Pio XII — l'importanza dell'Azione Cattolica, la quale è stata veramente benefica, per esempio in Argentina.

Non vengono fatte altre osservazioni e proposte, per cui il testo resta approvato.

Il Card. Presidente passa quindi all'esame della parte IV: *De apostolatu laicorum in actione sociali*. Come al solito espone le singole osservazioni e le risposte ad esse date; comunica le correzioni fatte al testo; chiede quindi se si desidera qualche altro emendamento.

Non viene fatta nessun'altra proposta, per cui il testo resta approvato.

Viene concordemente raccomandato che lo schema sia possibilmente ridotto e che sia concordato anche con le parti affini ad altri schemi.

Fatta la preghiera di rito, viene tolta per 10 minuti la seduta.

Riprende la seduta per l'esame e l'emendamento degli schemi, non ancora presentati a questa Sottocommissione, della Commissione dei Seminari e Studi.

Il Card. Presidente comunica che di detta Commissione sono stati già emendati quattro schemi e che restano da esaminare quelli relativi al *De scholis, De obsequio erga Ecclesiae magisterium* e *De sacrorum alumnis formandis* (n. 4; uno già è stato fatto).

Il primo in ordine di tempo presentato a questa Sottocommissione è *De scholis catholicis*, che fu discusso dai Padri della Commissione Centrale nei giorni 12 e 13 giugno.

Le osservazioni fatte dai Padri furono molte (il Card. Presidente le comunica singolarmente, seguendo l'ordine della raccolta, pp. 38 ss.); ad esse la Commissione dei Seminari ha risposto singolarmente e con chiarezza (ne viene data comunicazione dettagliata).[1]

Il Card. Presidente dopo ogni osservazione e risposta, dice quale emendamento è stato proposto. Chiede quindi se gli Em.mi desiderino altre osservazioni e se hanno altre proposte da fare.

Non vengono avanzate altre proposte, per cui il testo resta approvato.

Il Card. Presidente passa quindi all'esame del testo dello schema *De obsequio erga Ecclesiae magisterium in tradendis disciplinis sacris*: caput I: *Notiones fundamentales*, esponendo le singole osservazioni e proposte fatte dai Padri della Commissione Centrale e le risposte della Commissione dei Seminari e Studi;[2] porta a conoscenza gli emendamenti introdotti nel testo e chiede se si desiderano altre aggiunte o correzioni.

Non viene fatta alcuna proposta ed il testo resta emendato.

Sul cap. II dello stesso schema: *De ratione docendi Sacram Scripturam, il Card. Presidente* comunica la parte relativa alle osservazioni e quella alle risposte, e le correzioni fatte al testo.[3]

Il Card. Micara osserva che spesso si hanno ripetizioni: temi trattati già da altre Commissioni; si dovrebbe cercare di condensare tutto in uno schema in modo da dare unità alla materia e non ripetere schemi quasi eguali. Anche gli altri approvano.

Non vengono fatte altre osservazioni ed il testo resta approvato, tenuta presente la suddetta proposta.

Sul III cap.: *De doctrina S. Thomae servanda*, dopo l'esposizione del Card. Presidente di tutte le osservazioni fatte dai Padri della Commissione Centrale e delle risposte ad esse date dalla Commissione dei Seminari,[4] si apre una certa discussione.

Il Card. Presidente osserva che della dottrina di S. Tommaso si è già parlato

---

[1] Cf. pp. 476 ss.
[2] Cf. pp. 484-488.
[3] Cf. pp. 488-491.
[4] Cf. pp. 492-495.

nello schema degli studi nei Seminari ed in quello delle Università ecclesiastiche, e chiede quindi se sia opportuno presentarne anche uno schema a parte.

Il Card. Browne dice che gli sembra di grande interesse ed importanza per la Chiesa aderire alla dottrina tomista; molti mali odierni e molte deviazioni dottrinali dipendono dal fatto che ci si è allontanati dalla dottrina e dalla metafisica tomista. « Sarebbe opportuno che il Concilio dicesse almeno che si stia alle norme e agli orientamenti già fissati dai Romani Pontefici, in particolare da Pio IX e Leone XIII ».

Per quanto riguarda la presentazione di un decreto esplicito alla dottrina di S. Tommaso da presentare al Concilio, si rimette alla discrezione del Santo Padre.

Viene accettata questa proposta.

Il Cardinal Presidente passa quindi all'esame dello schema: *De seminariorum ordinatione generali*, che fa parte della Costituzione *Da sacrorum alumnis formandis*, di cui è il cap. I, mentre il cap. II è formato dallo schema *De institutione spirituali*, il cap. III dallo schema *De disciplina in seminariis* (il quarto è già stato emendato), il cap. V *De institutione pastorali in seminariis*, e ultimo il cap. VI *De formatione post seminarium perficienda.*

Di questi l'*Em.mo Card. Presidente* espone tutte le osservazioni, che hanno avuto dai Padri della Commissione Centrale e le risposte ad esse date dalla Commissione dei Seminari e Studi.[5]

Vengono accettate le risposte date e le correzioni fatte al testo.

In particolare viene concordemente osservato che è necessario unire e concordare le norme simili che sono in altri schemi (cf. schema *De Ordine sacro, De Missionibus, De Religiosis*) in modo da non prospettare norme diverse.

Non viene osservato altro. La seduta viene dichiarata chiusa, dopo parole di ringraziamento da parte del Presidente a tutti i Membri.

Fatta la preghiera di rito, la seduta è tolta.

---

[5] Cf. pp. 458-475.

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

1

ANNOTATIO EX OFFICIO

De Schematibus Decretorum

DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

1. Plura iam emendata sunt a nostra Subcommissione Schemata Decretorum, quae Orientales Ecclesias respiciunt, nempe:

a) De usu linguarum vernacularum in liturgiis;

b) De Ecclesiae Sacramentis;

c) De Patriarchis;

d) De ritibus;

e) De communicatione in sacris cum christianis orientalibus non catholicis.

Emendanda nunc remanent:

a) De Ecclesiae praeceptis;

b) De facultatibus Episcoporum;

c) De catechismo et catechetica institutione;

d) De calendario perpetuo et celebratione Paschatis;

e) De Officio divino;

f) De unitate Ecclesiae.

2. Horum schematum postremum (*f*), iussu Em.mi Secretarii Status, *directe* proponitur Concilii Patribus et iam sub prelo est:[1] ipsa Commissio de Ecclesiis Orientalibus quasdam emendationes introduxit in textu iuxta observationes Patrum Commissionis Centralis.

3. Schemata sub nn. *a, b, c* erunt concordanda cum relativis schematibus, quae eandem materiam continent pro Ecclesia Latina ideoque providebit Subcommissio de Materiis Mixtis, si et quatenus opus fuerit de ipsis in Concilio tractandi.

---

[1] Cf. *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series Prima*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 249-268.

4. Schemata sub nn. *d, e*, etsi iam confecta et emendata in quibusdam saltem partibus a Commissione de Ecclesiis Orientalibus, non videntur esse propria Concilii materia.

Ceterum omnia ista schemata unum tantum efformabunt schema Decreti, quod de Orientalibus inscribitur, ideoque non multum faciendum videtur quid in ipsis sit corrigendum vel addendum normis iam propositis et, saltem ex parte, emendatis: providebunt Orientales ipsi in Concilio.

Ideo pro nunc sufficere videntur quae iam confecta, discussa et emendata sunt, ceteris remissis ipsi Concilio vel iudicio Sanctae Sedis aut Codici Iuris Canonici, iuxta observationes prolatas a Patribus Commissionis Centralis in singulis capitibus.

2

Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 313/SE

E Civitate Vaticana, die 30 luglio 1962

Eccellenza Reverendissima,

Ho il piacere di inviarLe lo Schema emendato della Costituzione dogmatica *De Ecclesia*.

Lo Schema comprende 11 capitoli, che non hanno subito nessuna modifica nell'ordine con cui sono stati presentati: soltanto dal nono è stata stralciata la parte « De tolerantia religiosa », che dovrà essere emendata e concordata con lo Schema « De libertate religiosa » presentato dal Segretariato dell'Unione dei Cristiani, dalla speciale Commissione Cardinalizia istituita allo scopo.

Gli emendamenti approvati da questa Sottocommissione sono stati trascritti a margine del relativo testo dello Schema.

Il testo dovrà essere rivisto dal competente latinista[1] prima che sia trasmesso alla tipografia per la stampa.

Allo Schema emendato unisco una brevissima relazione stralciata dal ver-

[1] Schematis constitutionis textus a rev.mo D. Villelmo Zannoni, latine scribendi perito, quoad formam latinam recognitus est.

bale dell'adunanza[2] e la posizione stampata e distribuita agli Eminentissimi Cardinali di questa Sottocommissione in vista degli emendamenti da apportare al testo dello Schema in oggetto.[3]

Con la gradita occasione, rinnovandoLe i sensi della mia stima, mi confermo

dell'Eccellenza Vostra Reverendissima
dev.mo

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eccellenza Reverendissima
Mons. Pericle FELICI
Segretario Generale della Pont. Commissione Centrale
Preparatoria del Concilio Vaticano II

---

[2] Cf. adnexum.

[3] *De emendatione schematis constitutionis de Ecclesia. Pars I*; *Pars II*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962: cf. pp. 215 ss.

Schema emendatum constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* typis editum est in *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series Secunda*, Typis Polyglottis Vaticanis, 1962, pp. 7-90.

ADNEXUM

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 314/SE

E Civitate Vaticana, die 30 luglio 1962

DE ECCLESIA

Nella riunione del 17 luglio 1962 gli Eminentissimi Membri della Sottocommissione Centrale degli Emendamenti hanno preso in esame le proposte avanzate dai Membri della Commissione Centrale e le risposte ad esse date dalla Commissione Teologica, in vista degli emendamenti da apportare allo Schema della Costituzione dogmatica *De Ecclesia*.

In proposito già la Commissione Teologica, accettando alcune osservazioni dei Membri della Commissione Centrale, aveva proceduto alla correzione di diversi testi dello Schema.

Alla Sottocommissione incombeva quindi il compito di dirimere le questioni sui passi rimasti controversi.

All'uopo la Segreteria della Sottocommissione aveva preparato una posizione stampata, che fu inviata agli Eminentissimi Cardinali, con l'invito a partecipare alla seduta comune.

La discussione, che si ebbe nella riunione degli Eminentissimi Membri, fu particolarmente attenta e approfondita sui punti relativi al «De Membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem», al «De Episcopatu ut supremo gradu sacramenti ordinis et de sacerdotio», al «De Episcopis residentialibus».

Su quest'ultimo capitolo in particolare la Sottocommissione fermò la sua attenzione, cercando di trovare una soluzione adeguata alla complessa e difficile questione della natura e dell'origine dei poteri dei Vescovi.

La norma, concordata dopo approfondito esame ed in base alle varie posizioni che erano state assunte dai Membri della Commissione Centrale, è stata così formulata : «Etsi sacra ordinatio summi gradus sacerdotii cum munere sanctificationis munera quoque magisterii et regiminis, quibus iurisdictio constat, natura sua confert, tamen Episcopi huius iurisdictionis actuale exercitium non ipsa ordinatione sacra sed missione iuridica, et quidem non ab Ecclesia, ut est congregatio fidelium, vel a fidelibus, etiam quam plurimis congregatis, neque a potestate civili, sed a regimine Ecclesiae supremo accipiunt».

Nel concretare le sue risoluzioni e nel formulare le sue proposte di emendamenti la Sottocommissione ha inteso soltanto di contribuire alla soluzione delle gravi questioni che sono alla base dello Schema in oggetto, senza assumere posizioni di intransigenza.

Trattandosi nel caso di materia che è ancora in via di approfondimento da parte dei Teologi e non ancora chiaramente delineata da parte della Gerarchia, la Sottocommissione non ha potuto condividere l'atteggiamento polemico ed intransigente assunto dalla Commissione Teologica nel rispondere alle osservazioni dei Padri della Commissione centrale.

Tra le altre proposte di emendamenti avanzate dalla Sottocommissione ed inserite nel testo corretto, è stato messo a verbale che sarebbe quanto mai opportuno che l'ultimo capitolo dello Schema, intitolato «De Oecumenismo», sia concordato ed unificato con il relativo Schema presentato dal Segretariato dell'Unione dei Cristiani e con quello preparato dalla Commissione per le Chiese Orientali.

Dissente però su ciò la Commissione Teologica, la quale desidera che la parte dogmatica resti separata da quella disciplinare.

(Note dal verbale della seduta del 17 luglio 1962).

3

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 316/SE

E Civitate Vaticana, die 31 luglio 1962

Eccellenza Reverendissima,

Ho il piacere di inviarLe lo Schema emendato della Costituzione dogmatica *De castitate, matrimonio, familia, virginitate.*

Questa Sottocommissione ha discusso ed emendato lo Schema nella riunione collegiale di tutti gli Eminentissimi Membri del 17 giugno c.a.[1]

Mons. Guglielmo Zannoni ha quindi rivisto e corretto il testo latino.

Per motivi di urgenza il testo emendato fu passato direttamente alla Tipografia Vaticana per la stampa.[2] Le bozze furono però riviste e corrette dal Rev.mo P. Tromp, Segretario della Commissione Teologica, da Mons. Zannoni e dal P. Leclerq, minutante della stessa Commissione.

Data tale procedura, credo opportuno inviarLe copia delle bozze anzichè il testo originale dello Schema, che resta nell'archivio di questa Sottocommissione.

Con la gradita occasione, rinnovandoLe i sensi della mia particolare stima, mi confermo

dell'Eccellenza Vostra Reverendissima
dev.mo

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eccellenza Reverendissima
Mons. Pericle FELICI
Segretario Generale della Pont. Commissione Centrale
Preparatoria del Concilio Vaticano II

---

[1] Cf. pp. 86-89.

[2] Schema constitutionis emendatum typis editum est in *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series Prima*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 97-154.

4

Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 317/SE

E Civitate Vaticana, die 31 luglio 1962

Eccellenza Reverendissima,

Mi reco a premura inviarLe, qui unito, lo schema emendato della Costituzione dogmatica *De Beata Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum*.[1]

Gli Eminentissimi Membri di questa Sottocommissione hanno emendato lo schema nella seduta del 17 luglio c.a., in base alle osservazioni dei Padri della Pont. Commissione Centrale e delle risposte ad esse date dalla Commissione Teologica.[2]

L'osservazione più rilevante, fatta nel corso della discussione, riguarda i passi dello Schema relativi alla Mediazione universale della Vergine Maria: gli Em.mi Membri non hanno accettato il suggerimento di quei 18 Padri della Pont. Commissione Centrale di non proporre al Concilio un tale tema, ed hanno invece condiviso la proposta favorevole della Pont. Commissione Teologica.

Con la gradita occasione, rinnovandoLe i sensi della mia stima, mi confermo

dell'Eccellenza Vostra Reverendissima
dev.mo

Carlo Card. Confalonieri, *pres.*
Vincenzo Fagiolo, *segr.*

A Sua Eccellenza Reverendissima
Mons. Pericle Felici
Segretario Generale della Pont. Commissione Centrale
Preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II

---

[1] Schema constitutionis dogmaticae *de Beata Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum* typis editum est in *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series Secunda*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 91-122.

[2] Cf. p. 240.

5

Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 318/SE

E Civitate Vaticana, die 1 agosto 1962

Eccellenza Reverendissima,

Mi reco a premura inviarLe lo Schema emendato della Costituzione dogmatica *De deposito fidei pure custodiendo.*

Questa Sottocommissione ha discusso ed emendato lo Schema nelle sedute collegiali del 2 aprile e del 7 maggio c.a.[1]

Il Rev.mo P. Schenone, O.F.M., ha quindi rivisto e corretto il testo latino.

Lo Schema è stato quindi stampato con la prima serie di schemi di Costituzioni e Decreti da discutere all'inizio dei prossimi lavori conciliari.[2]

Credo perciò opportuno inviarLe copia delle bozze, che sono state corrette dal Rev.mo P. Tromp, Segretario della Commissione Teologica, dal Rev.mo P. Schenone, O.F.M. e dal Rev. P. Leclercq, minutante della stessa Commissione.

Con la gradita occasione, rinnovandoLe i sensi della mia particolare stima, mi confermo

dell'Eccellenza Vostra Reverendissima
dev.mo

Carlo Card. Confalonieri, *pres.*
Vincenzo Fagiolo, *segr.*

A Sua Eccellenza Reverendissima
Mons. Pericle Felici
Segretario Generale della Pont. Commissione Centrale
Preparatoria del Concilio Vaticano II

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III-1, pp. 387 ss.; 446 ss.

[2] *Schema constitutionis dogmaticae de deposito fidei pure custodiendo*: in *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series Prima*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 23-69.

6

Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 319/SE

E Civitate Vaticana, die 2 agosto 1962

Eccellenza Reverendissima,

Ho il piacere di inviarLe lo Schema emendato della Costituzione *De Sacra Liturgia.*

Lo Schema fu discusso ed emendato nella riunione degli Eminentissimi Membri di questa Sottocommissione, che ebbe luogo il 9 maggio c.a.[1]

Il testo latino è stato rivisto dal Rev.mo P. Genovesi, S.J., secondo l'informazione data dal Rev.mo P. Bugnini, Segretario della Commissione Liturgica, alla Segreteria di questa Sottocommissione.

Lo Schema è stato quindi inviato alla Tipografia Vaticana per la stampa e le relative bozze sono state corrette dai Rev.mi PP. Bugnini e Braga della Commissione Liturgica.[2]

Con la felice occasione, rinnovandoLe i sensi della mia profonda stima, mi confermo

dell'Eccellenza Vostra Reverendissima
dev.mo

Carlo Card. Confalonieri, *pres.*
Vincenzo Fagiolo, *segr.*

A Sua Eccellenza Reverendissima
Mons. Pericle Felici
Segretario Generale della Pont. Commissione Centrale
Preparatoria del Conciclio Vaticano II

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III-1, pp. 589 ss.

[2] *Schema constitutionis de sacra liturgia* typis editum est in *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series Prima*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 155-201.

7

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 320/SE

E Civitate Vaticana, die 3 agosto 1962

Eccellenza Reverendissima,

Le invio, qui unito, lo Schema emendato della Costituzione *De instrumentis communicationis socialis*.

Nella seduta degli Eminentissimi Membri di questa Sottocommissione, che ebbe luogo il giorno 11 maggio c.a.,[1] lo Schema fu discusso ed emendato in base alle osservazioni fatte dai Padri della Commissione Centrale ed alle risposte ad esse date dal Segretariato della Stampa e dello Spettacolo.

Il testo latino fu quindi rivisto e corretto dal Rev.mo Mons. Guglielmo Zannoni.

Lo Schema è stato già stampato nella prima serie degli schemi di Costituzioni e Decreti:[2] le relative bozze sono state corrette dal Rev.mo Mons. Deskur, dal Rev.mo Mons. Zannoni e dal P. Composta.

Con la gradita occasione, rinnovandoLe i sensi della mia profonda stima, mi professo

dell'Eccellenza Vostra Reverendissima
dev.mo

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eccellenza Reverendissima
Mons. Pericle FELICI
Segretario Generale della Pont. Commissione Centrale
Preparatoria del Concilio Vaticano II

---

[1] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars III-1, pp. 635 ss.

[2] *Schema constitutionis de instrumentis communicationis socialis:* in *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series Prima*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 203-268.

8

Exc.mus PERICLES FELICI

Secretarius generalis commissionis centralis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO CENTRALIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 2288 Centr./62

E Civitate Vaticana, die 4 agosto 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi do premura di accusare all'Eminenza Vostra Reverendissima ricevimento dei pregiati offici[1] con cui Vostra Eminenza mi trasmette le posizioni e il testo definitivo degli schemi delle Costituzioni dommatiche:

— *De deposito fidei pure custodiendo*

— *De castitate, matrimonio, familia, virginitate*

— *De Ecclesia*

— *De Beata Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum;*

ed ancora delle Costituzioni:

— *De Sacra Liturgia*

— *De instrumentis communicationis socialis.*

Nel ringraziare vivamente Vostra Eminenza del cortesissimo invio, intendo ancora esprimerLe i sensi della mia profonda gratitudine per l'assiduità e la premura con cui la Sottocommissione da Vostra Eminenza presieduta ha portato a termine il delicato lavoro.

Mi è poi gradita l'occasione, per rinnovare a Vostra Eminenza i sensi della mia venerazione con cui, chino al bacio della Sacra Porpora, mi professo

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
dev.mo

Pericle Felici, *segr. gen.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Carlo Confalonieri
Segretario della S. Congregazione Concistoriale
Presidente della Sottocommissione degli emendamenti

---

[1] Cf. pp. 501-508.

9

EM.MUS PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Montréal, 27 août 1962

Eminence Révérendissime,

La Commission « de emendationibus » s'est réunie vers le milieu de juillet. J'ai répondu à Monseigneur Felici que j'aurais pu difficilement assister à cette réunion puisque j'ai reçu sa lettre d'invitation le lendemain du jour où la Commission avait siégé. Même si cette invitation ne m'avait pas été envoyée officiellement, je vous avais fait entendre qu'il m'eût été difficile de prendre part à vos délibérations à cause d'un programme très chargé.

Cependant, en tant que membre officiel de cette Commission, je crois que les schémas qui ont été imprimés après votre réunion *auraient dû m'être envoyés*. A titre de président de la Commission, auriez-vous la bonté de demander à Monseigneur Felici de bien vouloir me faire parvenir ces documents le plus tôt possible car je suis à préparer d'une façon intense les schémas qui seront présentés au Concile dès son ouverture. N'oublions pas que dans six semaines nous serons à Rome et je constate avec une certaine angoisse que la plupart des Evêques n'ont pas encore reçu le texte entier des schémas qui seront présentés à l'ouverture du Concile. Il nous faudrait encore six mois de préparation pour que notre travail au Concile même soit vraiment efficace.

Veuillez agréer, Eminence Révérendissime, l'expression de mes sentiments très respectueux et dévoués.

PAUL EMILE Cardinal LÉGER
Archevêque de Montréal

A Son Eminence Révérendissime
le Cardinal Carlo CONFALONIERI

10

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 356/SE

E Civitate Vaticana, die 12 settembre 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi affretto a rispondere alla pregiata missiva dell'Eminenza Vostra Reverendissima del 27 agosto u. s.

Questa Sottocommissione Centrale si è riunita con la partecipazione degli Eminentissimi Signori Cardinali Clemente Micara, Giacomo Luigi Copello, Michele Browne e del Presidente nei giorni 16, 17, 18 e 20 luglio c.a., come era già stato stabilito nella precedente riunione del mese di giugno, presente anche Vostra Eminenza.

Sarà mia particolare cura inviare all'Eminenza Vostra copia delle posizioni preparate per le suddette riunioni e degli schemi in esse emendati immediatamente dopo che la Tipografia Poliglotta Vaticana li avrà stampati.

Sono ad informarLa infine che copie del primo volume contenente gli schemi che verranno discussi nella prima sessione del Concilio[1] sono state spedite al Delegato Apostolico di codesta Nazione nei primi giorni del decorso mese di agosto, affinchè le rimettesse ai singoli Arcivescovi e Vescovi. Il secondo volume è in corso di stampa.

Con la gradita occasione mi è particolarmente gradito baciarLe le sacre Mani e confermarmi dell'Eminenza Vostra Reverendissima

dev.mo umil.mo obbl.mo servitor vero
CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
il Signor Cardinale Paolo Emilio LÉGER
Arcivescovo di Montréal

---

[1] *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series Prima*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962.

11

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

DECLARATIONES

factae in Aula conciliari die 5 novembris 1962

Venerabiles Patres, in postremis generalibus Congregationibus mensis octobris nuper elapsi hic habitis, bona utique fide quaedam dicta sunt, quae possent confusionem ingerere circa apparata et emendata schemata Concilio postea subiicienda.[1] Proinde Cardinales, qui membra fuerunt pontificiae subcommissionis de schematibus emendandis praeparatoriae, venerabilibus Patribus, iis praesertim qui Commissioni Centrali opus dederunt, haec declaranda censent.

1. Munus Commissionis Centralis praeparatoriae definitum fuit a Summo Pontifice, n. 14 Motu Proprio *Superno Dei nutu* diei 5 iunii 1960, scilicet: «... sequi, ac si necesse sit, in ordinem disponere singularum commissionum labores, atque illarum conclusiones, rite perpensas, ad Nos deferre, ut res in Concilio Oecumenico tractandas Nosmetipsi statuamus». Quod munus confirmatum fuit in Normis ab ipso Summo Pontifice adprobatis die 16 septembris 1961 et Sodalibus distributis.

2. Suffragia ergo Patrum Commissionis Centralis, data per verba *placet*, *non placet*, *placet iuxta modum*, hoc tantum respiciebant: convenientiam praesentandi schemata Summo Pontifici.

Suggestiones, emendationes, animadversiones a Patribus in disceptatione factae, uti singulae et qua tales, suffragationi subiectae non fuerunt nec erant subiiciendae, quia talis singularum propositionum suffragatio a munere exsulabat. De cetero notum est quod multi Patres sententiam suam saepe exprimebant per verba generica: «Adhaereo his quae dixit Pater A et Pater B et Pater C, etc.»; sed Patres A, B, C, etc. saepe saepius vota inter se difformia et discordantia proposuerant. Quaenam ergo adhaerentium sententia?

3. Die 7 novembris 1961 vero, subcommissioni de schematibus emendandis, tunc institutae per decretum in publica sessione perlectum coram Summo Pontifice, praeceptum fuit: «*Ista* providebit emendandis schematibus, perpensis scilicet a sodalibus huius Commissionis Centralis propositis emendationibus».

4. Hoc sibi commissum munus subcommissio, iuxta constitutum iter, studuit rite adimplere. Omnes observationes commissionis centralis, systematice collectae, transmissae sunt ad Cardinalem praesidem Commissionis originis, ut eas, consultis tribus ipsius Commissionis originis selectis membris, perpenderet et inde subcommissioni de schematibus emendandis significaret quaenam essent accipiendae aut reiciendae, argumentis adductis.

5. Tunc Patres Cardinales subcommissionis, qui initio quinque, postea septem fuere, examinaverunt sive observationes sodalium Commissionis Centralis sive responsiones datas a commissione originis. Ubi erat concordia, textus emendatus fuit sine amba-

[1] Cf. *Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II*, vol. I, pars. II, pp. 18-21.

ge; ubi vero discordia, subcommissio, perpensis hinc inde argumentis, pro munere sibi a Summo Pontifice commisso, prudenter et scienter illas propositiones selegit, quas aptiores iudicavit.

6. Ad haec omnia perficienda perplures conventus habuit subcommissio et assiduos labores per integrum annum produxit. Schemata autem variis voluminibus continentur, quorum primum illud est quod, iussu Suummi Pontificis, transmissum fuit ad omnes Conciliares Patres et nunc ipsi prae manibus habent.[2]

Discussio igitur Concilii et eius liberum et supremum iudicium non est de praeteritis, sed de schematibus prouti iacent in subiecto volumine, iuxta monitum in primo folio ipsius voluminis positum, subsignatum a cardinali Secretario Status diei 13 iulii 1962.

7. Ad Martyrologium quod attinet, in n. 16, pag. 164 schematis de Liturgia, perclare dicitur: «Libri liturgici recognoscantur». Iamvero Martyrologium est liber liturgicus.

Haec sereno animo et caritate fraterna dicenda erant.[3]

---

[2] *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series Prima*, Typis Polyglottis Vaticanis, 1962.

[3] *Acta Synodalia...*, vol. I, pars II, pp. 106-108.

12

REV.MUS D. MICHAEL MACCARRONE

Sodalis secretariatus ad christianorum unitatem fovendam

PONTIFICIO COMITATO DI SCIENZE STORICHE

Prot. N. 354

Vaticano, 8 novembre 1962

Caro Monsignore,

Mi affretto a darti la citazione di S. Leone Magno, cui accennavo nella nostra discussione di ieri sera. Mi pare proprio necessario aggiungerla al testo ancora in bozze, perchè serve a giustificare quanto viene asserito nel testo stesso; nè vi saranno difficoltà da parte dei Padri ad accettare una testimonianza così autorevole.

Io suggerirei di aggiungere il passo subito dopo il brano della ultima redazione del par. 2 [*Primatus et Episcopatus*], dove si parla della *missione* data ai vescovi dal papa.[1] Toglierei però l'aggettivo (missione *iuridica*) e semplificherei tutto in questa nuova forma: «... sed missione eis impertita a supremo Eccle-

---

[1] Rev.mus D. Vincentius Fagiolo annotavit: «9.XI.1962. Il Card. Confalonieri ed il P. Tromp sono d'accordo, così pure il card. Siri».

siae regimine. Nam, sicut ait S. Leo Magnus, beatissimus Petrus apostolus ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit» (1). A piè di pagina si ponga il riferimento della nota: *Sermo IV de natali ipsius*, *PL* 54, 149 B.[2]

Vi sono altri testi di S. Leone che si potrebbero citare sull'argomento. Se per caso piacesse di più, te ne riporto un secondo, che potrebbe così inserirsi: «Nam, sicut ait S. Leo Magnus ad episcopos provinciae Viennensis, 'huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocarit; et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuerit a Petri soliditate recedere'» (1). *Nota*: *Ep.* X, *PL* 54, 629A.

Spero di esserti utile. Rimango a tua disposizione sia per questa che per altre questioni dello schema *De Ecclesia*, come per il tuo ufficio.

Con cordialità

tuo in Domino

D. MICHELE MACCARRONE

Ill.mo e Rev.mo
Mons. Vincenzo FAGIOLO
Segreteria Generale del Concilio Ecumenico

---

[2] Cf. *Schema constitutionis dogmaticae de Ecclesia*, cap. IV, n. 14: in *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus. Series Prima*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 23.

13

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 359/SE

E Civitate Vaticana, die 10 dicembre 1962

Eminenza Reverendissima,

Come è noto all'Eminenza Vostra Rev.ma, nell'elenco *Schemata constitutionum et decretorum, ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur*, figu-

ra lo schema *De Sacramento matrimonii*,[1] di cui dovrà occuparsi la Commissione Conciliare presieduta dalla Eminenza Vostra.

In relazione a tale decisione mi pregio informarLa che i sei schemi concernenti la disciplina matrimoniale furono sottoposti all'esame della Sottocommissione degli Emendamenti preparatoria del Concilio nell'adunanza del 16 luglio c.a.[2]

Gli Eminentissimi Membri della Sottocommissione, prima di passare ad emendare le singole parti degli schemi, esaminarono la questione, mossa da diversi Membri della Commissione Centrale, sull'opportunità di ridurre la materia ai soli principi giuridici fondamentali.

La decisione, presa all'unanimità, fu la seguente: «Ad mentem nonnullorum Patrum Commissionis Centralis, unum conficiatur schema, in quo statuantur tantum principia generalia, ceteris C.I.C. remissis».

Attesa tale decisione, gli schemi non furono emendati nelle singole parti, come era logico, e ne fu data comunicazione alla Segreteria Generale.

Con il gradito incontro, bacio umilissimamente le sacre Mani e mi confermo con i sensi di profonda venerazione

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
dev.mo, umil.mo, obbl.mo
servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Rev.ma
Il Sig. Card. Benedetto ALOISI MASELLA
Presidente della Commissione Conciliare
della disciplina dei Sacramenti

---

[1] *Schema decreti de matrimonii sacramento* typis editum est in *Schemata constitutionum et decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur. Series Quarta*, Typis Polyglottis Vaticanis 1963, pp. 175-207.

[2] Cf. pp. 176-177.

14

REV.MUS D. VINCENTIUS FAGIOLO

Secretarius subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

E Civitate Vaticana, die 11 dicembre 1962

De emendatione schematum

DE MISSIONIBUS

La conclusione generale, presa all'unanimità dalla Sottocommissione degli Emendamenti nella riunione del 16 luglio 1962, è stata la seguente:

Lo schema *De missionibus* non deve trattare delle singole materie disciplinari (per es. de disciplina cleri, de religiosis, etc.), che, se necessario, saranno trattate a parte con schemi a carattere generale; in esso, dopo il proemio, siano stabiliti i punti fondamentali del *regime* missionario e della *cooperazione* missionaria del clero, secolare e regolare, e del laicato, lasciando la determinazione delle singole norme, come la concessione di facoltà speciali, al Codice e alle istruzioni della S. Sede.[1]

(Dal registro dei verbali)

Al Reverendissimo Monsignore
Mons. Saverio PAVENTI
Minutante della Commissione delle Missioni

---

[1] Cf. pp. 173-174.

15

REV.MUS D. VINCENTIUS FAGIOLO

Secretarius subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

E Civitate Vaticana, die 12 dicembre 1962

Sugli schemi preparati dalla Commissione dei Seminari e degli Studi, oltre agli emendamenti introdotti nel testo, è stato osservato quanto segue:

De Universitatibus Catholicis

1. Il Card. Frings ha osservato a proposito della questione delle facoltà teologiche nelle Università statali che bisogna insinuare il principio che la presenza e l'istituzione della facoltà teologica in dette Università è un bene.

Il suggerimento è stato accettato da tutti i Membri della Sottocommissione.

De studiorum ecclesiasticorum Universitatibus

2. Il Card. Confalonieri sottolinea la necessità di valorizzare gli studi dei seminari in modo che il sacerdote abbia un titolo a compimento dei suoi studi. In proposito il Card. Browne dice che a ciò si potrebbe provvedere con l'istituto dell'affiliazione.

Il Card. Siri — assente — nel voto scritto ha aderito al suggerimento del Card. Cicognani di non istituire il biennio o triennio di specializzazione o meglio di non parlarne in Concilio, dato che si tratta di ordinazione degli studi, che esige esperimenti e, quindi, che più opportunamente può essere trattata con istruzioni particolari della S. Sede.

Gli altri aderiscono a queste proposte e si conclude dicendo di portarle a conoscenza della Commissione.

De ratione docendi Sacram Scripturam

3. Spesso si fanno ripetizioni; temi già trattati in altri schemi vengono ripetuti; è necessario unire la materia in un solo schema.

De doctrina S. Thomae

4. È stato osservato che della dottrina di S. Tommaso si è già parlato nello schema degli studi nei seminari ed in quello delle Università ecclesiastiche.

Per quanto riguarda la presentazione di uno schema esplicito sulla dottrina di S. Tommaso da presentare al Concilio, data la discussione sorta in seno alla Sottocommissione, è stato concluso di rimettere la decisione al S. Padre.

De institutione pastorali
De formatione post seminarium perficienda

5. In particolare viene concordemente osservato che è necessario unire e concordare le norme che sono in altri schemi (cf. schema « De Ordine sacro », « De Missionibus », « De religiosis »), in modo da non prospettare norme diverse e in più schemi.

Al Rev.mo Padre
P. Agostino Mayer
Segretario della Commissione
degli Studi e dei Seminari

16

Rev.mus P. ATHANASIUS WELYKYJ

Secretarius commissionis de Ecclesiis Orientalibus praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO
DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Pro-memoria

Nel mese dell'ottobre 1962 codesta Sottocommissione rimise alla Commissione «de Ecclesiis Orientalibus» i fascicoli contenenti il testo degli schemi da quest'ultima presentati alla Commissione Centrale, affinché si procedesse alla compilazione del testo conciliare, in base alle osservazioni e decisioni prese dalla medesima Commissione Centrale, previa discussione ed approvazione.

Tra i detti schemi erano alcuni, che la Commissione Centrale ha creduto opportuno rimettere alla Pontificia Commissione per la redazione del Codice di Diritto Canonico Orientale (per es. quello «de praeceptis»), o ad altre Commissioni incaricate della preparazione di schemi analoghi (per es. quello «de catechismo»), od anche al Sommo Pontefice (una parte del «de Patriarchis» e del «de communicatione in sacris»). Inoltre, mentre la maggior parte delle osservazioni e delle proposte contenute negli altri furono accettate senz'altro perché entrassero nella composizione del decreto unico disciplinare «de Ecclesiis Orientalibus», altrettanto non può dirsi dello schema «de facultatibus Episcoporum» e di quello «de ministro Sacramenti Poenitentiae».

1. Per quanto riguarda il «de facultatibus Episcoporum», lo schema venne rinviato all'analogo «de Episcopis» preparato dalla Commissione «de Episcopis et regimine dioceseon». Essendo che la disciplina peculiare delle comunità cattoliche orientali è ormai di diritto pontificio ed è perciò vigente anche in forza di recenti conferme, è ben difficile da accettarsi e forse anche pregiudizievole la decisione della Sottocommissione, che suona come segue: «... nello stabilire le norme disciplinari si cerchi di non concedere privilegi o facoltà agli Orientali che non possono essere concesse ai Latini, in modo da evitare — quanto è più possibile — dualismi». È una decisione, questa, gravissima per l'Oriente; una decisione che sorprende veder essere presa quasi per transenna da parte della Sottocommissione, cui sono stati affidati fini ben precisi; una decisione che pregiudica tutta la disciplina e la nuovissima codificazione orientali, che si sostanziano del diritto particolare delle Chiese Orientali, costantemente riconosciuto e mai negato dalla Sede Apostolica e dai Suoi Organi; una decisione, infine, che creerebbe un'insormon-

tabile difficoltà a tutto il lavoro unionistico a pro' dell'Oriente cristiano separato.

Checché ne possa dire il Concilio, per adesso sarebbe opportuno e necessario conservare come documentazione lo schema in questione nella sua redazione emendata, anche per tenerlo presente nella composizione del decreto unico « de Episcopis »; inoltre, la Commissione Conciliare « de Ecclesiis Orientalibus » recentemente consultata in merito, è favorevole a tale proposta, giacché l'essenziale del detto schema figurerà nel decreto unico testé preparato ed approvato dall'Eminentissimo Presidente della medesima Commissione. È una proposta cui non è dato disconoscere un carattere veramente orientale e autenticamente ecumenico. Mi permetto inoltre, consultando gli appunti da me presi nel corso delle sedute dedicate dalla Commissione Centrale alla discussione del detto schema, ricordare che esso fu accettato favorevolmente e suffragato da un quasi unanime « placet »; anzi la Commissione « de Concilii laboribus coordinandis », nell'alleg. 4, considera la possibilità di enunciare un principio quasi identico a quello proposto dalla Commissione Orientale (cf. de Episcopis, caput I, pars I, a/). Per questo complesso di ragioni non posso non ribadire il mio parere che si stampi lo schema orientale, tanto più che gli Atti di codesta Sottocommissione hanno l'esclusivo carattere di documentazione a servizio dei lavori per la definitiva stesura degli schemi conciliari.

2. Quanto allo schema « de Ministro Poenitentiae » la decisione di codesta Sottocommissione fu la seguente: « ... stabilire soltanto che le facoltà per l'ascolto delle confessioni vengano allargate »; pertanto si è creduto opportuno abbreviare ed emendare in questo senso lo schema orientale, tenendo conto della situazione delle chiese orientali, vale a dire dell'impossibilità di provvedere alle determinazioni concrete « con le disposizioni dei Concili regionali e provinciali ». Il problema per gli orientali sta appunto qui: la molteplicità e la sovrapposizione di giurisdizioni nel medesimo territorio, e l'impossibilità di stabilire provvedimenti comuni per una stessa regione o provincia. Il nostro schema tiene conto di questo stato di cose e della disciplina orientale, secondo la quale le disposizioni e determinazioni concrete riguardanti tutte le Chiese orientali spettano alla Suprema Autorità della Chiesa (Pontefice o Concilio Ecumenico); in questo caso è preferibile che tali disposizioni vengano emanate dal Concilio Ecumenico, presenti i Gerarchi di rito orientale, anche per riguardo ai fratelli separati, che non sanno disgiungere tale materia da una mentalità e una prassi conciliari.

Ritengo, perciò, necessario conservare questo schema, come il precedente, negli Atti della Sottocommissione, considerando che nel decreto unico conciliare « de Ecclesiis Orientalibus » le proposte in esso contenute sono state inserite coll'approvazione di Sua Eminenza Rev.ma il signor Cardinale Cicognani, Presidente della Commissione Orientale.

Per quel che concerne, infine, il « de catechismo », poiché la questione verrà trattata insieme al decreto « de cura animarum », sarà bene che il nostro

testo sia compreso anche esso nella citata documentazione, acciocché se ne abbia contezza nel corso delle discussioni conciliari.

Tanto ho ritenunto doveroso esporre, perché la documentazione relativa ai testi proposti e al loro *iter* sia il più possibile completa.

De mandato Praesidis Commissionis

P. Atanasio Gregorio Welykyj, *segr.*

Alla Pontificia Sottocommissione
de schematibus emendandis

DOCUMENTA

1 – SCHEMA DECRETI DE SACRAMENTO ORDINIS

2 – SCHEMA DECRETI DE SACERDOTIBUS LAPSIS

1

Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 45/SE

E Civitate Vaticana, die 29 gennaio 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere, qui unite, all'Eminenza Vostra Reverendissima le osservazioni espresse dai Membri della Pont. Commissione Centrale nella seduta del 17 gennaio u.s.[1] sullo schema *De Sacramento Ordinis*.[2]

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre, l'Eminenza Vostra è pregata di far esaminare le osservazioni dal Segretario della Commissione, cui Ella presiede, dal Redattore dello schema in oggetto e da un Esperto di Sua fiducia, con il compito di riferire a questa Sottocommissione Centrale:

a) se, atteso il risultato della votazione, convenga presentare lo schema al Concilio; in caso affermativo:

b) quali degli emendamenti proposti siano da accogliere;

c) i motivi di rigetto per quelle proposte che saranno giudicate non accettabili.

Questa Sottocommissione si riserva di tenere riunioni comuni con le suddette autorevoli Persone, qualora lo riterrà opportuno a seguito delle risposte avute.

---

[1] Observationes a Patribus factae typis editae sunt in *Acta et Documenta... Series II,* vol. II, pars II, pp. 154-179; 424 ss.

[2] *Quaestiones de disciplina sacramentorum. Schema decreti de sacramento Ordinis*, Typis Polyglottis Vaticanis 1961, p. 23; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, pp. 138-150; vol. III, pp. 506-518.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine, non oltre il giorno 10 del prossimo mese.

Già ringraziando, bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di distinto ossequio mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo obbl.mo umil.mo
servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Rev.ma
il Signor Card. Benedetto ALOISI MASELLA
Presidente della Pont. Comm. dei Sacramenti
Preparatoria del Concilio Vaticano II

2

EXC.MUS PERICLES FELICI

Secretarius generalis commissionis centralis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO CENTRALIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 1520 Centr/62

E Civitate Vaticana, die 19 febbraio 1962

Eminenza Reverendissima,

L'Eminentissimo Cardinal Francesco Spellman, Arcivescovo di New York, mi ha consegnato un certo numero di copie di un Pro-Memoria, firmato da tre Em.mi Cardinali Arcivescovi dell'America Settentrionale e da un Ecc.mo Arcivescovo, relativo allo schema di decreto *De Sacramento Ordinis*, trattato dalla Commissione Centrale nella Sessione dello scorso mese.

Mi reco a premura di rimettere a Vostra Eminenza un dato numero di copie di tale Pro-Memoria, perché possa essere a disposizione sia della Commissione dei Sacramenti, sia di codesta Sottocommissione degli Emendamenti.

Chino al bacio della Sacra Porpora, con i sensi del più profondo ossequio mi onoro confermarmi

di Vostra Eminenza Reverendissima
dev.mo obbl.mo

PERICLE FELICI, *segr. gen.*

A Sua Eminenza Rev.ma
Il Sig. Card. Carlo CONFALONIERI
Presidente della Sottocommissione degli emendamenti

ADNEXUM

DE SCHEMATE DECRETI DE SACRAMENTO ORDINIS

Quamquam schema decreti a Commissione de Disciplina Sacramentorum propositum et de diaconatu permanenti et de ordinibus iuxta veterem praxim denuo instaurandis operi Episcoporum pastorali favere videatur, illis praesertim regionibus in quibus peculiares necessitates ob sacerdotum penuriam instant; praescripta tamen cap. 4, nn. 3, 4, 5 et 6 proposita incommoda maxima certe afferent Ordinariis locorum saltem in Civitatibus Americae Septemtrionalis Foederatis.

Nova legislatio operibus apostolatus tum apud fideles tum ad acatholicos convertendos impedimentum inferet quia sine necessitate differet diem tam sollicite quotannis ab Episcopo expectatam quando neomystas adiectos habebit qui ita admirabiliter laborare poterunt cum parochis quibus pro cura animarum addicti erunt.

Hac in natione candidati ad presbyteratum fere semper annum vigesimum sextum completum iam attigerunt. Pueri apud nos non incipiunt scholam elementarem ante annum sextum completum quam debent frequentare per octo annos. Schola media (high school) per quattuor annos durat, posteaque iuvenes in disciplinas universitarias (college) per integrum saltem biennium incumbunt antequam in seminarium maius admittuntur. Hisce diebus numerus eorum crescit qui aetate iam provectiore admissionem in seminarium petunt. De facto, anno 1961 aetas media eorum qui ad sacerdotium ordinati sunt pro archidioecesi Neo-Eboracensi erat viginti et septem annorum.

Experientia testificat quod alumni seminariorum nostrorum post quadriennium theologicum iam sat maturi et ad plenam vitam pastoralem in paroecia bene parati sunt. Ordinarii locorum Civitatum Americae Septemtrionalis Foederatarum merito aestimant vitam operamque suorum neomystarum laude dignissimas esse, et iam a die eorum ordinationis sacerdotalis eis multum confidunt ut maximo cum fructu animarum saluti in paroeciis operam dent. Studiorum cursus et seminariorum nostrorum regimen ita instruuntur ut alumnos ad ministerium pastorale praeparent. Lectionibus de eloquentia sacra saepe adiunguntur exercitationes practicae. Schola de rebus catecheticis, paedagogicis didacticisque semper comprehendunt institutionem de usu materiae et mediorum modernorum audiovisualium in collaboratione cum moderatoribus Confra-

ternitatis Doctrinae Christianae archidioecesanae. Praeterea alumni cursus theologici instructiones de doctrina christiana pueris et iuvenibus paroeciarum vicinarum semel in hebdomada impertiunt. Tempore vacationis aestivae complures sese dant operi cum pueris in coloniis rusticis paroecialibus et dioecesanis etiamque in orphanotrophiis et aliis institutis. Cursus de rebus socialibus necnon de ethica sociali in seminario habentur. Studium theologiae moralis et iuris canonici complectitur institutionem pastoralem praesertim quoad sacramentorum Poenitentiae et Matrimonii administrationem. In eisdem alumnus prae oculis habet et instituitur de formulis investigationis antenuptialis, cautionum in matrimoniis mixtis, dispensationes petendi et rescriptorum a Curia adhibitis. Candidati ad ministerium liturgicum diligenter praeparantur a magistro vere perito qui lectionibus addit exercitationes practicas de ritibus et ceremoniis in Missa celebranda et sacramentorum administratione servandis. Ii qui ordines minores et maiores receperunt per turnum in praedictis ordinibus, tum in Seminario tum in Ecclesia Cathedrali, sese exercent.

Maximi momenti est notare quod in Civitatibus Americae Septemtrionalis Foederatis consuetudo vitae communis inter clericos ubique dioecesium viget. Sacerdotes numquam apud familias habitant sed semper in domo paroeciali aut instituto ecclesiastico degunt. Sacerdos nominatur parochus tantum post plures annos. Sacerdos iuvenis uti eius vicarius cooperator vitam communem agit cum parocho et saepius cum uno vel altero vicario cooperatore. Vitam sacerdotalem pastoralemque, ergo, in circumstantiis valde salubribus incipit, in quibus revera pericula saecularia, in quantum humanis remediis licet, bene evitantur. Neomystae institutionem pastoralem omnino practicam accipiunt in tirociniis nempe de facto pastoralibus a sacerdotibus experientia aetateque provectioribus cum quibus sub eodem tecto prope ecclesiam paroecialem et vitam et laborem communem faciunt. Secundum decreta Concilii Plenarii Baltimorensis III, sacerdotes, expleto studiorum curriculo, examen de quo agit c. 130 par. 1, C.I.C. per integrum quinquennium singulis annis subire debent. Tum hoc in examine tum in conferentiis a c. 131 par. 1, C.I.C. praescriptis quaestiones pastorales non omittuntur.

Ordinarii locorum in Civitatibus Americae Septemtrionalis Foederatis agnoscunt necesse omnino esse ut iuvenibus dominici gregis pastoribus tradatur ea de rebus psychologicis et paedagogicis, didacticis et catecheticis, socialibus et pastoralibus aliisque id genus eruditio, quae harum disciplinarum hodierno progressui respondeat, quaeque illos multiplicibus nostrorum temporum apostolatus necessitatibus idoneos paratosque efficiat. His in rebus tamen recta institutio ac conformatio poni potest sine tanta privatione eorundem pastoralis adiutorii quotidiani plenique quod ad animarum bonum adeo necessarium est. Praescripta proposita in schemate decreti de diaconorum institutione pastorali Episcopos illo neomystarum adiutorio privabunt sine necessitate, quia iam in Seminariis nostris sat ampla scientia his de rebus acquisita est et supplementum practicum huic scientiae utilius aptiusque dari potest quando neomystae iam in vitam pastoralem plenam sub cura parochorum ingressi sunt. Iuvenes sacerdotes convenire possint forsitan bis in mense per integrum diem in aliquo Instituto in quo instructio ac formatio dirigentibus magistris peritis prudentibusque recipiant una cum consilio, moderatione gubernationeque de modo recto in casibus practicis pastoralis vitae agendi.

Praescripta proposita in nn. 3, 4, 5 et 6 cap. 4 schematis efficiant, saltem apud nos, ut informatio clericalis sine necessitate prorogetur; ut nostrae dioeceses sacerdotibus necessariis pro animarum salute priventur; et ut opus pastorale Episcoporum tum apud fideles tum apud acatholicos qui ad fidem produci debent detrimentum accipiat; prae-

terea, illis qui ad sacerdotium aetate aliquantulum provectiore adspirare possunt, haec nova legislatio difficultatem novam psychologicam constituere potest.

Quoad haec, ergo, schema decreti proposita nobis omnino non placet.

Subscripserunt: Franciscus card. Spellman, archiep. Neo-Eboracensis; Iacobus F. card. McIntyre, archiep. Angelorum in California; Albertus card. Meyer, archiep. Chicagiensis; Carolus I. Alter, archiep. Cincinnatensis.

3

Rev.mus D. RAIMUNDUS BIDAGOR, S.J.

Secretarius commissionis de Sacramentis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE SACRAMENTIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 867

E Civitate Vaticana, die 24 febbraio 1962

Ill.mo e Rev.mo Monsignore,

Ho ricevuto le 30 copie del «Pro-Memoria», firmato da alcuni Eccellentissimi Arcivescovi dell'America Settentrionale, relativo allo Schema del decreto *De Sacramento Ordinis*, inviatemi dalla Signoria Vostra Reverendissima con lettera del 22 c.m., prot. n. 86/SE.

La ringrazio vivamente e Le assicuro che quanto inviato sarà oggetto di particolare studio.

Con la gradita occasione Le rinnovo i sensi della mia particolare stima e mi confermo

della Signoria Vostra Reverendissima
dev.mo

Raimondo Bidagor, *segr.*

Ill.mo e Rev.mo Monsignore
Mons. Vincenzo Fagiolo
Segretario della Sottocommissione per gli emendamenti

4

EM.MUS BENEDICTUS CARD. ALOISI MASELLA

Praeses pontificiae commissionis de Sacramentis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO DE SACRAMENTIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 870

E Civitate Vaticana, die 1 marzo 1962

Em.mo e Rev.mo Signor mio Oss.mo,

Con riferimento al venerato Foglio dell'Eminenza Vostra Reverendissima, n. 45/SE,[1] mi reco a dovere di comunicare che, in esecuzione degli ordini trasmessimi nell'augusto nome del Santo Padre, ho affidato l'incarico di esaminare le osservazioni fatte dalla Pontificia Commissione Centrale sullo schema «De Ordine» al Reverendissimo Padre Bidagor, Segretario della Pontificia Commissione dei Sacramenti, al Reverendissimo Padre Evers, Relatore del detto schema ed al Reverendissimo Mons. Bonet da me scelto come «esperto» ed essi al riguardo mi hanno esposto quanto segue:

a) Che dalla Pontificia Commissione dei Sacramenti la questione «De Ordine» fu trattata nel modo stabilito dal Sommo Pontefice, il quale prescrisse quanto segue:

«Disceptetur an et quomodo expediat veterem praxim instaurare quoad ordines minores et diaconatum. De aetate, qua ordines minores conferendi sint, et de interstitiis producendis».

b) Che circa la questione «De Ordine» nella relazione che in nome della Pontificia Commissione dei Sacramenti fu da me letta nella seduta del 17 gennaio c.a. venne fatto notare che «Haec argumenta difficilia esse ac salebrosa nemo negaverit. Si autem Summus Pontifex ea studio nostro commisit, id certo certius fecit quia eorum apta solutio in bonum Ecclesiae conferre potest pro discrimine actuali penuriae cleri et solidae ac completae eiusdem formationis necessitate».[2]

c) Che a riguardo del Diaconato permanente nella surriferita relazione venne dichiarato che «Commissio nostra proponit praecipue haec quae sequuntur:

1. Quod in Ecclesia Latina diaconatus permanens, iuxta veterem

---

[1] Cf. pp. 523-524.

[2] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars II, p. 150.

praxim, instaurare expediet in illis praesertim dioecesibus ac regionibus in quibus defectus sacerdotum difficiliorem reddit curam animarum.

2. Quod haec instauratio non fiat nisi de iudicio Sanctae Sedis [...].

Decisiones igitur circa instaurationem hanc in concreto peragendam remittuntur ad Sanctam Sedem. Commissionis Centralis est manifestare an possibilis sit proposita instauratio ».[3]

Atteso il risultato della votazione e le osservazioni fatte dalla Pontificia Commissione Centrale, i summenzionati Padre Bidagor, Padre Evers e Mons. Bonet non credono dovere insistere sullo Schema del Diaconato permanente, poichè le difficoltà fatte riguardano principalmente questioni di principio, e si rimettono alla sapiente decisione che al riguardo si degnerà prendere il Santo Padre.

Concordo con tale parere.

Il capitolo secondo, ossia la istaurazione degli Ordini minori, non ha trovato nelle osservazioni trasmesse, che qualche difficoltà sugli ordinati coniugati. Nondimeno la votazione contraria, che ha avuto tale capitolo, ci induce ad indicare per il medesimo la stessa soluzione proposta per il capitolo del diaconato.

Il capitolo terzo dello Schema riguarda le irregolarità agli Ordini. Le osservazioni fatte non presentano difficoltà speciali.

Sembra nondimeno che si potrebbe lasciare il testo dello Schema, quale fu redatto.

Il capitolo quarto dello Schema « De aetate ordinandorum et de interstitiis producendis » risponde alla questione posta dal Santo Padre alla nostra Pontificia Commissione.

Le osservazioni fatte dalla Pontificia Commissione Centrale, quasi tutte, desidererebbero che i termini del « Codex Iuris Canonici » non venissero alterati.

La nostra Pontificia Commissione allargò il minimo possibile detti termini, in vista delle proposte fatte dagli Eccellentissimi Vescovi e delle necessità derivate dai capitoli primo e secondo dello Schema.

La nostra Pontificia Commissione non è aliena ad accettare, come è stato proposto dall'Em.mo Cardinale Larraona, la Commissione Mista, che esamini tutta la questione.

BaciandoLe umilmente le mani con sensi di profondissima venerazione mi pregio raffermarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
um.mo e dev.mo servitor vero
BENEDETTO Card. ALOISI MASELLA, *pres.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Carlo CONFALONIERI
Presidente della Pont. Sottocommissione per gli emendamenti
Preparatoria del Concilio Ecumenico Vaticano II

[3] Cf. *ibid.*, pp. 151-152.

5

ANNOTATIO EX OFFICIO

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Schema decreti
DE SACRAMENTO ORDINIS

S. Ecc. Mons. Felici ha comunicato a voce al sottoscritto che, date le osservazioni fatte dai Padri della Centrale e le risposte della Commissione dei Sacramenti, non è il caso di presentare questo schema al Concilio: ciò che dello schema è stato accettato dai Padri della Commissione Centrale può essere incluso in altri schemi affini (per es. in alcuni dei Seminari) o demandato al Codice.

Roma, 9 marzo 1962.

VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

6

ANNOTATIO EX OFFICIO

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 250

Schema decreti
DE SACERDOTIBUS LAPSIS

1) Proposto dalla Commissione preparatoria «De disciplina Sacramentorum».[1]

[1] *Quaestiones de disciplina sacramentorum. Schema decreti de sacerdotibus lapsis*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 19; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 403-412; vol. III, pars I, pp. 548-557.

2) Discusso nella Commissione Centrale preparatoria il 16 giugno 1962.[2]

3) In data 18 giugno 1962 il Segretario Generale comunica l'ordine dell'Em.mo Card. Segretario di Stato che lo schema non sarà proposto al Concilio.

VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

---

[2] Patrum observationes typis editae sunt in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 414-436; 844 ss.

3 – SCHEMA DECRETI: NECESSITAS ORATIONIS PRO UNITATE CHRISTIANORUM MAXIME TEMPORIBUS NOSTRIS

4 – SCHEMA DECRETI PASTORALIS DE VERBO DEI

5 – DECRETUM DE OECUMENISMO CATHOLICO
(Decretum pastorale)

1

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 281/SE

E Civitate Vaticana, die 3 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Mi è gradito rimettere qui unite all'Eminenza Vostra Reverendissima le proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pont. Commissione Centrale nella seduta del giorno 20 giugno s.,[1] in vista degli emendamenti da apportare agli schemi *Necessitas orationis pro unitate christianorum maxime temporibus nostris*,[2] *De verbo Dei*[3] e *De Oecumenismo catholico*.[4]

Secondo le auguste disposizioni del Santo Padre, l'Eminenza Vostra Reverendissima è pregata di far esaminare le proposte stesse dal Segretario del Segretariato, cui Ella presiede, dal Redattore dello schema, cui le osservazioni si riferiscono, e da un esperto di Sua fiducia, con il compito di riferire quali degli

---

[1] Patrum observationes typis editae sunt in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 822-834; 806-812; 847 ss.

[2] *Quaestiones secretariatus ad christanorum unitatem fovendam. Schema decreti: Necessitas orationis pro unitate christianorum maxime temporibus nostris*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 7; in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 813-816; vol. III, pars II, pp. 442-445.

[3] *Quaestiones secretariatus ad christianorum unitatem fovendam. Schema decreti pastoralis de Verbo Dei*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 8: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 816-819; vol. III, pars II, pp. 454-457.

[4] *Quaestiones secretariatus ad christianorum unitatem fovendam. Decretum de oecumenismo catholico (Decretum pastorale)*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 15: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 785-792; vol. III, pars II, pp. 446-453.

Quaestiones theologicae. Schema constitutionis de Ecclesia. Pars secunda, cap. XI: *De Oecumenismo*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, p. 15: in *Acta et Documenta... Series II*, pp. 792-800; vol. III, pars I, pp. 196-204.

emendamenti proposti siano da accogliere ed indicare i motivi di rigetto per quelli che non dovrebbero essere accettati.

Sono infine a pregarLa di voler disporre che i pareri siano rimessi a questa Sottocommissione con cortese sollecitudine.

Già ringranziando, bacio umilissimamente le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obb.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Agostino BEA
Presidente del Segretariato per l'unione dei Cristiani

ADNEXA

I

OBSERVATIONES
a Patribus factae in sessione commissionis centralis
die 20 iunii 1962 quoad schema decreti

NECESSITAS ORATIONIS PRO UNITATE CHRISTIANORUM
MAXIME TEMPORIBUS NOSTRIS

OBSERVATIONES PRAEVIAE

I – «Nous profitons de cette occasion pour suggérer une remarque: est une prière instante à Sa Sainteté pour que le Secrétariat ne disparaisse pas avec la fin des travaux du Concile, mais qu'il se transforme en un Dicastère pérmanent de la Curie Romaine. Il serait comme la conscience œcuménique permanente du Siège Romain et de toute l'Eglise catholique» (Maximos IV Saigh: concordant Ujčić, Cooray, Perrin, Verwimp).

Art. n. 1

I – «Schema Decreti de necessitate orationis loquitur, pag. 3, linn. 24-25 de colloquiis peritorum catholicorum cum fratribus separatis. Velim ut normae praecisae de hac re sat periculosa ederentur et praesertim ut explicite statueretur talia colloquia

semper esse sub auctoritate et vigilantia Episcopi dioecesis. Quamvis nemo negat utilitatem talium colloquiorum, praesertim nostris diebus, tamen pericula in casibus particularibus meo iudicio sat gravia sunt» (D'Alton).

II – *a*) In pag. 5, lin. 19, inserenda esset vox *quoque* (in realitate *quoque* proprie...).

b) ibidem, in lin. 34, vox *canonica* mutanda esset in *ecclesiastica* vel saltem in *externa* (...culpa ab ecclesiastica — externa — communione...). Melius quoque esset ut loco *Romanae* Ecclesiae dicatur *catholicae* Ecclesiae» (Browne: concordant Pizzardo, Aloisi Masella, Ferretto, McGuigan, Quiroga y Palacios, Cento, Godfrey, Albareda, Gori, Antezana, Cooray, McKeefry, Graner, Bernier, Verwimp, Janssens).

III – *a*) ad pag. 3; lin. 12, corrigatur: *consideratione*.

b) ad pag. 4, linn. 32-33, dicerem: efficaci inspirationi Spiritus Sancti imputandum est» (Sépinski).

Art. n. 2

I – *a*) ad pag; 6, linn. 13-14. Ps. 2,2 inutiliter iteratur, cum iam id biblicum testimonium laudatum sit in pag. 3, lin. 10 ss.

b) pag. 7, linn. 7-8. Confessio nostrorum peccatorum, quae, ut proponitur, publica fieret, mihi videtur esse non opportuna» (Ruffini: concordant Pizzardo, Masella, Ferretto, McGuigan, Quiroga y Palacios, Cento, Godfrey, Browne, Albareda, Gori, Antezana, Cooray, Alter, Graner, Bernier, Verwimp, Sépinski).

II – «Illud tantum proponam: pag. 7, lin. 14, tollatur verbum 'illis'. Credo enim quod non tantum non-catholicis sed pro nobis etiam gratia divina viam aperiet ad perfectam unitatem. Per hoc non contradicitur unitati essentiali iam in Ecclesia catholica habita. Etenim, gratia divina adiuvante, catholici renovabuntur, Ecclesia apparebit sine macula neque ruga: et renovatio haec est via ad perfectam unitatem» (Léger).

III – «Ad pag. 7, linn. 7-8, delere verba: 'saepe scandalo et'; sufficit quod fuerimus *obstaculum*. Id si propositio servanda est. Correctam, uti propono, servarem: humilis agnitio culpae exaltat confitentes et multos placat dissidentes» (Coussa: concordant Cooray, Šeper, Janssens).

IV – «Corrigendam puto phrasim in pag. 7, scil. lin. 5, ponerem: *si*, loco: *eo quod*, et in linea 7 ponerem: *si*, loco: *immo forte saepius* (Browne: concordant ut ad art. 1 n. II).

V – «*a*) pag. 7, lin. 25: corrigatur: sincero anhelitu.

b) pag. 7, lin. 29-30: dicerem: scit bona humiliter... dare.

c) pag. 7, lin. 30: dicerem: Dominum nostrum, qui est semper vivens ad...» (Sépinski).

II

OBSERVATIONES

a Patribus factae in sessione commissionis centralis
die 20 iunii 1962 quoad schema decreti

DE VERBO DEI

OBSERVATIONES PRAEVIAE

I – «Schema placet, sed parum, quia caret concinnitate» (Ruffini).

II – Permulta optima hoc schema habet, sed clarius aliquomodo dici deberet hoc «verbum Dei» non esse derelictum arbitrariae interpretationi, quod est maximum» (Siri).

III – «Omnino opportunum mihi videtur schema decreti pastoralis 'de Verbo Dei'. Etenim mira renovatio catholica in rebus biblicis omnibus Christifidelibus communicanda est. Tale decretum inter catholicos intensiorem amorem erga Scripturas Sacras excitat et apud acatholicos voluntatem nostram fidei germanae exprimit. Attamen, de quonam verbo hic agitur clare definiendum est.

Par. 2 dicit Verbum Dei comprehendere 'omnia quae Deus nobis revelando locutus est: Verbum scriptum et traditum'. Si tale est Verbum de quo in schemate, oportet plus quam Sacram Scripturam considerare. Notio enim biblica de verbo non ad meram loquelam restringitur. Facta historica Veteris Testamenti, ipsa Incarnatio et Ecclesia, Traditio et Sacramenta Verbum Dei constituunt in quantum salvificam voluntatem divinam exprimunt. Omne quod Deus ad nostram salutem aut fecit aut dixit Verbum Dei est. Sacra Scriptura ut 'verbum testans de Verbo' sumenda est; non autem exhauritur in ea conceptus biblicus Verbi Dei.

Par. 3 de solo verbo scripto loquitur quod «in actum vitae quotidianae fideliter» adduci debet.

Par. 4 de solis sermonibus Iesu loquitur. Non tamen solum «per Verbi incarnati verba» sed etiam, exempli gratia, per factum Resurrectionis eius, nobis Dei mysteria innotescunt.

De praedicatione atque de usu pastorali et liturgico Scripturae Sacrae aptissime agitur in paragraphis sequentibus.

Optio ergo facienda est: si de sola Scriptura agendum est, non vox «Verbum» sed alia (ut Biblia vel Scriptura) adhibeatur, etiam in titulo et peculiariter in paragrapho 2a).

Si revera agendum de Verbo Dei in sensu biblico, tunc non restringatur schema ad Sacram Scripturam; sed extendatur ad omnes manifestationes voluntatis Dei salvificae in œconomia salutis.

Meo tamen iudicio, schema loqui debet de Biblia in vita Ecclesiae, quia theologia catholica de Verbo Dei nondum satis elaborata est. Et sequentem titulum propono: *De Verbo Dei in scripturis tradito*» (Léger).

IV – «Inutile esset discutere et argumentare quae ex duabus — i.e. administratione sacramentorum et praedicatione Verbi Dei — medium Corpus Christi aedificandi

efficacius: utraeque necessariae sunt et essentiales. Attamen in his temporibus tam multa et tanta dicebantur de efficacia 'ex opere operato' sacramentorum ut tum efficacia tum efficientia praedicationis parvipenderentur.

Constitutio ergo *De Verbo Dei* de his fortius quam Schema loqui debebit. Oportet ut veram praedicandi theologiam proferat.

Insuper praebeat eadem Constitutio quasi novam orientationem praedicationis futurae. Post Concilium Tridentinum, exempli gratia, praedicatio de gratia Christi nimis insistit gratiae creatae, causae iustificationis formalis, et fere tacet de gratia in sensu magis fundamentali, amore Dei erga hominem gratuito et transformante. Nimis dicitur de causalitate 'ex opere operato' sacramentorum; fere nihil dicitur de dispositionibus recipientis, de intimo contactu cum Christo, de confrontatione cum Christo personali, etc.

Tales veritatum revelatarum aspectus sunt saltem non minoris momenti; insuper illorum praedicatio grata erit fratribus separatis, erroribus vel saltem sensui incompleto fidelium correctionem praestabit, et in genere rationes separationis inter Christianos minores faciet» (Ritter).

V – «Etiam Schema Decreti Pastoralis 'De Verbo Dei' placet quoad substantiam: quoad modum autem considerationes quasdam proponere velim:

Fortasse aliquomodo distinctius exprimi potest, quid sit verbum Dei sive sensu strictissimo sive sensibus secundariis intellectum. Sensu strictissimo est verbum ipsum, quod Deus ad homines locutus est sive per prophetas sive 'novissime, diebus istis... in Filio', ut homines illud audiant atque reverenter recipiant et quo eos Deus ad salutem vocavit. Allocutio et vocatio divina notae essentiales huius verbi sunt. Hoc verbum Dei Spiritu Sancto inspirante scriptum est; unde elucet singularis dignitas librorum sacrorum, quae etiam in cultu seu sacris ritibus multimode illustratur (v. gr. incensatione libri). Hoc verbum Dei primarie contineri et afferri debet in pronuntiatione, qua Ecclesia ministerium verbi exercet sicut Christus suus Institutor. Tamen haec annuntiatio non est formalis idem ac verbum Dei illo strictissimo sensu intellectum, sed eius diffusio et traditio ad homines omnium temporum atque regionum; est quidem magis ministerium verbi quam verbum ipsum (hoc innuitur iam pag. 5, lin. 28 sq.). Nec verbum Dei hoc strictissimo sensu intellectum confundi debet cum deposito fidei vel cum doctrina fidei. Nam doctrina accedit ad verbum illud, ad id declarandum, explicandum, tuendum; neque tamen hac de causa haec doctrina minoris valoris aestimari debet, quippe cum proponatur et ipsa vi missionis Christi (patet agi de doctrinis fide tenendis, v. gr. definitionibus Conciliorum; non de doctrina theologorum minoris gradus certitudinis theologicae). Etiam autem depositum fidei (sicut et doctrina) latius patet quam verbum Dei strictissimo illo sensu intellectum, nam et hoc et doctrinas continet. Certe hae distinctiones in recentiore theologia nondum satis communes evaserunt (bene tamen componi potest haec recentior et magis ad usum pastoralem spectans terminologia cum illa consueta theologorum, quae v. gr. magis modum traditionis verbi prae oculis habet, cum v. gr. dividat verbum Dei in scriptum et oretenus traditum); unde nullo modo determinationem quandam eius auctoritativam optassem; sed tantum id suadere intendo, ne per Decretum praeiacens ulterioribus pervestigationibus ullum praeiudicium imponatur» (Döpfner).

VI – «Argumentum videtur mihi ad Constitutionem de Fontibus Revelationis pertinere; minus enim convenire videtur ut idem argumentum bis in Concilio, etsi sub diversa forma, tractetur» (O'Connor).

Art. n. 1

I – «Ad pag. 3, lin. 6, scribatur: *zizania*» (Sépinski).

Art. n. 2

I – «N. 2 (p. 3) definire videtur verbum Dei sensu latiore, ut tamen Decretum magis efficax evadat et etiam illis acatholicis, qui verbum Dei maximi aestimant, plane monstret nobis venerationem verbi Dei sensu stricto intellecti maxime cordi esse, opportune distinctio quaedam inseratur (v. gr. in pag. 5, lin. 15 iam innuitur), qua innotescit, nos quoque (non propter Protestantes, sed propter ipsam Christi institutionem: cf. *Mt.* 4, 4; *Mc.* 1, 38; *Lc.* 8, 21) bene agnoscere ipsum verbum, quo Deus hominem directe alloquitur eumque vocat, ut audiat, poenitentiam agat, credat et salvus fiat. (Certe maxima pars Decreti primarie iam agit de verbo Dei hoc sensu intellecto, v. gr. in n. 4; n. 8, lin. 11; sed explicite hoc dici deberet). — Apto loco etiam inculcari (et in decreto de praedicatione et catechesi ulterius evolvi) debet, quod hoc verbum Dei primum locum habere debet in annuntiatione, ut ipsa sit quam efficacissima (cf. *Act. Ap.* 16, 18; *1 Cor.* 1, 18; *Iac.* 1, 18)» (Döpfner).

II – «Ad pag. 3, lin. 19, corrigatur: in cultu et vit*a*» (Sépinski).

Art. n. 7

I – «Ad pag. 5 dicatur modo positivo: apostoli autem voluerunt esse...» (Coussa: concordant Cooray, Šeper, Janssens).

Art. n. 9

I – «Ad pag. 6, linn. 17-18, cuius pars *essentialis*. Accuratius dicatur: cuius pars *necessaria*» (Ruffini: concordant ut ad schema I, art. 2, n. I).

Art. n. 10

I – «Pag. 6, linn. 36-37: 'quamobrem... vel scindendum'. Si verbum, quod hic memoratur, est verbum biblicum, quod asseritur non est verum quia plura sacramenta administrantur verbis non biblicis» (Ruffini; concordant ut supra).

II – «Ad pag. 7, lin. 2, omittatur vox *simul*» (Coussa: concordant Cooray, Šeper, Janssens).

Art. n. 13

I – «Ubi de Scripturae lectione privata (v. gr. pag. 7, lin. 33 sqq.) vel liturgica sermo est, consequenter ad supra dicta declarari deberet, utramque lectionem fieri

primarie, ut homo audiat Deum loquentem ad seipsum. Certe haec omnia implicite continentur in Schemate; tamen superfluum esse non videtur, ea magis explicite dicere, quia sic magis adhuc apparet, quo ambitu et quanam exspectatione et dispositione homines singuli et tota Ecclesia, imprimis qui ad Evangelium annuntiandum missi sunt vel docendi munere funguntur, ad verbum Dei recipiendum accedere debent» (Döpfner).

II – «Hac de lectione S. Scripturae omnibus fidelibus suadenda ratio habeatur de regulis positis a Summis Pontificibus praesertim Pii VII (Denz. 1606) et Gregorii XVI (Denz. 1632).

De facto quomodo omnes nostri temporis fideles sunt capaces recte intelligendi prima capita Genesis si non manuducuntur commentariis in sensu veritatis catholicae compositis?» (Jullien).

III – «p. 7, lin. 34 sqq. *frequentem piamque Scripturarum lectionem*. Absolute proposita frequens lectio Bibliorum non placet propter multa, quae praetermitto, sed praecipue quia praxim Ecclesiae tot saecula perdurantem abrumpere videtur, non satis caute (meo iudicio) nec sufficienter habito respectu continuitatis. Quare velim faciamus saltem mentionem:

a) de obscuritate Scripturae, tam intrinsecus quam extrinsecus consideratae quam II *Petr.* 3, 13 fatetur, unde non est lumen nisi lumine intelligatur: lumen autem suppetit Christifidelibus verbum praedicationis per ministros prolatum;

b) de consequenti necessitate eos tantummodo textus Bibliorum easque versiones vernaculas pervolvendi, quibus probati ab Ecclesia auctores glossas et commentarios adiecerint, ne temere quis sententiam suam vel corruptam in sacro textu se introspicere iactet.

Necessarium demum videtur totam hanc materiam multo maiore cautela pertractari, ne videamur mutare quadrata rotundis. Velim praesertim prae oculis habeamus damnatas in Quesnello propositiones, scilicet LXXX. *Lectio S. Scripturae est pro omnibus*; et LXXIX: *Utile et necessarium est omni tempore, omni loco et omni personarum generi studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria S. Scripturae*, necnon documenta Pii VII, quorum haec est summa: «*si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde detrimenti quam utilitatis oriri*»: cf. Denz. 1429, 1430, 1602/6.

Ut omnia breviter perstringam, postulo ut cautius S. Synodus totum negotium agat, et dum aliquam variationem in praxim adhuc usurpatam introducere intendit, periculum, a quo sapientissime Pius VII praecavit, diligentius declinet, et praesentem novationem subtilioribus verbis S. Ecclesiae antiquis documentis prudenter accommodet, ne tam aperte damnemus, quae tam diu placuerant, quaeque fugeramus et fugaveramus, nunc ex converso requiramus» (Jelmini).

IV – «Ad pag. 8, lin. 4, corrigatur: ex adaucto... cultu» (Sépinski).

III

OBSERVATIONES

a Patribus factae in sessione commissionis centralis
die 20 iunii 1962 quoad schema decreti

DE OECUMENISMO CATHOLICO

(Decretum pastorale)

Observationes praeviae

I – «Non placet titulus Oecumenismus catholicus, quia hucusque vox Oecumenismus sat aequivoca fuit» (Siri).

Art. n. 1

I – «*a*) ad pag. 5: *incorporationis sacramentale signum* dixerim rectius, ut opinor: '*incorporationis causa et signum*'.

b) ad pag. 5, linn. 20-21: 'in sanctitate et veritate' melius: *in veritate et sanctitate*» (Ruffini).

Art. n. 3

I – «Ad pag. 8, linn. 20-25. De participatione dissidentium in celebratione Eucharistica, magis mihi placet quod dicitur in hoc schemate quam quod scriptum legitur in schemate Commissionis Theologicae pag. 7, linn. 29-35» (Ruffini: concordant Pizzardo, Aloisi Masella, McGuigan, Quiroga y Palacios, Cento, Godfrey, Jullien, Browne, Albareda, Gori, Ujčić, Beras, Cooray, Graner, Bernier, Verwimp, Sépinski, Janssens).

Art. n. 4

I – *a*) p. 9, lin. 23: pro locutione «Proclamatio verbi Dei» (cum revera nihil aliud denotet quam «motum kerigmaticum», in quo elementis positivis aliqua quoque negativa sociantur), videretur aptior haec pericope: «motus renovationis praedicationis et catecheticae».

b) p. 9, linn. 23-24: pro locutione: «Laicorum apostolatus» (cum decursu saeculorum huiusmodi apostolatus iam aliquo modo excultus fuerit) videretur recentiores Ecclesiae pressius exprimere haec locutio: «homologatio apostolatus laicorum organice dispositi una cum Sacra Hierarchia».

c) p. 9, lin. 24: ad complendum prospectum signorum quibus panditur renovatio interna Ecclesiae, videretur adnumerandas esse etiam «providentias Ecclesiae pro aequioribus conditionibus necnon pro agnoscendis iuribus populorum politicam autonomiam exposcentium» (Silva Henriquez).

2

Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 286/SE

E Civitate Vaticana, die 7 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Ho il piacere di rimettere all'Eminenza Vostra Reverendissima le osservazioni fatte dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Padri della Pontificia Commissione Centrale[1] agli schemi *De relationibus inter Ecclesiam et Statum necnon de tolerantia religiosa*,[2] e *De libertate religiosa*.[3]

Con la gradita occasione bacio le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo
servitor vero

Carlo Card. Confalonieri, *pres.*
Vincenzo Fagiolo, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Alfredo Ottaviani
Presidente della Commissione Teologica
Preparatoria del Concilio Vaticano II

---

[1] Patrum observationes typis editae sunt in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 692-746; 848 ss.

[2] *Quaestiones theologicae. Schema constitutionis de Ecclesia*. Pars II, caput IX: *De relationibus inter Ecclesiam et Statum necnon de tolerantia religiosa*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 24: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 657-672; vol. III, pars I, pp. 176-191.

[3] *Quaestiones secretariatus ad christianorum unitatem fovendam. Schema constitutionis de libertate religiosa*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 19: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 676-684; vol. III, pars II, pp. 433-441.

Summus Pontifex Ioannes XXIII peculiarem instituit commissionem ad quaestiones «De tolerantia religiosa» et «De libertate religiosa» penitus perscrutandas: cf. pp. 181-182.

3

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 287/SE

E Civitate Vaticana, die 7 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

Ho il piacere di rimettere all'Eminenza Vostra Reverendissima le osservazioni fatte dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Padri della Pontificia Commissione Centrale agli schemi *De relationibus inter Ecclesiam et Statum necnon de tolerantia religiosa*, e *De libertate religiosa.*[1]

Con la gradita occasione bacio le sacre Mani e con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo
servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*
VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Agostino BEA
Presidente del Segretariato per l'unione dei Cristiani

[1] Patrum observationes typis editae sunt in *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, pp. 692 ss.

4

EM.MUS AUGUSTINUS CARD. BEA
Praeses secretariatus ad christianorum unitatem fovendam

SECRETARIATUS
AD CHRISTIANORUM UNITATEM FOVENDAM
PRAEPARATORIUS CONCILII VATICANI II

Prot. N. 3/61

E Civitate Vaticana, die 23 luglio 1962

Eminentissimo e Reverendissimo Signor Mio Oss.mo,

Mi pregio rimettere qui unite all'Eminenza Vostra Reverendissima, in risposta al venerato ufficio dell'Eminenza Vostra in data 3 luglio 1962 (prot. 281/SE),[1] le osservazioni fatte da questo Segretariato dopo l'esame delle proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi, e Rev.mi Membri della Pont. Commissione Centrale nella seduta del giorno 20 giugno scorso, in merito allo schema *De Oecumenismo catholico.*

BaciandoLe umilissimamente le Mani, con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo, um.mo, obbl.mo servitor vero

AGOSTINO Card. BEA, *pres.*

J. WILLEBRANDS, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
il Signor Cardinale Carlo CONFALONIERI
Presidente della Pontificia
Sotto-Commissione de schematibus emendandis

[1] Cf. pp. 535-536.

ADNEXUM

E Civitate Vaticana, die 23 iulii 1962

Decretum
DE OECUMENISMO CATHOLICO
(Decretum pastorale)

Ad observationes generales

A multis em.mis et exc.mis Patribus propositum est ut ex utroque Schemate de Oecumenismo, altero a Commissione Theologica, altero a Secretariatu ad christianorum unitatem fovendam exarato, unicum Schema componeretur.

De hac re cum Secretario Commissionis theologicae egimus qui tamen negativam opinionem dedit, quia Schema Commissionis theologicae pars integralis est constitutionis theologicae de Ecclesia, e contra Schema Secretariatus ad christianorum unitatem fovendam decretum pastorale constituit. Haec duo ob characterem et valorem differentem separanda esse videntur.

Ad III. Observationem III accipimus. Textus modificatur in: «Econtra egoismus et superbia esse nequeunt nisi discordiarum fons».

Ad *observationes praevias*

Ad p. 6: ad I. Retineatur titulus: *de Oecumenismo catholico*. Terminus Oecumenismus hodie tam frequenter et generatim usu venit, ut iam evitari nequeat. Sed additur vox «catholicus» qua pressius determinatur hic agi de oecumenismo iuxta principia doctrinae catholicae, quod etiam ex ipso decreto pastorali luculenter patet.

Art. n. 1

Ad I: *a)* ad pag. 5, lin. 14-15. Textus modificetur in: «incorporationis sacramentalem causam et signum». Ratio autem est: ob singularem baptismi dignitatem. Agitur de causa in ordine supernaturali, prout sacramenta sunt.

b) ad pag. 5, lin. 20-21. Accipitur.

Art. n. 3

Ad I: Adnotatio haec textum plene approbat, igitur retineatur.

Art. n. 4

Ad I: *a)* pag. 9, lin. 23; *b)* pag. 9, lin. 23-24; *c)* pag. 9, lin. 24.

Incisum istud (pag. 9, lin. 22-25) solummodo exempla quaedam adducit, non autem taxative et per modum definitionis omnia renovationis elementa exponit. Qua-

propter longiores descriptiones minus aptae videntur. Adnotatio reduci potest ad sequentia: loco «proclamatio verbi Dei» ponatur: «praedicatio verbi Dei atque catechesis»; et in fine addatur: «normae et activitates Ecclesiae in re sociali».

Proinde ita: (p. 9, lin. 22-25): «— motus biblicus necnon liturgicus, praedicatio verbi Dei atque catechesis, laicorum apostolatus, vitae religiosae renovatae formae, matrimonio iunctorum spiritualitas, normae et activitates Ecclesiae in re sociali».

AGOSTINO Card. BEA, *pres.*
J. WILLEBRANDS, *segr.*

5

EM.MUS AUGUSTINUS CARD. BEA

Praeses secretariatus ad christianorum unitatem fovendam

SECRETARIATUS
AD CHRISTIANORUM UNITATEM FOVENDAM
PRAEPARATORIUS CONCILII VATICANI II

Prot. N. 3/61

E Civitate Vaticana, die 25 luglio 1962

Eminentissimo e Reverendissimo Signor Mio Oss.mo,

Mi pregio rimettere qui unite all'Eminenza Vostra Reverendissima, in risposta al venerato ufficio dell'Eminenza Vostra in data 3 luglio 1962 (prot. 281/SE),[1] le osservazioni fatte da questo Segretariato dopo l'esame delle proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi, e Rev.mi Membri della Pont. Commissione Centrale nella seduta del mese di giugno scorso, in merito allo *Schema decreti pastoralis de Verbo Dei.*

BaciandoLe umilissimamente le Mani, con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo, um.mo, obbl.mo servitor vero

AGOSTINO Card. BEA, *pres.*
J. WILLEBRANDS, *segr.*

A Sua Eminenza Reverendissima
il Signor Cardinale Carlo CONFALONIERI
Presidente della Pontificia
Sottocommissione de schematibus emendandis

---

[1] Cf. pp. 535-536.

ADNEXUM

E Civitate Vaticana, die 25 iulii 1962

Schema decreti pastoralis
DE VERBO DEI

Ad *observationes praevias*

I-II-III: Clarius definimus de quonam verbo hic agitur. Loco art. 2 (p. 3, linn. 17-19) novum textum proponimus. Sonat: 2. «Verbum Dei ea omnia sunt quae Deus loquendo et agendo, maxime per Verbum incarnatum, ad nostram salutem nobis revelavit. Hoc verbum in Ecclesia et per Ecclesiam in Spiritu proclamatur et praesens fit et tamquam 'sermo efficax' (*Hebr.* 4, 11) operatur. Quod imprimis fit per Sacram Scripturam Veteris et Novi Testamenti, quae non tantum continet verbum Dei sed ipsa sensu eminenti verbum Dei est, et insuper per Ecclesiae testimonium de 'magnaliis Dei' (*Act.* 2, 11) et universam eius salutarem activitatem».

Ad II: art. 13 aliquomodo mutatus est. Ibi nunc dicitur: «sub ductu Ecclesiae magisterii».

Ad III: ubi de paragrapho 4 agitur: in art. 4 loco «per Verbi incarnati verba» ponatur: «per Verbum incarnatum».

Ad IV: Observationibus Em.mi Card. Ritter plene consentimus. Attamen non est obiectum Decreti proferre totam theologiam praedicationis, quia ut etiam dicit Em.mus Card. Léger, theologia catholica de verbo Dei nondum satis elaborata est et quia Decretum est pastorale. Tenor et finis totius Decreti maxime cum modificationibus allatis, observationibus Em.mi Card. Ritter obviam venit.

Ad V: Secretariatus observationibus Em.mi Card. Döpfner generatim omnino consentit et nova forma art. 2 distinctiorem descriptionem notionis verbi Dei exprimit. Abstinuimus consulto ab illis quae distinctiones et disputationes theologorum sive antiquiorum sive recentiorum tangere videntur, v.g. distinctio de verbo Dei sensu strictissimo et sensu secundario, ut ulterioribus investigationibus via aperta maneat, sicut ipse Em.mus Cardinalis Döpfner desiderat.

Ad VI: in praesenti Decreto non sub aspectu dogmatico sed sub aspectu pastorali egimus, neque de Fontibus Revelationis sed de actuali momento et efficacitate salutari verbi Dei sermo est.

Art. 1

Ad I: ad pag. 3, lin. 6, accipitur.

Art. 2

Ad I: textus art. 2 iam mutatus est (vide supra), insuper ad mentem huius observationis in art. 4 lin. 10-11 ponatur: «spiritu nobis appropinquatur, nos ad poenitentiam et salutem vocat atque nobis sociatur audientibus... etc.».

Ad II: ad pag. 3, lin. 19, accipitur.

Art. 7

Ad I: ad pag. 5, linn. 28-29, accipitur. Textus sonat: «Apostoli esse voluerunt 'ministri sermonis' (*Lc.* 1, 2) qui non ... etc.».

Art. 9

Ad I: ad p. 6, linn. 17-18, observatio accipitur, ideo loco «pars essentialis» ponatur: «pars necessaria».

Art. 10

Ad I: ad p. 6, linn. 36-37, observatio accipitur, textus reformatur et sonat (lin. 34): «in constitutionem venit sacramentorum. Quinimmo sacramentales actiones proclamatio et applicatio salutiferi operis Christi sunt. Verbum et sacramentum numquam... etc.».

Ad II: ad p. 7, lin. 2, observatio accipitur, ideo omittatur vox *simul*.

Art. 13

Ad I et II: observationes Em.mi Card. Döpfner et Em.mi Card. Jullien accipiuntur. Textus art. 13, p. 7, linn. 33-37, mutatur et sonat: «Pastorum officium est, fideles omnes quam primum suaviter in frequentem piamque Scripturarum lectionem in spiritu Ecclesiae manuducere, quo consuescant mysteria Dei in eis contemplare atque inde robur spirituale contra omnes impietatis impetus haurire. Persuasum plane sibi habeant omnes, lectionem Scripturarum ideo primarie fieri ut homo audiat Deum ad se loquentem eiusque verbum in se recipiat mente aperta et docili, sub ductu Ecclesiae magisterii, cui Deus verbum concredidit. In id praedicatio dirigenda est... etc.».

Ad III: decretum praeprimis exhortationes et indicationes a P. Pio XII in litteris encyclicis de re biblica propositis, sequitur. In saeculis praecedentibus nonnulla documenta durius sonant ob particulares rerum conditiones, id est ad praecavenda pericula et abusus repellendos, qui maxime in Europae partibus, impellente protestantismo, grassabantur.

Ad IV: ad pag. 8, lin. 4, accipitur.

AGOSTINO Card. BEA, *pres.*
J. WILLEBRANDS, *segr.*

6

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 312/62

E Civitate Vaticana, die 28 luglio 1962

Eminentissimo e Reverendissimo Signor Mio Oss.mo,

Mi affretto significarLe che ho ricevuto le Sue pregiate missive del 23 e 25 luglio corr., n. prot. 3/61, con le risposte di codesto Segretariato alle osservazioni avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi e Rev.mi Membri della Pont. Commissione Centrale in vista degli emendamenti da introdurre negli schemi *De Oecumenismo catholico*, e *De Verbo Dei*.

BaciandoLe umilissimamente le Mani, con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo, um.mo, obbl.mo servitor vero

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*

VINCENZO FAGIOLO, *segr.*

A Sua Eminenza Rev.ma
Il Signor Card. Agostino BEA
Presidente del Segretariato per l'unione dei Cristiani

7

EM.MUS AUGUSTINUS CARD. BEA

Praeses secretariatus ad christianorum unitatem fovendam

SECRETARIATUS
AD CHRISTIANORUM UNITATEM FOVENDAM
PRAEPARATORIUS CONCILII VATICANI II

Prot. N. 8/61

E Civitate Vaticana, die 28 iulii 1962

Eminentissimo e Reverendissimo Signor Mio Oss.mo,

Mi pregio rimettere qui unite all'Eminenza Vostra Reverendissima, in risposta al venerato ufficio dell'Eminenza Vostra in data 3 luglio 1962 (prot. 281/SE),[1] le osservazioni fatte da questo Segretariato dopo l'esame delle proposte avanzate dagli Em.mi, Ecc.mi, e Rev.mi Membri della Pont. Commissione Centrale nella seduta del mese di giugno scorso, in merito allo Schema *Necessitas orationis pro unitate christianorum maxime temporibus nostris*.

BaciandoLe umilissimamente le Mani, con senso di profonda venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo, um.mo, obbl.mo servitor vero

AGOSTINO Card. BEA, *pres.*
J. WILLEBRANDS, *segr.*

Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Carlo CONFALONIERI
Presidente della Sottocommissione
de schematibus emendandis

[1] Cf. pp. 535-536.

ADNEXUM

Schema decreti

NECESSITAS ORATIONIS PRO UNITATE CHRISTIANORUM MAXIME TEMPORIBUS NOSTRIS

Art. n. 1

Ad I: Observationi Em.mi Cardinalis d'Alton plane consentimus. Attamen normae praecisae de colloquiis peritorum catholicorum cum fratribus separatis suum locum obtinent sive in schemate *De Oecumenismo* a Commissione theologica exarato, sive in schemate Decreti pastoralis *De Oecumenismo catholico* exarato a Secretariatu nostro. In exhortatione ad orationem autem minus apte videntur.

Ad II: *a*) in pag. 5, lin. 19, observatio accipitur. Textus tunc sonat: «sed realitate quoque proprie spirituali... etc.».

b) in pag. 5, lin. 34, observatio accipitur. Textus tunc sonat: «sine personali culpa ab externa communione Ecclesiae Catholicae seiunctae».

Ad III: *a*) ad pag. 3, lin. 12, accipitur.

b) ad pag. 4, linn. 32-33, accipitur. Textus tunc sonat: «efficaci inspirationi Spiritus Sancti imputandum est».

Art. n. 2

Ad I: *a*) ad pag. 6, linn. 13-14. Textus *Ps.* 2, 2 hoc loco retineatur et expungatur in pag. 3, linn. 10-11, ita ut textus p. 3, linn. 8-11, tunc sonat: «...praedicandae; petulantiam denique iuvat inimicorum Dei».

b) ad pag. 7, linn. 7-8. Observatio accipitur et textus corrigitur iuxta vota Em.mi Card. Coussa et Browne sub III et IV. Textus sic sonat (pag. 7, linn. 5-8): «Veniam a Deo petamus, si in praeterito, pro vitanda divisione vel restauranda unitate non satis egerimus, si fragilitatis exemplo fratribus obstaculo fuerimus».

Ad II: ad pag. 7, lin. 14. Observatio accipitur et tollatur verbum «illis».

Ad III et IV. Observationes accipiuntur. Vide supra art. 2 ad I b.

Ad V: *a*) pag. 7, lin. 25, accipitur.

b) pag. 7, linn. 29-30, accipitur. Tollatur verbum «data» et textus sonat: «... et scit bona humiliter et perseveranter petentibus dare;...».

c) pag. 7, lin. 31, accipitur. Textus sonat: «Dominum nostrum qui est 'semper vivens ad...'».

AGOSTINO Card. BEA, *pres.*

J. WILLEBRANDS, *segr.*

8

ANNOTATIO

I

Schemata emendata decretorum:

1. *Necessitas orationis pro unitate christianorum maxime temporibus nostris*
2. *De Verbo Dei*
3. *De oecumenismo catholico*

coaluerunt in unum schema decreti, quod inscriptum est *De unione fovenda inter christianos*:

Cap. I: De necessitate orationis pro unitate christianorum maxime temporibus nostris;

Cap. II: De Verbo Dei;

Cap. III: De oecumenismo catholico.[1]

II

Decretum de Iudaeis[2] ascriptum erat in ordine agendorum septimae sessionis commissionis centralis praeparatoriae mense iunio 1962 habendae,[3] sed de illo disceptatum non est consilio em.mi card. Hamleti Ioannis Cicognani a secretis Status.

---

[1] Schema typis editum est in *Schemata constitutionis et decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur. Series Quarta*, Typis Polyglottis Vaticanis 1963, pp. 371-391.

[2] Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 5-6: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. IV, pars II, p. 458.

[3] Cf. *Acta et Documenta... Series II*, vol. II, pars IV, p. 10.

6 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DOCTRINALIS DE COMMUNITATE GENTIUM

7 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DOCTRINALIS DE ORDINE SOCIALI

1

EXC.MUS PERICLES FELICI

Secretarius generalis commissionis centralis praeparatoriae Concilii Vaticani II

PONTIFICIA COMMISSIO CENTRALIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 2268-2286 Centr./62

E Civitate Vaticana, die 23 luglio 1962

Eminenza Reverendissima,

In ossequio al venerato incarico, ho l'onore di inviare all'Eminenza Vostra Rev.ma i due schemi: *De communitate gentium*;[1] *De ordine sociali*,[2] preparati, secondo l'Augusto desiderio del Santo Padre, dalla Commissione Teologica.

Essendo ormai ultimate le sedute plenarie della Commissione Centrale, si è ritenuto opportuno sottoporre i due schemi all'esame degli Em.mi Membri delle Sottocommissioni, ancora in funzione, della Commissione Centrale.

Sarei pertanto grato all'Eminenza Vostra se volesse farmi pervenire il suo saggio ed illuminato voto sui detti schemi per i primi giorni del prossimo mese di settembre.

---

[1] *Quaestiones Theologicae. Schema constitutionis doctrinalis de communitate gentium*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 27: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. III, pars I, pp. 232-246.

[2] *Quaestiones Theologicae. Schema constitutionis doctrinalis de ordine sociali*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 47: in *Acta et Documenta... Series II*, vol. III, pp. 247-275.

Chino al bacio della Sacra Porpora, mi confermo con i sensi della più profonda venerazione

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
dev.mo obbl.mo

PERICLE FELICI, *segr. gen.*

Agli Eminentissimi Signori Cardinali
Membri delle Sottocommissioni della Commissione Centrale
Cardd. Leone Giuseppe SUENENS, Giovanni Battista MONTINI,
Giuseppe FRINGS, Michele BROWNE, Giacomo DE BARROS CÂMARA,
Arcadio LARRAONA, Giuseppe SIRI, Andrea JULLIEN,
Guglielmo Teodoro HEARD, Francesco ROBERTI, Eugenio TISSERANT,
Achille LIÉNART, Ignazio Gabriele TAPPOUNI, Giuseppe FERRETTO,
Carlo CONFALONIERI, Clemente MICARA, Giacomo Luigi COPELLO,
Paolo Emilio LÉGER

2

EM.MUS CAROLUS CARD. CONFALONIERI
Praeses subcommissionis de schematibus emendandis

PONTIFICIA SUBCOMMISSIO CENTRALIS
DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
PRAEPARATORIA CONCILII VATICANI II

Prot. N. 311/62 SE

E Civitate Vaticana, die 28 luglio 1962

Eccellenza Reverendissima,

Mi affretto significarLe che mi sono pervenuti i due schemi *De communitate gentium* e *De ordine sociali* e che entro il termine indicato farò pervenire all'Eccellenza Vostra Reverendissima il richiesto voto.

Con la gradita occasione, rinnovandoLe i sensi della mia stima, mi confermo

dell'Eccellenza Vostra Reverendissima
dev.mo

CARLO Card. CONFALONIERI, *pres.*

A Sua Eccellenza Reverendissima
Mons. Pericle FELICI
Segretario Generale della Pont. Commissione Centrale
del Concilio Ecumenico Vaticano II

3

EXC.MUS PERICLES FELICI

Secretarius generalis Concilii Oecumenici Vaticani II

Prot. N. 81 CV/62

E Civitate Vaticana, die 19 settembre 1962

Eminenza Reverendissima,

Con inserto che allego, mi reco a doverosa premura di trasmettere a Vostra Eminenza Reverendissima le osservazioni degli Eminentissimi Signori Cardinali, fin'ora pervenute, sugli schemi *De ordine sociali* e *De communitate gentium*.

Sono a pregare Vostra Eminenza di voler benevolmente disporre l'introduzione di detti emendamenti nel testo degli schemi da parte dell'apposita Sotto-Commissione, rimettendo poi il testo emendato a questa Segreteria Generale possibilmente prima dell'inizio delle Assisi Conciliari.

Profitto dell'occasione per baciarLe la Sacra Porpora e dirmi con sensi di profondo ossequio e venerazione

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo obbl.mo
Pericle FELICI, *segr. gen.*

(con Allegati)

A Sua Eminenza Reverendissima
Il Signor Cardinale Alfredo OTTAVIANI
Presidente della Commissione Teologica

ADNEXA

I
OBSERVATIONES
a Patribus factae quoad schema constitutionis doctrinalis
DE ORDINE SOCIALI

1 – Em.mus MICHAEL Card. BROWNE

Placet iuxta modum: secundum ea quae exposui in foliis manu scriptis adiunctis.

De singulis istorum Schematum opinor, non obstante vero valore uniuscuiusque eorum, ea non esse sufficienter adhuc praeparata ut Concilio Oecumenico submittantur. Hoc magis firme dicerem de Schemate *De ordine sociali*. Ut rationes opinionis praedictae pateant, humillime submitto observationes quae sequuntur:

Circa Schema *De ordine sociali*:

1. In p. 4, l. 8 [Cap. 1, art. 3] omitterem voces *nec abalienari*. Quaedam enim iura naturalia possunt abalienari, v.g. ius possidendi, etsi numquam possint violari.

2. In eadem p. 4, l. 34-35 [Cap. 1, art. 4] omitterem verba «et eatenus... conferunt». Istud dictum in sua universalitate non esset simpliciter verum.

3. In p. 5, l. 9-20 [Cap. 1, art. 6] puto quod opportunum esset reconstruere hunc articulum. Mihi saltem clarus non est. Forte melius adhuc posset redigi ad hoc ut clarius pateat: *a*) bonum commune consistere primarie in vita humana secundum virtutem (omnis generis), *b*) illud secundarie consistere in omnibus quae socialiter requiruntur ut conditiones etiam materiales huius vitae.

4. In p. 5, l. 30-33 [Cap. 1, art. 7], omitterem verba: «Accedit quod... auctoritatis participatio». Non videntur necessaria, et insuper exprimunt considerationem quamdam abstractam cuius veritas non est immediate obvia.

5. In p. 6, l. 2-3 [Cap. 1, art. 8], non videtur dicendum modo absoluto *exercitium libertatis* agnosci, servari et promoveri debere. Libertas enim creata in suo exercitio indifferens est ad bonum et ad malum, in quantum, secundum se imperfecta et defectuosa est. Defectus tamen huius expressionis corrigitur in lineis subsequentibus.

6. In eadem p. 6, l. 15-33 [Cap. 1, art. 10], plura vera dicuntur. Dubium mihi manet an sit possibile ea erigere in *principium* quoddam, maxime in documento conciliari.

7. Cap. secundum [p. 12-14] non videtur ita redactum ut in sua praesenti forma Concilio submitti possit. *Demonstratio* iuris proprietatis privatae adducta in p. 12-13 [art. 12] mihi efficax non videtur, etsi contineat plura optima elementa seu considerationes. Nil dicitur de triplici argumento S. Thomae, in II-II, q. 66, a. 2, de *sollicitius, ordinatius* et *magis pacifice* ut fundamento iuris gentium (seu iuris naturalis secundi gradus) pro proprietate privata.

Item dubito an ea quae habentur in p. 13, l. 5-15 [art. 13], etsi vera sint, materia sint conciliaris.

Art. 14 [p. 13, l. 16-37] bonus est et maxime necessarius. Perpoliri forte posset. In l. 23, ponerem *dominium privatum* loco *libertas*. In l. 34, dicerem *puro arbitrio* loco *arbitrio*.

Conclusio [art. 16] in p. 14 est optima.

8. In p. 23, l. 26 [Cap. 3, art. 18], loco verborum *universalem obligationem* retinerem verba *ius et officium*.

9. In p. 24, l. 1-3 [Cap. 3, art. 18], iura quae ibi enuntiantur non sunt absoluta sed, quandoque saltem, valde conditionata.

10. Quoad ea quae habentur in art. 19, 20, 21 huius Cap. [p. 24-25], nil notavi quoad doctrinam, sed dubium habeo an materia eorum convenienter praesentaretur Concilio.

11. Quoad Cap. 4 [p. 32-33], analogum dubium habui respectu eorum quae continentur sub art. 23 et 25 (an scilicet, sint materia Concilii?). Art. 24 est optimus.

12. Quae dicuntur in Cap. 5 [p. 38], bona sunt, sed partim respiciunt conditiones contingentes temporum et locorum. An melius sit eas tangere in Concilio an in Litteris Pontificiis?

13. Quae dicuntur in Cap. 6 [p. 40-41] bona quoque sunt, praesertim in art. 29, 31, 32, 33. Nescio an prudens sit coloribus ita nigris statum actualem operariorum respectu dominorum describere sicut fit in art. 28, p. 40. Art. 30 valde bonus est.

14. Cap. 7 [p. 46-47] bonum est. Ob universalem rationem eorum quae in eo continentur dignum est ut fiat materia conciliaris. Puto quod redactio art. 34 posset meliorari, maioris claritatis causa. In fine huius art., l. 16-17 habetur iterum expressio *subsidiarii officii principium*. An conveniat haec expressio? Art. 35 optimus est et summi momenti.

2 – Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI

Placet iuxta modum: scilicet: Cap. II, n. 12... oportet quaedam saltem verba edicere « de recto usu ipsius proprietatis ».

Cap. IV (vel praeced. cap. III)... aliquid breviter dicatur « de labore honeste praestando » ab ipsis operariis, id est, « de diligentia, assiduitate, sollicitudine (ne tempus inutiliter teratur) ».

Cap. I, n. 3, lin. 11 (pag. 4) corrigatur « ab alis cum ab aliis ».

3 – Em.mus IACOBUS ALOISIUS Card. COPELLO

Placet iuxta modum: Perlegi schema quod mihi perhumaniter misisti. Multa continet omnino probanda: velim tamen breviore oratione comprehendantur.

4 – Em.mus IACOBUS Card. de BARROS CÂMARA

Placet.

5 – EM.MUS IOSEPH CARD. FERRETTO

Placet iuxta modum: Cap. 2, n. 11 huc transferenda censerem verba quae habentur in Schemate *De communitate gentium* c. 1, linn. 20-21.

Cap. 2, pag. 14, n. 16, lin. 26 seq. habetur repetitio (cf. Cap. 1,1, lin. 2).

Cap. 4, pag. 33, n. 25, lin. 10 loco verbi «quaelibet» dicerem «apta idoneaque»; lin. 11: loco verborum «ante omnia» dicerem: in primis semperque»; lin. 12 delerem verbum «deficientibus».

Sed, his sequentibusque verbis, videtur codificari operistitium et cessatio laboris ideoque uti iacet *non placet totus numerus 25*. Forsan indirecte dici poterit vg. «quod si recursus fiet ad operistitium et cessationem laboris ratio semper habenda erit utrum iura vindicanda tanti sint momenti ut... etc.».

In fine huius paragraphi loco «instrumentis» dicerem «mediis».

Cap. 5, pag. 38, par. 26: citari poterunt verba Ps. 103 «Homo exit ad opus suum etc.»

Cap. 6, pag. 40, par. 28, lin. 7: ante verbum «accusat» adderem «accusavit et».

6 – EM.MUS IOSEPH CARD. FRINGS

Non placet.

I) In hoc Schemate dicuntur multa bona et valde utilia, sed:

1. Eorum maior pars iam continetur in Litteris Encyclicis socialibus Summorum Pontificum inde a Leone XIII usque ad Ioannem XXIII et in Allocutionibus Pii Papae XII.

2. Hae veritates magis sunt philosophicae vel sociologicae quam theologicae, e. gr. quae verissime quidem dicuntur de principio subsidiaritatis (cap. 1, n. 10), de pace sociali tuenda (cap. 6, praesertim nn. 30-33) et de relatione inter rem publicam et oeconomiam (cap. 7). In rebus socialibus autem sine dubio datur progressus; quare minus optandum videtur, ut Concilium in singula procedat, ne in futurum Ecclesia nimis coarctata sit iis, quae dixerit Concilium Oecumenicum.

3. Aliquae theses positae recte in dubium vocari possunt, e. gr.

a) quae dicuntur (in cap. 3, n. 18) de universali obligatione manibus vel intellectu laborandi; quid de communitatibus religiosis contemplativis, quarum vita est «vacare Deo»?

b) In statuendo salario iusto desideratur respectus ad conditiones familiares eius qui operatur (cap. 4, n. 22).

c) Quae dicuntur de dignitate agriculturae (cap. 5, n. 26), mutatis mutandis etiam de aliis statibus humanis dici potest, v. gr. de statu scientifici, qui explorat mysteria physicalia vel chemicalia naturae, quae sunt cogitationes Dei, vel etiam de operario industriali, qui cooperatur in perfectione creaturae a Deo factae. Insuper, quae dicuntur de dignitate agriculturae aliqualem romanticismum sapiunt, quia agricultura moderna adeo est rationalizata et mechanizata, ut pauca remaneant eorum, quae hic enumerantur. Agricola, qui hunc progressum rationalizationis non comitatur, exsistere non poterit.

4. Demonstratio theologica ex S. Scriptura et ex Patribus in pluribus locis desideranda relinquit; v. gr. in cap. 1, n. 7 quoad auctoritatem humanam praeter *Rom.* 13, 1-6, possent et deberent citari *I Pt.* 2, 13-17; *Tit.* 3, 1; *Io.* 19, 11; in cap. 2, n. 12 dubitari potest, an praeceptum septimum decalogi agat de furto an tantum de rapina bonorum vel magis personarum. Quoad ius *primarium* naturale in bona temporalia et proprietatem privatam revidenda sunt quae dicuntur de demonstratione patristica, quia non est omnino certum apud S. Thomam, an ius hominis in proprietatem privatam sit ius naturale primarium aut secundarium. Apud S. Bonaventuram certe tantum est secundarium. Eamdem sententiam sequi videntur plures Patres, v. gr. apud S. Basilium et S. Chrysostomum.

5. Tota argumentatio, ut locum haberi potest in decretis Concilii, nimis procedit ex aliquo principio scholastico, dum procedere deberet ex fontibus theologicis, sc. ex S. Scriptura diligenter perspecta et commentata et ex SS. Patribus.

II) Quapropter commendatur:

1. Ut retineantur capita 1 et 2, sed correcta secundum principia supra enumerata. Insuper retenta omnino dignitate personae humanae etiam sublineetur in cap. 1, nn. 1 et 4 momentum communitatis humanae, quae etiam in eschatis permanebit in Hierosolyma illa caelesti novi foederis.

2. Reliqua capita vero aut omnino expungantur et relinquantur Encyclicis Litteris iam editis vel in futuro edendis, aut funditus retractentur et valde simplificentur, ita ut ex veritatibus revelatis desumpta vel immediate derivata appareant.

7 – Em.mus VILLELMUS THEODORUS Card. HEARD

Placet.

8 – Em.mus ANDREAS Card. JULLIEN

Placet iuxta modum: videlicet: Cap. I, n. 9, pag. 6.

1. Quae ad positivum iuris ordinem requiruntur textus exponit, sed per summa capita. Qua de causa, quaeritur, una nominatur necessitas iudicum, omissis ceteris elementis, quae essentialiter requiruntur ad constituendum et tuendum illum ordinem iuridicum? Et sunt potestas legislativa, potestas iudiciaria, potestas coactiva (cf. ad ex. can. 335 § 1).

Quocirca proponerem ut linea 10 et sequentes ita reducantur: positivus ordo requirit legitimam potestatem legislativam, iudiciariam, coactivam.

2. Si proposita correctio non accipitur, omnino requiritur ut lin. 13 verbis «sine respectu humano» substituatur expressio *sine personarum acceptione*, quae ratione et traditione respondet officio iudicum iuste adimplendo.

Cap. II, n. 14, pag. 13, lin. 24-30. Quae ita exponuntur utique vera sunt in genere quidem, sed restringuntur ad oeconomiam mere ruralem et «artigianam», quae hodie non sufficit ad generi humani vitam et prosperitatem.

9 – Em.mus PAULUS AEMILIUS Card. LÉGER

Placet iuxta modum pro rationibus in foliis expositis.

Praesens schema est synthesis superficialis doctrinae Ecclesiae in materia sociali. Nil novi dicit; multa iam cognita praeterit. Immo, aliquibus in materiis, textus est in regressu relate ad «Mater et Magistra». Caput IIum. «De dominio humano», mea opinione, reficiendum est, quia dominium quasi exclusive reducitur ad proprietatem privatam. Caput «De Agricultura» parum dicit et lyrice utitur Sacra Scriptura. Capita VI et VII generalitatibus redundant et paulum in eis invenitur quoad problemata actualia mundi. Credo valde opportunum esse ut schema illud funditus recognoscatur a peritis non tantummodo in theologia generali sed maxime in re oeconomica et sociali. Post litteras encyclicas «Mater et Magistra», Ecclesia schema sicuti nunc est, i.e. cum mente regressiva, praesentare non potest. Salvo meliore iudicio!

Paragraphus I. Credo quod opportunum est, etiam in illa prima paragrapho, aliquid dicere de charactere sociali personae humanae.

Paragraphus II. Hic formulatur, sub forma sillogismi, theoria quae vera est, quae tamen remanet nimis generalis. Motiva magis concreta dici possunt de competentia Ecclesiae in hac materia. Paragraphus sicut formulatur apparet ut mere expostulatio auctoritatis Ecclesiae; sed opportunum esset exprimere etiam particularem contributionem Ecclesiae in hac materia et motiva sollicitudinis quae Ecclesiam incitant ad suam doctrinam exprimere. Praeterea dici debent fines (limites) auctoritatis Ecclesiae in materia sociali: hoc fieri posset in eadem mente ac formulatur declaratio initialis in schemate «De Apostolatu laicorum in actione sociali».

Paragraphus III. Linea 30, loco «omnino aequales sunt», propono «*fundamentaliter* aequales sunt».

Pagina 4, lineae 5-8: dicatur etiam positive quod haec iura et officia favenda sunt ab aliis et a societate.

Paragraphus IV. Incipiatur paragraphus positive potiusquam negative.

Paragraphus V. Linea 3, loco «communitas politica», dicatur «*societas* politica».

Paragraphus VI. Descriptio hic data de bono communi, mihi videtur nimis summaria. Sic exempla opportune dari possent (1. 15) de «elementis» quae requiruntur: libertatem, pacem, prosperitatem, culturam, bonum physicum, intellectuale, morale. Dici etiam potest quod illa bona, quae «bono communi» pertinent, dari debent secundum hierarchiam valorum et secundum urgentiam necessitatum.

Praeterea melius esset non incipere paragraphum cum aliqua negatione.

Paragraphus VII. Nescitur hic de quanam auctoritate agitur: de auctoritate in societate publica et in omni societate privata (clubs sportifs, sociétés savantes, etc...)? Et affirmatur quod omnis auctoritas a Deo est; quod, sane, verum est, quod attamen *diversiter* dicitur de variis auctoritatibus. Ideo credo quod opportunum esset restringere obiectum paragraphi ad auctoritatem *civilem* vel ad auctoritatem societatum quae a natura exiguntur (familia, societas politica). Praeterea affirmatio originis auctoritatis a Deo non sufficit: indicari deberet magis explicite *naturalis* necessitas auctoritatis. Dicatur quod auctoritas humana est *servitium hominis*. Denique aliquid dici deberet de *designatione* illius qui auctoritatem habet: indicando quod modus democraticus est particulariter conformis spiritui christiano.

Ita modificetur prima sententia ut et ordo socialis et bonum commune dicantur tutanda et promovenda.

Lineae 30-38: formulentur positive.

Paragraphus VIII. Non solummodo institutiones sociales, dicatur, sed et leges et consuetudo vel mores conformandae sunt.

Linea 3, dicatur «exercitium libertatis *et responsabilitatis et etiam dignitas personae humanae* agnoscantur».

Paragraphus IX. Mihi videtur nimis summaria relate ad suum momentum. Cur agitur tantummodo de iudicibus et non de legislatoribus, de advocatis, de civibus? Multum dici potest de civismo. De ipso iure positivo dicatur quod inspirari debet a iure naturali quodque legislatores scire debent eius characterem *historicum* (nexus eius cum sociologia). Linea 13, loco «sine respectu humano», dicatur «sine acceptione personarum».

Paragraphus X. Hic enuntiatur principium maximi momenti cuius tamen formulatio renovari debet ad mentem *Mater et Magistra*. Habetur enim in ordine sociali aliquis evolutio conditionum socialium quae numerosiores interventiones requirit a societate. Sunt nunc incepta nova et necessaria pro bono communi quae superant vires individuorum et parvarum collectivitatum, quaeque indigent actione maiorum collectivitatum. Haec interventio, titulo particulari, necessaria est in regionibus noviter accedentibus ad independentiam et ubi non sunt corpora intermediaria. Dici debet quod, his in regionibus, societas civilis fovere debet creationem talium corporum.

Dici deberet modo magis positivo munus societatum: «subsidium afferre» i.e. promovere, adiuvare, aliquando supplere. Ne confundantur principium subsidiarietatis et principium suppletionis. Dici etiam deberet fundamentum huius principii: homo est persona responsabilis et libera.

Linea 18, expressio «fixum immotumque» immobilismum nimis absolutum significat. Dicatur potius: «*firmiter tenendum est*».

Caput II: De dominio humano et privata proprietate

Placet prima pars huius tituli: «De dominio humano». Homo enim remanet centrum ordinis socialis et opportune significatur imperium et dominatio eius super res. Cur tamen additur in titulo «et privata proprietate»? Proprietas privata *iam* intellegitur sub dominio humano, quod fundat ipsam proprietatem privatam. Deleantur in titulo «et proprietate privata» quia aliter peccaret contra logicam et, maxime, intelligi posset inutiliter ut defensio regiminis oeconomici quod vocatur capitalismus.

Paragraphus XI. Omittitur quod principalius est quodque est fundamentum doctrinae in illa parte ordinis socialis. Hoc fundamentum est dominium hominis super suam activitatem humanam, possessio quam homo habet suarum activitatum cognitionis, creationis, operationis; quibus activitatibus homo crescit ut persona et ut membrum societatis. Aliqua mentio fit de hoc in linea 13 paragraphi 12: sed tantummodo ad propugnandum et fundandum ius proprietatis privatae.

Maximi interest, meo iudicio, ut fundamentalis illa idea in textu magis appareat et explicitetur. Quia quod magis in periculo versatur hodie est illa possessio, illa liber usus humaniorum et propriarum activitatum hominis: societas contemporanea propensionem habet ad hominem considerandum velut aliquam rem, aliquem numerum. In

notula prima citatur S. Thomas: «unaquaeque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem». Hoc est explicandum, loco celeriter transeundi ad proprietatem privatam exponendam.

Praeterea in eadem paragrapho, antequam concludatur ad proprietatem privatam, exponatur destinatio universalis bonorum temporalium. Omnes homines ius habent ad ea omnia quae eis afferre possunt vitam convenientem, decentem: ex quo deducitur necessitas ordinandi productionem et distributionem bonorum.

Paragraphus XII. Argumentatio hic data de iure proprietatis privatae non *aequaliter* valet de bonis productionis ac de bonis consumptionis. Propono ut *separatim* tractetur de istis et illis. Proprietas privata bonorum productionis connotationes particulares habet; v.g. attendi debet ad naturam illorum bonorum, ad potestatem quam conferunt; praeterea, ut dicitur in *Mater et Magistra*, «nostris diebus, ... homines potius alicuius artis peritiam quam rerum possessionem excupiant... Quod quidem plane congruit cum nativa laboris indole» (A.A.S. 1961, p. 427).

Linea 25, dicatur etiam quod ius illud adiuvat ad officia adimplenda erga societatem.

Paragraphus XIII. Detur argumentum magis fundamentale: dignitas personae humanae.

Paragraphus XIV. Tollatur secunda sententia («Necessitatibus enim...») quae in suis ultimis lineis vertit ad proprietatem privatam legitimandam potius quam ad munus sociale sublineandum.

Non placent lineae 31-37. Sunt enim conclusio diminutiva principii superius in textu allati. Etenim non agitur solummodo de superfluo dando sed de *constante usu sociali* bonorum propriorum; de obligatione fructum faciendi ex bonis suis. Dum hic loquitur de solis «*divitibus*» et de stipite facienda. Dilatandus est scopus: loco (linea 37) «ut hominum necessitatibus subveniatur», dicatur «*ut ad hominum communem utilitatem et urgentes necessitates ordinentur*». Mihi videtur quod in praesente paragrapho deest fortitudo (courage) dum tantae necessitates sunt in mundo contemporaneo (des millions d'hommes souffrent de la faim!).

Paragraphus XV. Prima sententia praesentis paragraphi potius ponenda est in fine paragraphi praecedentis. Modificetur titulus et loco huius sententiae dentur rationes *positivae* interventuum societatis civilis in distributione et productione bonorum. Sunt enim categoriae bonorum quae nequeunt vere servire finalitatem suam nisi publice approprientur: bona quorum productio redditus non affert; bona quae nimiam potestatem conferunt; bona quae de facto a privatis personis negliguntur. Particulariter loquetur de proprietate mediarum et maiorum proprietatum. Haec paragraphus fundetur, sicut aliae, in protectione et dignitate personae humanae.

Linea 3, loco «*mala*», dicatur «*iusta*». Linea 8, loco «*convenienti*», dicatur «*iusta*».

Paragraphus XVI. Dicatur etiam quod, defendendo principium proprietatis privatae, Ecclesia ordinem existentem «canonizare» non vult.

Conclusio haec dare conatur veram perspectivam problemati «de dominio humano». Sed totum hoc capitulum recognosci deberet circa personam humanam, dominium activitatis suae, (postea) dominium bonorum externorum ita ut persona humana crescat secundum suam naturam et vocationem. Sicuti construitur, capitulum videtur anteponere proprietatem privatam pro ipso labore humano de quo agitur postea (De indole laboris humani). Praeterea tractanda sunt problemata non solummodo rela-

te ad praesentem situationem sed etiam relate ad ordinem socialem semper noviter condendum.

Paragraphus XVII. Optimum est loqui de labore sicut completio creationis. Praeterea tamen, magis concrete dicatur quod est opus submissionis mundi et servitium commune. Dicatur particulariter quod est servitium familiae quodque incrementum physicum et spirituale fovere debet.

Non solummodo ad oblationem laboris invitantur christifideles sed *summe* ad laborandum in spiritu et mente christiana.

Paragraphus XVIII. Pagina 24, linea 3, post verba « quoad modum », dicatur « et, in quantum fieri potest, secundum aptitudines suas ».

Linea 5, post verbum « valeant », dicatur, ad praecavendam interpretationem antisyndicalium: « Ius illud individuale componendum est tamen cum aliorum iure servando et quidem collective defendendo ».

Paragraphus XIX. Quia sententia secunda non rectificat primam, potius sequenti modo incipiatur: « Etsi ratio habenda sit... in quotidiano tamen labore ordinando, ne umquam plus requiratur quam vires... »

Praeterea non solummodo agatur de horis sed etiam de problematibus laboris die dominica, laboris feminarum nuptarum vel matrum familiae.

Dicatur etiam, et quidem positive, quod labor fovere debet spiritum creationis et incepti, sensum responsabilitatis, spiritum communitarium.

Praeterea habetur paragraphus, vel melius capitulum, de relationibus inter laborem et otium (les loisirs).

Paragraphus XX. Non mihi videtur verum quod « *in se* » omnis labor sit valde honorificus. In lineis 23-24 dicatur « ad fovendam apertionem (épanouissement) personae humanae et bonum commune assecurandum ».

Paragraphus XXI. Illa paragraphus non sufficit nec placet.

Prima sententia est inutiliter negativa.

Linea 10, loquatur primo de *iustitia*, non solummodo de obsequio, existimatione et benevolentia.

Loquatur etiam de conscientia professionali *omnium*.

Loquatur de actione syndicatorum deque conventione collectiva.

Capitulum IV

Haberi videtur aliqua confusio inter verba « remuneratio », « retributio » et « salarium ». Remuneratio est aliquid plus quam salarium quia etiam significat allocationes sociales.

Paragraphus XXII. Linea 12, post verba « dignam degendam » addatur « et ad familiae onera convenienter ferenda » sicut dicitur in textu citato (notula 2) *Mater et Magistra*.

Lineae 14-16; hae indicationes mihi apparent nimis generales ut sint criteria concreta salarii determinandi.

Lineae 17-23. Dicitur, in formulatione nimis intricata, quod possibilitates differunt inter varios populos. Quod est nimis dicere vel non satis dicere. *Mater et Magistra* clarior est et magis explicita in hac materia.

Paragraphus XXIII. Linea 28, loco « republica », dicatur « *societate civili* ».

Linea 29, loco «aequa emolumenta», clarius esset dicere «iustam partem» vel «partem unicuique congruentem» emolumentorum.

Paragraphus XXIV. A quibus erigenda sunt instituta praevidentiae et securitatis? a corporibus intermediis, a Statu?

De problemate praevidentiarum et securitatum fundamentali longius agi debet sicut fit in Encyclicis.

Paragraphus XXV. Linea 10, dicatur «media pacifica *et efficacia*».

Lineae 17-18 mihi videntur inacceptabiles in eorum praesenti formulatione. Etenim, de quonam labore agitur? De labore in aliis locis vel in loco ubi operistitium habetur? Utrum illae sunt circumstantiae ubi syndicatus renuntiare debet operistitio? Praesens textus videtur fovere «scabs» et indirecte destruere omne ius ad operistitium. Credo quod alibi invenienda sunt media ad familias sublevandas.

Lineae 19-21 videntur dicere quod tribunalia dirimere possunt controversias, imponendo solutionem auctoritatis; quod quidem, saltem in contextu Americae Septemtrionalis, mihi apparet inacceptabile. Ex hoc enim destrueretur operistitii fundamentum quod consistit in actione virium oeconomicarum.

Praeterea mihi apparet inopportunum loqui de operistitio in capitulo de salario, sicuti esset sola ratio, (quod quidem nimis creditur), operistitiorum.

Denique notabo quod in hoc capitulo aliquid dici deberet de lucris (profits), de aequilibrio inter salaria diversorum camporum oeconomicorum (cf. *Mater et Magistra*), de «fermetures d'usines».

Capitulum V

Capitulum de agricultura non placet. Est permixtio spiritualis et temporalis, Sacrae Scripturae et agriculturae. Et vera problemata mundi agricoli non tractantur. Magis utetur *Mater et Magistra.*

Paragraphus XXVI. Habetur ibi abusus Sacrae Scripturae. Utuntur textus ad probandum quod significare nolunt. Non doctrina sed lyrismus exprimitur. Ad quid et ubi fundatur talis laudatio agriculturae? Forsan aliqua commoda spiritualia inveniuntur in agricultura sed et etiam in aliis functionibus humanis. Affirmantur veritates partiales quae Concilio non conveniunt. Mea opinione, supprimenda est talis paragraphus.

Paragraphus XXVII. Nec tantum valet haec paragraphus. Est etiam magis lyricus quam doctrinalis. Miror cur agetur, linea 18, de Pastoribus. Distinguendum est spirituale a temporale.

Paragraphus XXVIII. Non agitur solummodo de opificibus sicut videtur in subtitulo sed et de aliis omnibus pauperibus.

Paragraphus XXIX. Parvum dicitur de associationibus laborantium et patronorum. Non convenit incipere illam paragraphum cum allusione ad communismum: iam sufficit inclinatio, quae etiam apud multos fideles invenitur, insinuandi quod associatio laborantium sapit de se communismum. E contrario dicatur quod syndicalismus est medium valde efficax pugnandi marxismum.

Paragraphus XXX. Linea 24, loco «etenim», dicatur «praeterea».

Paragraphus XXXI. Mea opinione, non pertinet ad Concilium promovere classem particularem vel consecrare appellationem quae ad sociologiam pertinet. Classis media

non habet solummodo annotationes positivas. Melius esset simpliciter loqui « de prosperitate generali ».

Paragraphus XXXII. Minus dicit quam *Mater et Magistra* de hac materia et habitum solummodo negativum suscitat.

Paragraphus XXXIII. Idem dicendum de illa paragrapho. Melius de hoc tractabatur in schemate « De Apostolatu laicorum ».

Capitulum VII

Nimis breve apparet hoc capitulum cuius obiectum apparet maximi momenti.

10 – Em.mus ACHILLES Card. LIÉNART

Placet iuxta modum: secundum animadversiones scriptis annexas.

Ius proprietatis privatae, quod absolute asseritur in textu (Cap. 2, linn. 19-20), tam super bona consumptionis, quam super bona productionis, omnino servandum est. Sed animadvertere oporteret quod, in praxi, usus iuris illius in utroque casu limitandus est.

Etenim, quoad bona consumptionis, ius proprietatis ex more definitur « ius utendi et abutendi », sed abusus ille praevalere nequit, nec super officium sociale quod proprietati privatae incumbit, nec contra ius pauperum in extrema necessitate lapsorum.

Item, meo sensu, quoad usum bonorum productionis, quosdam limites agnoscere oporteret. Vi principii currentis « Res fructificat domino », ille qui bona productionis possidet (vulgo « le capital ») fructus omnes sibi reservat. Sed nonne considerandum esset fructus istos non solum de bonis productionis venire, sed etiam de labore opificum. Unde sequeretur quod si ius ad proprietatem privatam instrumentorum productionis capitali servaretur, tamen proprietas privata fructuum, partim capitali et partim operariis tribui deberet.

11 – Em.mus CLEMENS Card. MICARA

Placet iuxta modum.

Ad breviorem formam schema videtur redigi posse, iis omissis quae magis lectionem doctoralem quam conciliarem sententiam sapiunt.

Ordinem socialem necessario niti debere ordine morali vividius fortasse asseratur oportet tamquam totius sermonis praecipuum caput. (N. 2, pag. 3). Ad hoc praesto sunt etiam disertissima verba Enciclycae « Mater et Magistra » (A.A.S., 1961, pp. 452-453), quae aegre patimur ne in nota quidem (n. 2 pagg. 7-8) relata esse.

Neque praetereundum est, in ordine sociali definiendo, munus praestantissimum inesse non solum iustitiae sed etiam caritati (de qua aliquid sed insufficienter dicitur ubi de munere sociali proprietatis agitur, in n. 14, pag. 13, lin. 31 ss.). Nam, ut recte monuit Pius XI in Enc. « Quadragesimo Anno », « potiores partes semper lex caritatis teneat oportet, quod est vinculum perfectionis. Quam ergo falluntur incauti illi reformatores, qui solam iustitiam eamque commutativam servandam curantes, caritatis auxilium superbe reiciunt! Profecto iustitiae ex officio debitae et iniquae denegatae caritas

vicaria succedere nequit. At, etsi omnia sibi debita quisque hominum supponatur tandem adepturus, amplissimus caritati semper patebit campus: sola enim iustitia, vel fidelissime exhibita, socialium certaminum causas quidem removere, numquam tamen corda unire animosque copulare poterit». Et cetera (A.A.S., 1931, pag. 223).

Ad dignitatem laboris quod attinet — de qua in n. 17, pag. 23 — eam profecto Ecclesia celebrat simulque tamen non tacens eumdem laborem tandem aliquando esse poenam (cf. Enc. *Rerum novarum*: «L'uomo nello stato d'innocenza non sarebbe rimasto inoperoso; senonché, quello che allora a ricreazione dell'animo avrebbe liberamente fatto la volontà, lo impose poi ad espiazione del peccato, non senza fatica e molestia, la necessità, secondo quell'oracolo divino: 'sia maledetta la terra nel tuo lavoro; tu mangerai di essa in fatica tutti i giorni della tua vita'. Similmente il dolore non mancherà mai sulla terra ecc.».

Haec sunt bene animadvertenda ne nos quoque sensim sine sensu dilabamur in immodicas exaltationes laboris, quasi sit, ad materialistarum mentem, supremus humanae vitae valor.

In n. 8 — de libertate exercenda — quaedam videntur minus recte sonare, saltem si extra contextum citentur, quasi institutiones sociales ad hoc solummodo tendant ut exercitium libertatis tueantur, dum alia etiam iura et officia prosequi et inter se conciliare debeant.

De dignitate agriculturae, allatae citationes Sacrae Scripturae minus pertinentes videntur (n. 26, pag. 38).

12 – Em.mus LEO IOSEPH Card. SUENENS

Placet iuxta modum: quoad cap. 2, sub n. 14, passus 31-37 videtur carere vigore et obligationem in communicandis bonis quae in Encyclica «Mater et Magistra» luculenter exponitur, nimis edulcorare.

13 – Beat.mus IGNATIUS GABRIEL Patr. TAPPOUNI

Placet.

II

OBSERVATIONES

a Patribus factae quoad schema constitutionis doctrinalis

DE COMMUNITATE GENTIUM

1 – Em.mus MICHAEL Card. BROWNE

Placet iuxta modum: secundum ea quae exposui in foliis manu scriptis adiunctis.

Istud Schema, in sua substantia, valde bonum invenio, et dignum ut, quibusdam reconsideratis, Concilio Oecumenico praesentetur. Materia Schematis, ut patet, summi est momenti. Ea quae sequuntur humillime adnoto:

1. Confiteor me parum clarum invenisse art. 2 [Cap. 1], p. 4. Esset, puto, revidendus.

2. Suggererem ut in cap. 2, art. 5 [p. 6, lin. 15] omittantur verba *inhibere iniustam aggressionem*, et, loco eorum, ut in lin. 14 praecedenti dicatur: « ... efficaciter promovere *ac tueri* pacem... ».

3. Suggererem ut in eodem cap. 2, art. 6, [lin. 24] mutentur verba *cum debita coordinatione dirigat* in verba *debite coordinet*.

4. Suggererem ut in eodem cap. 2, art. 7 [p. 6, linn. 27-29] dicatur: « Singulae Civitates aequis iuribus et officiis, *omni iusta proportione servata*, ex iure naturae fruentes... ».

5. In p. 7, linn. 4-10 sensus non est perfecte clarus. Videtur aliquod verbum deficere. Item in l. 8 forte melius esset, loco *consortium divitiarum*, dicere *consortium oeconomiae bonorum*.

6. In eadem p. 6, art. 8 cum omni bona intentione plura dicuntur quam oportet. Ita v.g. in lin. 18 modus loquendi daret, hominibus in communi, sensum omnes religiones aequalibus iuribus gaudere, quod non est verum, ne quidem quoad religiones pure naturales. Item, in lin. 26, ius *libere* colendi Deum ponitur ut naturale et inalienabile, nulla facta distinctione quoad modum libere exercendi hunc cultum.

Melius diceretur simpliciter *ius colendi Deum*. Item, in lin. 26, noto ius *mutandi sedem* non esse ius absolutum sed conditionatum. Item, in lin. 31, noto ius *libere* educandi filios limitationibus et conditionibus subiici. Puto, in fine, hunc art. 8 revidendum esse. Secus difficile esset illum Concilio pro sua approbatione subiicere.

7. In p. 14, lin. 26 [cap. 2, art. 11] post vocem *Civitatibus* suggererem ut inseratur phrasis *a iure internationali rite agnitis*.

8. In p. 15, lin. 4 [cap. 2, art. 11] omitti possent, puto, voces *nimis habitatis*.

9. In p. 15, lin. 14 [cap. 3, art. 12] suggererem ut loco *propriam religionem* dicatur *proprios mores homine dignos*, ut evitentur spinosae quaestiones de iuribus religionum falsarum.

10. In p. 21-22, linn. 24-10 [cap. 4, art. 16] voces *imperialismi, razismi, totalitarismi*, minus bene sonarent in documento conciliari. Possunt aliis vocibus substitui vel, forte, omitti.

11. In p. 25, lin. 9 [cap. 5, art. 18] puto quod omitti possent verba *si necesse est, etiam vi*.

12. In p. 26, linn. 4-10 [cap. 5, art. 21] tangitur quaestio gravissima de usu armorum novissimorum. Absolute loquendo, existimo ea quae hic dicuntur esse vera. Sed, in circumstantiis in quibus sumus, an conveniat ut Concilium ita loquatur? Verba Pii XII, ad quae referentia fit, minus explicita sunt ac illa hic proposita. De opportunitate nostri articuli voluissem, si possibile fuisset, audire opinionem ipsius Commissionis Centralis. Effectus approbationis huius partis articuli quantum ad Sovieticos fere nullus esse posset. Puto quoque Gubernia Occidentalia vix hanc doctrinam acceptura esse. Sed ob talem ex parte Ecclesiae declarationem fortiores fierent illi qui in variis regionibus Occidentis se, in hac materia, Guberniis opponunt. Nec excludendum esset Sovieticos, hac declaratione fretos, machinaturos esse in regionibus Occidentis ad po-

pulum dividendum et ad Gubernia molestanda. Res gravis mihi videtur esse, et puto quod adhuc considerari deberet.

13. Art. 23 huius cap. 5 [p. 26] magni quoque momenti est. Suggererem humillime ut in linn. 26-27 dicatur: «Quapropter *respectu* Communitatis Internationalis...» potius quam: «Quapropter *in* Communitate Internationali...».

2 – Em.mus CAROLUS Card. CONFALONIERI

Placet iuxta modum, scilicet: cap. I, n. 1, lin. 25: opportunum videtur memorare quod Christus Dominus etiam «iudex omnium est constitutus», cf. Evangelia.

Cap. II, n. 4, lin. 5: adverbia «efficaciter et sufficienter» omittantur, utpote non necessaria, et fortasse incommoda si attendatur ad iuvamina propria Ecclesiae circa bonum etiam commune humanae familiae.

Cap. II, n. 5, lin. 17: adiungatur «et, sua ex parte, religiosa», ad praecavenda mala indifferentismi et agnosticismi sive theorici sive practici a parte cuiuscumque humanae societatis.

Cap. IV, n. 17: (in Notis hoc respicientibus recolantur Litterae Encyclicae Pii XI «Nova impendet», sul disagio economico e il pericolo del militarismo).

Cap. V (vel alibi). Quaedam dicantur quoad: «la conquista degli spazi siderali, come omaggio al Creatore, anche come utile presa di posizione per i problemi che ne potranno scaturire»: bonum enim est ut Ecclesia hic etiam sit praesens.

Adnotandum generice pro omnibus Schematibus: cursus et rytmus linguae latinae revisioni subiciantur, ut sermo faciliter et suavior evadat: saepe enim quandam barbaritatem sapit.

Idem dicatur de «interpunctionibus».

3 – Em.mus IACOBUS ALOISIUS Card. COPELLO

Placet iuxta modum: Quae multa in Schemate ad me misso egregia sunt, ea laudanda censeo, dummodo materia contrahatur.

4 – Em.mus IACOBUS Card. de BARROS CÂMARA

Placet.

5 – Em.mus IOSEPH Card. FERRETTO

Placet: perpauca adnotare vellem: c. I, 1, lineis 8-9 ex Genesi l, 26-27: idem refertur in Schemate De ordine sociali c. I, 1, lin. 2; et c. II, 16, lin. 27.

Eodem cap. I, lineis 20 et sequentibus «cuius opibus naturali iure omnes frui possunt»: nescio utrum melius hoc adserere in forma *directa*, quo in casu haec verba transferenda ad schema De ordine sociali, cap. 2, 11, ubi agitur de dominio universali humano.

Sed si minime hoc placet, dicerem: «...nempe orbem, *unum ob* opes naturales quibus etc...».

Cap. 3, 13 pag. 15, lineis 35 ss.: nescio utrum haec verba S. Paulus dixerit de «corpore sociali».

6 – Em.mus Ioseph Card. Frings

Non placet. In hoc Schemate evitentur ea, quae nimis se ingerunt in quaestiones diei (v. gr. cap. 2, nn. 4-7; cap. 4, n. 17; cap. 5, n. 21), quia non est Concilii Oecumenici solvere tales quaestiones.

Si sermo fit de «iuribus hominum», ne simpliciter iuxtaponantur ea, quae dicit Ecclesia, iis, quae inde a revolutione gallica hac de re dixerunt variae institutiones humanae, ne Ecclesia videatur tantum ea repetere, quae alii iam dixerunt.

Immo res ita describatur, ut appareat «iura» quae dicuntur «hominum» ex ideis christianis, et quidem ex revelatione de Deo creante, qui hominem fecit ad imaginem suam, et de Deo Salvatore, qui omnes homines vult salvos fieri et confirmari imagini filii sui unigeniti, effloruisse. Ideo proponitur hoc Schema retractandum esse et ad haec duo puncta ordinandum et restringendum:

1. Ecclesia adiuvat omnes, qui revera iura hominum tutati sunt vel hodie tuentur (cf. cap. 2, n. 8 et cap. 3, n. 11), in quantum ea, quae proponuntur, correspondent imagini hominis a Deo creati et salvati (cf. cap. 1, n. 1); praesertim Ecclesia adiuvat omnes, qui operam dant communitati iuridicae gentium fundandae et confirmandae sine differentia linguarum, nationum, stirpium, religionum.

2. Ecclesia Christi Iesu regis pacifici, quae ipsa bella non gerit, adiuvat omnes, qui bella evitare volunt, et omnino reiicit bellum aggressivum. Pro casu, quod bellum evitari non potest, postulat «modum humanum» belli gerendi, id est, ut restringantur quam possibile bellum eiusque crudelitates ad eos, qui actu armis pugnant, ut excludantur omnia arma, quorum effectus incalculabiles sunt et quae ipsam speciem humanam irreparabiliter laedunt, ut iura hominum observentur erga captivos belli et victos.

Ad singula: In *cap. 1, n. 1*, evitentur locutiones, quibus nimis arcte monogenismus statuatur, dicendo, v. gr.: «... Creator omnium, ut inceptum opus consummaret hominem ad imaginem suam formavit [*Gen.* 1, 26-27], quae imago Dei a primo homine in totum genus humanum transmissa est [*Gen.* 5, 1-3]. Quapropter humanum genus...».

In *Cap. 4, n. 15*, expungatur definitio amoris erga propriam gentem, quia expressiones hic adhibitae nimis sapiunt modum, qui in scholis adhiberi solet. Talia non tantum hic sed *passim* in toto Schemate inveniuntur.

In *cap. 5. n. 19*, nimis arcte et per modum aequivocationis miscentur pax divina, quam attulit Christus Dominus, cum pace terrestri, quam gentes inter se habent vel non habent.

Ad *cap. 5, n. 21*: Restat summa difficultas, quid sit faciendum, si una gens, v. gr. communistice gubernata, habet arma nuclearia terribilia; licetne aliis nationibus ex iure defensionis eadem arma praeparare ad absterrendum et in casu ultimae necessitatis iis uti? Pius Papa XII fere semper iniunxit loquens de pace et bello «salvo iure defensionis». Locus citatus p. 27, inquantum scio, est unicus, in quo hoc omisit.

7 – Em.mus VILLELMUS T. Card. HEARD

Placet. Tantummodo noto in pag. 26, lin. 30, verba «tam arduum» nulli videntur referri subiecto.

8 – Em.mus ANDREAS Card. JULLIEN

Placet iuxta modum, videlicet: cap. I, n. 1, pag. 3, linn. 9-13: «ac praeterea — disseminati». Hisce verbis solvitur quaestio de Monogenismo. Quae quaestio, momenti quidem maximi, ne nova suscitetur difficultas galileana, sane in alio schemate discutietur.

Heic vero optarem ut omitterentur verba illa: *ac praeterea — disseminati.* Ita viteretur salebrosa illa quaestio, quin ullum detrimentum capiatur in doctrina exponenda, attentis verbis sequentibus *Quapropter etc.*

Cap. II, n. 8, pag. 7, lin. 27-33. Optarem ut sive nova verborum forma, sive solummodo per adiuncta duo puncta post *legitime* (:) aperte videatur, quod adverbium illud *legitime* regat exercitium cunctorum iurium, quae heic enumerantur, et in specie ius emigrandi et immigrandi (lin. 30) quemadmodum legitur pag. 15, lin. 15: «ut *legitime* emigrandi». Illud enim adverbium legitime praecavet multis erroribus necnon *utopiis.*

Cap. V, n. 21, pag. 26, lin. 4-10: «Usus armorum (atomicorum) ...moraliter cohonestari nequit». Absoluta huiusmodi prohibitio in se continet maximum periculum, ne penitus exterminentur boni, qui eiusmodi armis non paratis, facillime subicientur iis quae subdole parata sint a malis, contra falso iuratam pacem.

Imprudens, ita dicam, eiusmodi prohibitio non respondet prudentissimis consiliis a Pio XII non una vice datis, ut constat inter cetera ex ipsis textibus in hoc schemate rescriptis.

Cf. nota 6, pag. 23 infra usque pag. 24, lin. 2: «Lo squilibrio tra un esagerato armamento degli Stati potenti ed il deficiente armamento dei deboli crea un pericolo per la conservazione della tranquillità e della pace dei popoli»; pag. 27, nota 3, de conditionibus requisitis ut arma atomica parentur: «...necessité absolue de se défendre contre une iniustice très grave atteignant la communauté, lorsqu'on ne peut l'empêcher par d'autres moiens et qu'il faut le faire cependant sans peine d'accorder libre champ... à la violence brutale...».

Ad evitandum periurium ex parte malorum, requiritur ut «libenter sese subiciant inspectioni armorum unilaterali» (In hoc schemate cap. IV, n. 17, pag. 21, lin. 27 s.).

Et plane consonat atque satis est quin addantur lineae istae 4-10, p. 26 n. 20, eiusdem cap. 5, p. 25.

Si vis pacem para bellum, vim vi repellere necesse est.

9 – Em.mus PAULUS AEMILIUS Card. LÉGER

Non placet: pro rationibus in foliis expositis.

Votum meum est ut praesens schema profunde *recognoscatur.* Rationes voti mei sunt ut sequitur:

1. Maius vitium schematis, mea opinione, est quod schema sese semper ponit in «ordine condito»: solummodo considerat res sicuti nunc sunt in relationibus interna-

tionalibus. His in perspectivis, salvare conatur quod salvari potest in actuali conditione rerum sed nimis agnoscit ut quasi fatales necessitates existentiam belli, arma atomica, superlationem iurium quarumdam societatum civilium, etc... Timide tantum et sine vigore proponit profundam modificationem ordinis internationalis.

Mihi, e contrario, videtur quod multum proficeret Concilio si potius consideraret ordinem condendum, 1° ex exigentiis *naturae* humanae, 2° ex realisationibus iam obtentis ab *industria* humana. Tunc proponeretur ordo idealis attingendus, quo humanitati indicaretur modus exsurgendi e sua trita via et solvendi querelas actuales.

Propono ut Codex Moralis Internationalis (Code de Morale internationale, Malines, 1937, 1947) exemplum sit pro redactione schematis praesentis: ibi enim tractatur de societate internationali sicuti existit et postea habetur capitulum cuius titulum est «La société internationale organisée selon les requêtes du droit naturel et de l'ordre chrétien».

2. Schema est repetitio saepe attenuata et diminuta documentorum pontificalium, maxime illorum Pii XII. Ad quid valet talis repetitio quae vigore caret quaeque de problematibus in eorum ultima situatione non tractat.

Notabo etiam quod saepe, in toto textu, non utuntur termini proprii vel utuntur pluria verba ad eamdem realitatem designandam. Sic videtur quod indifferenter dicitur «Communitas Gentium» vel «Communitas internationalis» vel «Communitas Civitatum». Habetur eadem confusio in utendis verbis «Civitas», «Respublica» et «Status». Textus caret praecisione scientifica in vocabulario. Sed habetur vocabularium hodie acceptatum in hac materia. Distinguendum est inter *communitatem* et *societatem*: sese magis constituendo, communitas internationalis fit vera societas. Tria, mea opinione, sunt distinguenda, quae in schemate confunduntur:

1) *communitas humana*, universalis quae omnes homines congregat;

2) *communitas internationalis* quae omnes nationes conglobat;

3) *societas intra-statalis* vel *supra-statalis* quae magis magisque constituitur. Credo etiam quod derelinquenda est expressio «civitas» (quae ab Aristotele venit) pro verbis hodiernis «status», «natio», «societas civilis».

QUOAD CAPUT I

Paragraphus I. In textu, fraternitas universalis *relate ad Patrem* unicum dicitur fundamentum morale communitatis internationalis populorum. Hoc est fundamentum theologicum, scriptuarium, quod tamen ratio humana probare nequit: est ideo perspectiva quae assumi potest a Concilio, sed quae remanet incompleta. Bene notandum est, quod materia de qua agitur est communitas humana ordinanda et in qua distinctio fieri debet inter spirituale et temporale, inter Deum et Caesarem. Communitas humana ordinanda fundari debet in iure naturali, in natura humana: hoc est verum etiam pro christianis et hoc solum audiri et intelligi et accipi potest a non-christianis. Credo quod loqui debet textus de *bono communi* humano *universali*. Societas internationalis, cum constituitur, induitur aspectum politicum: est societas politica cuius finis est bonum commune internationale; attamen fraternitas universalis in Patre finis est qui Ecclesiam respicit. Societas universalis homines componit non ut fratres eiusdem Patris sed ut participantes ad eiusdem bonum commune universale quod ipsa eorum natura postulat. Ex sola ratione humana, homo loqui potest de fraternitate ex consanguinitate uni-

versali vel de communi conditione creaturarum relate ad unicum Deum; tamen, solummodo ex fide loqui potest de fraternitate relate ad Patrem per Iesum Christum.

Tollendum est motivum datum, linea 2-3. Semper vera et dicenda est doctrina de communitate gentium.

Credo quod in eadem paragrapho praeliminari loquendum est etiam de *diversitate* populorum quorum desideratur *unitas* organica.

Paragraphus II. Ordo politicus non solummodo fovendus est « propter variarum conditionum vicissitudines », sed etiam, et quidem positive, ad fovendum progressum oeconomicum, sociale, culturale, morale omnium populorum; ad mutationes variorum bonorum fovendas; ad collaborationem uniuscuiusque populi ad bonum commune totius humanitatis.

Paragraphus III. Loquitur de duplici ordine: nempe ordo internus Statuum et ordo *externus* internationalis. Sed, ut legitime desideratur et in facto constituitur, habetur etiam *ordo internus internationalis*: nempe ordo politicus societatis supra-nationalis, cuius structura vindicatur in paragrapho 4.

Linea 23, loco « *attributione* iurium », dicatur « *recognitione* iurium *et officium* ». Idem, lineis 24-25.

Quoad Caput II

Iterum, habetur hic, in titulis et in textu, vocabularium incertum. Quando refertur ad ordinem politicum (i.e. organisatum, structuratum, auctoritatem habens), melius est loqui de *societate* quam de *communitate*. Et haec societas dicatur *supranationalis* potiusquam internationalis.

Paragraphus V. In titulo non dicatur « de *natura* structurae » de qua in paragr. non agitur, sed « de *efficacitate* structurae ».

Paragraphus VI. Linea 20, textus loquitur de humana « *societate* ». Cur, lineis 21-22 et in titulo non etiam loquitur de *societate* internationali?

Problema ponendum est de illa paragrapho. Utrum haec auctoritas supranationalis exerceri debet solummodo erga Status vel etiam erga personas? Nil dicitur in textu. Sed haec est actualiter magna quaestio in iure internationali et mihi videtur quod opportunum esset pro Ecclesia et pro humanitate si Concilium iter praeriperet, declarando, in favore personae humanae, quod est subiectum societatis internationalis.

Paragraphus VII. Dicitur in textu: « Singulae Civitates, aequis iuribus et officiis ex iure naturae fruentes... ». Utrum talis affirmatio est certa? Utrum certum est quod Status cuius populatio est 500.000 hominum eadem officia et iura habet ac Status 600.000.000 hominum? Hoc mihi videtur pura opinio cuius proclamatio esset imprudens. Videtur quod illa opinio iudicare vult situationem privilegiatam « Quinque Maiorum », quodque suscitaret multas acerbas discussiones. Opportunius et verius diceretur quod omnes Status fruuntur aequis iuribus fundamentalibus (v.g. aliqua autonomia, securitate, iure ad existentiam).

Textus in suis 5 primis lineis favere videtur thesi quod existentia societatis internationalis *ex contractu* provenit: fundatur in effato: « pacta sunt servanda ». Hoc est « *voluntarismus* socialis »: societas internationalis fundatur in bona voluntate Statuum. Vera doctrina potius est quod Status et Nationes ligantur et obligantur a bono communi internationali, a bono humanitatis tutando et promovendo. Non est quaestio merae bo-

nae voluntatis, alicuius contractus accipiendi vel reiiciendi, sed potius est quaestio obligationis socialis erga hominem et bonum eius universale.

Pagina 7, linea 8, loco «consortii divitiarum», agitur potius de «distributione ad aequitatem divitiarum».

Paragraphus VIII. Tres primae lineae huius paragraphi in discrimen committunt auctoritatem Societatis internationalis. Significatio expressionis «ordo internus Civitatum» non est satis clara. Utrum enim structura Societatis internationalis sese adaptare debet ad aliquam normam communem inventam intra vel apud Status vel, e contra, formulare ex seipsa suas proprias exigentias et requirere a Statibus ut eisdem sese conforment? Ibi ponitur quaestio fundamentalis: utrum Societas supranationalis habet auctoritatem super individuos, super personas aut potius eos attingere debet per Status?

Iura personae humanae hic enumerata declaranda sunt etiam in schemate «De Ordine Sociali» ubi aliquid dici deberet de obligationibus personae humanae.

Dubium habetur de iure «libere commeandi mutandique sedem» ut ius «naturale et inviolabile». Forsan ius laborandi hic declarari posset.

Caput III

Paragraphus IX. Iterum, sicut antea, habetur ambiguitas in utendo verbum «Civitates». Nunc, in praesente paragrapho, «civitates» considerantur ut institutio quae non esset opus hominis sed potius immediate emanaret ex natura, cum iuribus et officiis, quaeque vocaretur ad semper existendam. Bene distinguendum est inter *societatem politicam* quae est opus hominis et naturae, quae permanens est, et *Statum* qui una ex formis est quam habet societas politica a tribus vel quatuor saeculis. Nemo dicere potest quod *Status* vel *Civitas*, in se, semper perdurare debet vel habet iura aeterna.

Paragraphus X. Idea hic expressa est vera et opportune dicenda. Sed non probatur cur «la souveraineté» est inadmissibilis: nec in praesente paragrapho nec in praeteritis paragraphis quae potius ad aliam conclusionem ducere possent. Facile esset demonstrare in textu quod totum bonum commune hominis non includitur in nostris statibus actualibus quodque necessaria est societas supranationalis ad illud bonum commune complendum.

Paragraphus XI. Textus declarationes facit de quaestionibus valde disputatis quin termini sint clare definiti. Quid sit «civitas»? Estne Status actualis? Responsum maxime importat ob iura et officia de quibus agitur. Mea opinione, non Status uti talis sed populus vel natio et, in summa, homines habent ius ad vitam et autonomiam. (Verbum «*autonomia*» opportune substitueretur in textu, verbo «independentia»). Et ius «*ad integritatem*» quod affirmatur in textu (linea 28) contradicit saepe «ius *ad independentiam*» (linea 25). Etenim sunt confoederationes (v.g. Canada) ubi ius ad independentiam alicuius Status particularis fieret violatio iuris magni Status in quo confoederatur.

Pagina 15, linea 1, dicatur: «ius habendi, *secundum aequitatem*, partem bonorum...».

Paragraphus XII. Dicatur positive quod negative habetur in linea 13: «non laedantur».

Paragraphus XIII. Sicut fit in *Mater et Magistra*, dicatur *mens* illius auxilii: non ex paternalismo sed gratuite, etc... Item proponantur *media concreta.*

Quando particulariter loquitur christifidelibus, tunc est locus ubi opportune evocantur motiva proprie supernaturalia v. g. fraternitas omnium relate ad Patrem in Filio.

CAPUT IV

Paragraphus XIV. Quod hic dicitur verum est. Tamen nimis dirigitur ad solum ordinem actualem; qui ordo reponitur solummodo super contractus libere acceptatos neque satis refert ad obligationem constituendi ordinem internationalem iustum et ad bonum hominis directum.

Linea 7, verba « suprema potestas » sapiunt « sovranità ».

Paragraphus XV. Non perfecte convenit haec paragraphus. Legitimum enim est, pro aliqua collectivitate nationali, novum Statum autonomum efformare. Hoc est positive dicendum in ipsa illa paragrapho. Principium hic repulsum « de nationalitatibus » non satis clarum est et timendum est ne praesens textus non intelligatur a novis Statibus (v. g. in Afris) conditis vel condendis.

Linea 18, loco verborum « ius plenum », potius dicatur « ius inconditionatum ».

Paragraphus XVI. Linea 28, dicatur: politicam, *socialem* et oeconomicam...

Paragraphus XVII. Materia de qua hic agitur est maximi momenti. Timendum est tamen ne, sicuti scriptum est, problemata magis suscitat quam solvet. Mihi videtur melius proponere cum vigore et suscitare realem et firmam auctoritatem Societatis supranationalis in hac materia, quam remedia precaria proponere, sicuti instabilis situatio actualis esset immutabilis. Non pertinet ad Concilium illam particularem solutionem linearum 27-28 proponere, quando omnes sciunt quod illa solutio proponitur ab uno campo. Verbum « fautores », linea 21, non placet et nescitur de quibus agitur. Praeterea agi deberet etiam de armis bacteriologicis, de radiis mortiferentibus, armis chimicis et non solummodo de armis atomicis.

Paragraphus XX. Non sufficit talis attitudo quasi fatalis. Incitentur Status ad aliquas competentias relinquendas Societati internationali: sunt enim aliquae responsabilitates quae ad bona referunt quorum competentia superat Status particulares.

Paragraphus XXI. Dici potest plus et melius. In textu enim ponuntur conditiones pro bello quod consequenter implicite admittitur, cum illa sola restrictione de non utendis armis « quorum effectus omnino incalculabiles sunt ». Haec est attitudo vere angusta pro Concilio. Talis doctrina forsan concipi poterat quando, in praeterito, agebatur de bellis inter duos Status; sed nunc omnia bella saltem indirecte, ob omnes implicationes politicas, fiunt mundialia. Textus Pii XII, citatus in notula 2 ipsius paragraphi, multo magis valet.

Paragraphus XXIII. linea 27-28 loco « excellentiorem locum », propono « *suum* locum » vel melius « *possibilitatem habere debet suum munus morale exercendi* ». Timeo enim ne male interpretatur expressio quae habetur in textu.

10 – EM.MUS ACHILLES CARD. LIÉNART

Placet.

11 – Em.mus CLEMENS Card. MICARA

Placet iuxta modum. Expedit fortasse ut schema ad principiorum quorumdam affirmationem limitetur, ceteris omissis.

Cum, verbigratia, de armorum deminutione interdictioneque agitur, minus congruere videtur ut Decretum Concilii ad talia descendat ut etiam armorum inspectionem internationalem memoret (n. 17, pag. 21, in fine).

12 – Em.mus LEO IOSEPH Card. SUENENS

Placet iuxta modum. Quoad caput 1: omittatur sub n. 1 «ob graves scissiones in mundo exsistentes» cum principia videntur ex eo fundari in rationem accidentalem.

Quoad caput 4: mutetur in fine n. 17: «Libenter quoque sese subiiciant inspectioni armorum internationali»: «Adlaborent ad statuendum modum magis aptum inspectionis perficiendae et huic inspectioni sese subiiciant».

13 – Beat.mus IGNATIUS GABRIEL Patr. TAPPOUNI

Placet.

4

RESPONSIO

subcommissionis theologicae revisoriae
ad observationes a Patribus factas quoad schema constitutionis doctrinalis

DE ORDINE SOCIALI*

Ad observationes generales

1. Dum Em.mi Cardd. Micara et Copello libenter viderent abbreviationem et contractionem, Em.mus Card. Léger plura habet addenda. Videtur Commissio Socialis viam iniisse mediam. Contractio autem secum ferret terminologiam scholae, et omittere plura pastoralia, quod certe non placebit.

2. Em.mus Card. Frings laudat quidem multa bona et utilia quae sunt in Schemate, sed dicit maiorem partem iam contineri in Encyclicis recentiorum Pontificum: ideoque schema non placere. Respondendum videtur:

a) Multos Episcopos et etiam S. Pontificem desiderare Constitutionem socialem. Esset iniuria in iis non haurire ex fontibus papalibus supremi ponderis.

b) Decreto Conciliari ea quae dixerunt Pontifices accipiunt maiorem auctoritatem doctrinalem.

c) Multa quae in Encyclicis sparsim inveniuntur nunc in unum collecta habentur et generatim modo magis nervoso.

3. Idem Em.mus putat in Schemate unice procedi debere ex S. Scriptura in luce patristica. Quod difficulter admittitur. Deus voluntatem suam non tantum directe manifestat per Sacras Litteras, sed etiam per ipsam rationem humanam, considerantem naturam humanam a Deo conditam. Ultimum autem imprimis accidit in re morali et sociali. Et non minus explicatio legis naturalis, quae est quaedam philosophia, subest magisterio Ecclesiae, quam verbum Dei scriptum.

4. Quod ad observationes Em.mi Card. Léger attinet, gratias agit Subcommissio de multis bonis suggestionibus. Ex altera parte tamen prae oculis habendum est scribendum fuisse decretum doctrinale religiosum, non codicem socialem. Nec iure fit comparatio cum Encyclicis. Dum in Encyclicis, ut v.g. *Mater et Magistra*, considerantur situationes actuales et de iis dicitur mens Ecclesiae, Constitutio doctrinalis, licet causata factis actualibus, debet esse in sua doctrina super tempora et loca, ita ut etiam valeat

* Cf. pp. 560-570.

anno 2500. Accedit quod multis desideratis Em.mi providetur in Constitutione *de laicis*.

5. Nullo modo Subcommissio admittere potest veluti principium intangibile semper incipiendum esse a positivis. Nam negativa natura sua sunt magis clara quam positiva et multo facilius circumscribenda, maxime in re morali. Exemplum dedit ipse Deus in Decalogo.

6. Em.mus Card. Browne saepius rogat, num talia vel talia sint materia declarationis Conciliaris. Respondendum videtur (cf. additionem ad n. 2) ordinem socialem non tantum sub respectu morali subiicere auctoritati Ecclesiae, sed etiam quatenus connectitur cum sollicitudine pastorali. Fuga v.g. ex agris ad urbes magnas, per se est res socialis in se indifferens; sed quis negabit tali fuga affici bonum Ecclesiae?

Ad observationes particulares

Ad cap. 1: *De fundamento et principiis*

Notetur etiam Card. Coloniensem velle ut hoc caput retineatur.

Ad num. 1

Non obstante observatione Em.mi Card. Micara, non videtur, quomodo de persona humana ut principio ordinis socialis fortius dici possit.

Ad observationes autem Card. Léger notetur de charactere sociali personae humanae longius dici in numero 4, lineis 31-38.

Ad num. 2

Ut occurratur desiderio Em.mi Card. Micara, Subcommissio proponit ut lin. 19 post vocem *ordinis* addatur: « qui est ordo iustitiae et caritatis ».

Ut satisfiat voto Em.mi Card. Léger de limitatione auctoritatis ecclesiasticae et de exprimenda sollicitudine Ecclesiae addatur lin. 26: et quatenus intime conectitur cum animorum salute, maternae eius sollicitudini pastorali.[1]

Ad num. 3

Non expedit, ut ad mentem Em.mi Card. Léger lin. 31 scribatur: *fundamentaliter aequales*. Esset tautologia, quia iam in textu illa aequalitas limitatur lin. 28-30 ob duplicem titulum.

Pag. 4, lin. 8, ob rationem datam ab Em.mo Card. Browne, tollantur verba *nec abalienari nec*, et loco *violari* legatur ad placita Em.mi Card. Léger: etiam a societate civili nullo modo violari possunt, imo ab eadem sunt agnoscenda et protegenda.

Ad num. 4

Non est, cur non incipiatur a consideratione negativa.

Non videtur expedire, ut desiderat Em.mus Card. Browne, tollere lin. 34-35 verba: « et eatenus... conferunt »: sunt enim ratio profundior, cur persona humana naturaliter sit indolis socialis, de qua re Em.mus Card. Léger voluit ut diceretur.

Ad num. 5

Lin. 3 legatur, hortante Em.mo Card. Léger, loco *communitas politica* rectius *societas politica*.

Ad num. 6

Claritatis causa placuit incipere a consideratione negativa. Quia vero Em.mus Card. Browne vituperat obscuritatem, lin. 15 legatur: *Nam constat bonum commune*, et lin. 18: *quippe quia per ista elementa ponuntur ordinis externi conditiones*.

Secundum suggestionem Em.mi Card. Léger legatur lin. 16-17: ad integram personae humanae perfectionem secundum rectam valorum hierarchiam et temporum adiuncta, et possibilem reddendam et...

Enumerare autem varia elementa non videtur expedire: dependent nimis a contingentibus.

Ad num. 7

Ut tollatur difficultas (si est difficultas) quam fecit Em.mus Card. Léger de sodalitiis sportivis et mere scientificis, legatur in titulo: *De auctoritate civili* et in textu lin. 23: « peculiari modo requiritur auctoritas civilis ».

Secundum desiderium Em.mi Card. Frings addatur ad *Rom.* 13 etiam *Tit.* 3, 1 et *I Pt.* 2, 15-17.

Non videntur tollenda, ut proponit Em.mus Card. Browne, lin. 30-33 verba: *Accedit... participatio.* Ad ea provocare potest subditus, si superior transcendit suam competentiam, sed non minus superior iubens intra limites suae competentiae: et statuitur veritas.

Ea autem quae dicuntur lin. 30-38 sunt maxime positiva, nec videtur ratio ut modus loquendi mutetur.

Ad num. 8

Ad observationem Em.mi Card. Léger dicendum est quod, ex antiquo usu, voce *Institutiones* intelliguntur etiam « leges, consuetudines, mores ». Non igitur est cur fit additio.

Ob difficultatem Em.morum Cardd. Micara et Browne, qui recte iudicant nimis asseri, et Em.mi Card. Léger, qui desiderat ut etiam dicatur de responsabilitate, Subcommissio proponit legendum in initio numeri: Institutiones sociales ita conformandae sunt, ut in ipsis *rectum* exercitium libertatis agnoscatur et servetur, *sensusque responsabilitatis* promoveatur.

Ad num. 9

Non videtur expedire ut lin. 10 addatur ad voces: *positivus ordo iuris* determinatio: « a iure naturali inspiratus ». Implicite sed clare hoc dicitur in textu.

Ad mentem Em.mi Card. Jullien Subcommissio proponit cum parva modificatione legere lin. 10-11: secundum temporum conditiones positivus iuris ordo requiritur, *legislativa, iudiciaria* et etiam potestate coercitiva praeditus.

Ut satisfiat eidem Em.mo et collegae Card. Léger legatur lin. 12-13 cum additione: ut *omnes, maxime legislatores* et iudices, omnino *sine personarum acceptione...*

Ad num. 10

Num. 10 omnino correspondet doctrinae Pii XI in Encycl. *Quadragesimo anno*, quae doctrina commendatur ab hodierno Pontifice in Encycl. *Mater et Magistra*. Nil videtur mutandum, nisi quod cum Em.mo Card. Léger loco *fixum immotumque manere* legatur: «firmiter teneri».

Pag. 11, in nota 11, fiat additio et citetur Encycl. *Mater et Magistra*, quae confirmat doctrinam praedecessoris Pii XI.

Ad cap. 2

Etiam Em.mus Card. Frings desiderat, ut hoc caput retineatur. Ad votum eiusdem proponit Subcommissio radicalem reformationem inde a numero altero.

Ad num. 11

Ad tollendam difficultatem Em.mi Card. Léger de carentia logicae, legatur in titulo: de dominio universali humano, et lin. 7-8 loco omnibus hominibus scribatur: «generi humano».

Ad num. 12-14 [nova red. 12-15]

Ut tota doctrina clarius proponatur, Subcommissio proponit has reformationes:

a) Initio clare dicatur ex fontibus revelatis aperte constare de *bonitate* et *liceitate* possessionis privatae.

b) Deinde agatur de eius necessitate, prout apparet ex natura individui, familiae, societatis.

c) Hisce expletis dicatur de diffundenda proprietate privata.

d) Ea quae habentur pag. 12, lin. 27-29, transferantur ad postea dicenda de indole sociali proprietatis privatae. Ea vero quae ad mentem Angelici II-II, q. 66, a. 2, dicuntur pag. 13, lin. 24-30, potius addenda sunt numero, in quo agitur de indole personali.

e) Ea quae dicuntur pag. 13, lin. 31-37, severius redigantur.

Quae omnia clarius apparebunt ex ipso textu secundum praedicta reformato:

12. [*De proprietate privata*]. Huic dominio universali humanitatis innititur ius proprietatis privatae. Quod ius ab ipso Deo defensum videmus lege quam scripsit cum in cordibus hominum, tum in lapideis tabulis, et qua clare separatur alienum a proprio, verbis: «Non furtum facies» et: «Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis... omnia quae illius sunt» [*Ex.* 20, 15 et 17]. Quare idem ius continuo agnitum cernimus in Antiquo et Novo Foedere;[4] Ecclesia vero damnavit ac damnat quamlibet doctrinam, qua asseritur ius proprietatis privatae non esse bonum et licitum. Insuper autem docet eamdem proprietatem omnino requiri ad bonum individui et familiae, immo et ipsius societatis civilis.

13. [*De proprietate privata*]. Homo enim cum actionum suarum sit ipse dominus, et seipsum gubernet providentia consilii sui, idcirco in sua potestate habet res eligere quas ad consulendum sibi, non modo in praesens, sed etiam in reliquum tempus, maxime iudicaverit esse idoneas.[5] Quod demonstrat homini ius competere proprietatis privatae, dominium scilicet exclusivum et permanens in bona temporalia, non consump-

tionis tantum, sed et productionis.[6] Necessitatibus quoque hominum, pro eorum statu et conditione, facilius, melius et abundantius subvenitur, cum ex divisione bonorum unicuique fas est proprium laboris campum modumque determinare, et de fructu operosae activitatis recte pro suo prudenti iudicio disponere.[7] Ius insuper illud ita cum humanae personae dignitate conectitur, ut eius necessariam libertatem protegat, ad propriam perfectionem attingendam, ad officia erga Creatorem propria responsabilitate adimplenda, ad finem religiosum et moralem a Deo sibi impositum prosequendum, ad familiam secure condendam eidemque debite providendum.[8]

14. [*De munere sociali proprietatis privatae*]. Quia vero homo vi naturae suae in societate vivat oportet, vario quidem ligamine et gradu consociatus, et quia ius primordiale et universale rebus utendi cuique necessariis, suam vim exercere non cessat, ideo ius proprietatis privatae finalitatem quoque socialem ex ipso ordine naturali continet: quo fit ut libertas cum debito ordine recte componatur, et usus bonorum ad communem utilitatem ordinetur. In usu ergo bonorum temporalium, et maxime bonorum productionis, proprietarii ita se habeant ut non solum necessitatum propriarum suaeque familiae rationem teneant, sed etiam ut communi omnium utilitati contribuant.[9]

Insuper homo facile de rebus suis aliis communicet oportet in necessitate, ut monet Apostolus,[10] et Ecclesia continuo docuit.[11] Neque arbitrio relinquuntur illa bona quibus ad vitam convenienter atque decore sustentandam non eget dives, sed ahibenda sunt ut hominum necessitatibus subveniatur.

Exigit autem societatis bonum, ut ius proprietatis non tantum ab individuis exerceatur, sed etiam a communitatibus intermediis.

15. [*Diffundenda proprietas privata*]. Parum est statuere, ius esse homini a natura datum, res nempe privatim ut suas possidendi, easque etiam quae ad bona gignenda valeant, nisi pariter omni contentione proprietas privata per omnes civium ordines propagetur. Quapropter vitam oeconomicam ita temperare conentur omnes, ut facilior fiat et quam latissime pateat aditus ad privatim possidenda bona, imprimis haud statim peritura, quippe quae etiam velut spatium vitale familiae constituunt.[12]

Quibus praemissis, iam ad singulos numeros:

Ad num. 12 [ante ultimam pericopem num. 12]

Desiderat Em.mus Card. Confalonieri ut dicantur quaedam de recto usu proprietatis. Providebitur num. 14.

Reapse, ut notat Em.mus Card. Frings, secundum S. Thomam et plures alios, ius proprietatis est ius naturae secundarium vel, ut alio modo dicitur, ius gentium. Id autem secundum eosdem immediate deducitur ex principiis rationis practicae, ut v. g. unitas matrimonii. Imo, ut patet ex historia V.T., tali modo ius proprietatis privatae facilius deducitur quam monogamia. Consequentia, ni fallor, apparet.

Ut tollatur eiusdem Em.mi Card. difficultas de *Ex.* 20, 15, ac si furtum esset raptus, qui est furtum patratum cum violentia, addidimus: « Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis... omnia quae illius sunt ». Si enim prohibetur mala intentione concupiscere eo magis furari.

Ad num. 13 [olim 12, lin. 1-30 et 14, lin. 24-30]

In hoc numero dantur argumenta ex natura personae humanae et eius familiae, et ut desiderat Em.mus Card. Browne, ratio habita est *Summae Theol.*, II-II, q. 62, a. 2.

Ne autem putetur agi de solis rusticis et opificibus, loco *laboris campum artemque colere*, legatur: «proprium laboris campum modumque determinare», quo tollitur aporia Em.mi Card. Jullien.

Ad. num. 14 [olim 14, except. lin. 24-25]

Em.mus Card. Liénart putat limitandum esse ius proprietatis, quia definitur: «ius utendi et abutendi». Necessaria esset illa limitatio, si ius abutendi haberet significationem moralem. Quod non est: significat enim: ius utendi usque ad consummationem. De malo usu autem agitur in num. [olim 15].

Ut tollatur obscuritas in verbis ab Em.mo Card. Browne male intellectis: *qua libertas cum debito ordine componitur*, Subcommissio legendum proponit: quo fit, ut libertas cum debito ordine recte componatur, et usus bonorum ad communem utilitatem ordinetur.

Ad verba in fine numeri notandum est ad voces: *arbitrio relinquuntur* non addendum esse *puro*, ut desiderat Card. Browne: Vox enim *arbitrio* per se habet sensum cuiusdam inordinationis.

Ad num. 16 [olim 15]

Non sunt observationes. Unice notandum est mutari numerum notarum: 12-14 fiant 13-15.

Ad num. 17 [olim 16]

Verba ultima de persona humana, non sunt mera repetitio eorum, quae dicuntur in num. 1. Sed omnia reducuntur ad suum principium sociologicum ultimum. Sic videtur occurri difficultati Em.mi Card. Ferretto. In ultima linea nota 15 fit 16.

Ad notas

De novo ordinandae sunt ob transpositiones in textu. Addatur nota nova (7) de II-II, q. 66, a. 2. In nota (4) [olim (7)] addatur: *Act.* 5, 3-4: «Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto...? Nonne manens tibi manebat et venumdatum in tua erat potestate?» Ex hoc textu apparet sensus *Act.* 4, 32.

Ad cap. 3: *De indole laboris humani*

Ad observationem saepius repetitam Em.mi Card. Browne: num materia, licet recta et bona, sit res Concilii, responsum datum est in responsione ad Observationes generales.

Ad num. 18 [olim 17]

Recte desiderat Em.mus Card. Micara ut dicatur de ratione poenae. Quare addatur lin. 3 post verba *generis*:

habere quidem ob Adae primiparentis peccatum, indolem poenalem; attamen haud minus eumdem...

In textu sat clare enuntiatur quod labore fit completio creationis submissioque

mundi, sed ut clarius appareat eius indoles serviendi, addatur ad mentem Em.mi Card. Léger lin. 7 post vocem *fert*:

Est enim servitium quoddam commune, etiamsi non fit data opera in bonum familiae vel societatis...

Em.mus Card. Léger desiderat ut invitentur fideles ad laborandum in spiritu et mente christiana. Provisum est in obliquo lineis 13-24.

Ad num. 19 [olim 18]

Ad observationem Em.mi Card. Frings, observetur in S. Scriptura passim vituperari pigritiam et otiositatem. Contemplativi laborant. Pro multis religiosis exercitia spiritualia octo dierum, si bene fiunt, sunt labor durissimus totius anni.

Linea 26 iuxta placitum Em.mi Card. Browne legatur «ius et officium», ubi habetur: *universalem obligationem*.

Ut reducatur assertum ad debitas proportiones, ut volunt Em.mi Card. Browne et Léger, scribatur pag. 24, lin. 1 et 2 moderatius: «singuli homines, quantum fieri potest propriam professionem secundum aptitudines suas eligere et exercere...».

Non videtur addendum, cum Em.mo Card. Léger, quod illud ius individuale componendum est cum aliorum iure servando et quidem collective defendendo. Obscuratur enim textus: nec sunt necessaria.

Ad num. 20 [olim 19]

Nova recensio textus, proposita ab Em.mo Card. Léger: «Etsi... ratio habenda sit... tamen in quotidiano» non videtur lucida et non omni ex parte logica.

De feminis agitur in Constit. *de laicis*. Expedit tamen, ut dicatur de die dominica et quibusdam aliis suggestis ab Em.mis Cardd. Léger et Confalonieri, et legatur lin. 14: semper curandum est, ut dies Domini reapse sanctificetur, sensusque responsabilitatis foveatur; labor cum diligentia, assiduitate et sollicitudine praestetur.

De tempore otii non videtur dicendum. Est nimis particulare et providetur in Const. *de laicis*.

Ad num. 21 [olim 20]

Ut satisfiat desiderio Em.mi Card. Léger, legatur lin. 24-25: in praxim deducendam, nec minus ad bonum personale bonumque commune augendum, valde confert...

Ad num. 22 [olim 21]

Redactio negativa sententiae initialis desumpta est ex Encycl. *Mater et Magistra*.

Pag. 25, lin. 10, ut iure rogat Em.mus Card. Léger, ante *mutuum obsequium* scribatur: «ad iustitiae postulata».

Non videntur addenda de conscientia professionali, de actione syndicatuum et de conventione collectiva. Melius de eis agatur in Const. *de laicis*.

Ad notas

Addatur nova nota (4) de pigritia et otiositate in S. Scriptura. Consequenter notae (4)-(8) numerentur nunc (5)-(9).

Ad cap. 4: *De iusta laboris remuneratione*

Iure merito rogat Em.mus Card. Léger, ut in titulo dicatur *retributione*, non vero *remuneratione*, quippe quae plus includit quam retributio in suo conceptu.

Ad num. 23 [olim 22]

Errore typographico excidit respectus ad familiam, quem errorem notaverunt Em.mi Cardd. Frings et Léger. Quare addatur lin. 12 post *degendam*: «et ad familiae onera convenienter ferenda».

Verba lin. 12-15 videntur Em.mo Card. Léger nimis generalia: non autem expedit in Constitutione doctrinali ad particularia ascendere. Quod autem ad lin. 17-22 spectat, quae videntur vel nimia vel non satis, ea sunt desumpta ex Encycl. *Mater et Magistra* et nullo modo sunt intricata.

Ad num. 24 [olim 23]

Linea 28 legatur, ut exoptat Card. Léger, «societate civili» loco *republica* et linea 29 «partem unicuique congruam accipiant emolumentorum» loco: «aequa accipiant emolumenta».

Ad num. 25 [olim 24]

In hoc numero, laudato ab Em.mo Card. Browne, nihil videtur mutandum vel corrigendum. Nam de praevidentia et securitate longius agitur in Const. *de laicis* et ad Concilium non spectat, utpote extra suam competentiam, dirimere a quanam instantia erigenda sint hac in re instituta socialia.

Ad num. 25

Em.mo Card. Ferretto non placet quaedam codificatio operistitii. Quod facile intelligitur ex abusibus. Attamen ex altera parte operistitium potest esse, ubi alia media sunt exhausta, obligatio gravis moralis opificum, maximopere ob familias sibi a Deo concreditas. Expedit igitur ut ius operistitii non in dubium vocetur. Ex altera parte in textu clare et aperte agitur contra abusus et ius debite limitatur.

Ad mentem eiusdem Cardinalis lin. 10, ubi legitur *quaelibet*, scribatur: «apta idoneaque»; linea 11 post *sunt* addatur: «semper»; et lin. 12 loco *deficientibus* legatur: «non sufficientibus»: vox enim *deficere* ambigua est.

Ut idem Em.mus proponit, scribatur lin. 20-21 *mediis* loco *instrumentis*.

Ad notas

Ad notam (1) addi possunt *Lev.* 19, 13; *Tob.* 4, 15 et *Eccli.* 34, 27, quo loco fraudans mercenarium comparatur homicidae.

Ad cap. 5: *De agricultura et agricolis*

Hoc caput, quod ab Em.mo Card. Browne dicitur bonum, sed potius materia Encyclicae, certe desideratur a Summo Pontifice.

Ad num. 27 [olim 26]

Quia numerus dicitur nimis lyricus, nec textus videntur ad rem spectantes (ratio non videtur): Subcommissio putat incipiendum ab *Eccli.* 7, 16 et scribendum:

Quantopere Deus aestimet agriculturam, ipse Spiritus Sanctus testatur per Ecclesiasticum dicentem, rusticationem seu agrorum culturam conditam esse ab ipso Altissimo.[1]

Ob observationem factam ab Em.mo Card. Frings, omittantur ea quae dicuntur de Deo vicino, et scribatur:

In nullo enim *fere* labore homo tam *aperte* cum Deo collaborat... Linea 11 loco *qui* scribatur: «homo qui plantat atque rigat».

Ad num. 28 [olim 27]

Non videtur lyricismus huius numeri. Quaestio enim de fuga ex agris ad urbes est gravissima; problema vero de aequilibrio inter agriculturam et industriam fuit tractatum in ultimo congressu internationali agricolarum. Clare videtur distincta obligatio utriusque potestatis. Lin. 18 scribatur: *Ecclesiae Pastores*, utique Episcopi.

Addatur nota nova huius tenoris: (1) Cf. *Eccli.* 7, 16: «Non oderis... rusticationem creatam ab Altissimo: graece: μὴ μισήσῃς... γεωργίαν ὑπὸ Ὑψίστου ἐκτισμένην. Vide *Gen.* 2, 15. Rusticatio est vox adhibita ab auctoribus rei rusticae: Catone, Columella, etc.

Ad cap. 6: *De pace sociali tuenda*

Varii numeri huius capitis laudantur ab Em.mo Card. Browne ut boni et valde boni, sed rogat num expediat descriptio tam nigra, ut fit in initio. Videtur autem hac in re clare esse loquendum. Multi sunt qui hac in re praeferunt claudere oculos et crescit communismus.

Ad num. 29 [olim 28]

Lin. 1, in titulo, ad mentem Em.mi Card. Léger legatur: *oeconomice debilium* loco: *opificum.*

Lin. 7, scribatur, ut vult Em.mus Card. Ferretto; «accusavit et accusat».

Ad num. 30 [olim 29]

Ad mentem Em.mi Card. Léger incipiatur a sententia secunda scribendo sic: Inire consociationes ad iura laborantium defendenda, eorumdem emolumentum procurandum, simul quoque ad pacem socialem tuendam et socium laborem promovendum: ius esse hominibus a natura concessum, Ecclesia indesinenter declarat.[4] Pugnam autem...

Ad num. 31 [olim 30]

Ad mentem Em.mi Card. Léger scribatur lin. 24: *Praeterea* et non: *Etenim.*

Ad num. 32 [olim 31]

Em.mo Card. Léger non placet sancire vocem sociologicam «classis mediae». Accedit quod haud raro illa opponitur opificibus. Hodie autem, Deo gratias, in multis regionibus opifices iam non pertinent ad proletariatum, qui dicitur. Quare lin. 30 in titulo scribatur: «De prosperitate generali tuenda», et pag. 41, lin. 3 loco: *classis media* legatur: *coetus intermedii.*

Ad num. 33 [olim 32]

Quia numerus hic reapse, ut notat Em.mus Card. Léger, est nimis negativus et Encycl. *Mater et Magistra* suggerit additionem positivam, in hac materia delicatissima addatur, lin. 15: Potius enitendum est, ut quatenus temporum et locorum conditiones permittant, erigantur consociationes et collegia, quae principiis christianis imbuta, operam suam navent.[7]

Ad num. 34 [olim 33]

Certe numerus hic est retinendus in Constitutione doctrinali. Errore typographico omissa est nota (8). Addatur igitur in fine notarum: (8) Pius X, Litt. Encycl. *Singulari quadam*, 24 sept. 1912: A.A.S. 4 (1912), p. 660-661; Epist. S. C. Concilii ad Exc. D. Achilleum Liénart, Ep. Insulensem, 5 iun. 1929: A.A.S. 21 (1929), p. 500 sqq.

Ad cap. 7: *De relatione inter rem publicam et oeconomiam*

Hoc caput modo peculiari laudatur ab Em.mo Card. Browne; Em.mus autem Léger illud putat summi momenti, sed nimis breve: quod omnino concedendum esset, si ageretur de *Codice Sociali* componendo.

Ad num. 35 [olim 34]

Claritatis causa, lin. 5, in initio, scribatur: « sive *quod* cum aliis ».

Quia Em.mo Card. Browne non placet illud: *secundum collaborationis principium*, scribatur: « cum aliis collaborare ».

Ad num. 36 [olim 35]

Non sunt observationes, nisi quod ab Em.mo Card. Browne numerus dicatur optimus atque summi momenti. Clare apparet in fine scopus huius numeri: Pax videlicet, etiam Ecclesiae pernecessaria.

Addendum

Licet Summus Pontifex compositionem huius Schematis commiserit Commissioni praeparatoriae theologicae, minime tamen existimandum est in Subcommissione de re sociali solos fuisse theologos. Praevalebant omnino sociologi ex sex diversis nationibus: quorum plures famae internationalis, omnes autem in doctrina Encycl. *Mater et Magistra* ob varias rationes optime versati.

Nec capita conscripta sunt sine discussionibus sat acribus: repraesentabant enim membra Subcommissionis tendentias sociales varias; et non nisi paulatim perventum est ad concordiam, maxime in primis capitibus.

Et haec sufficere videntur. Scripsi diebus 29 et 30 septembris, instante S. Concilio.*

SEBASTIANUS TROMP S.J., *secr.*

---

* Schema emendatum constitutionis doctrinalis de ordine sociali typis editum est in *Schemata constitutionum et decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur. Series Tertia*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 5-44.

5

RESPONSIO

subcommissionis theologicae revisoriae
ad observationes a Patribus factas quoad schema constitutionis doctrinalis

DE COMMUNITATE GENTIUM*

Ad obiectiones generales

1. Abbreviatio, ut desiderat Em.mus Card. Copello, et minus instanter Em.mus Card. Micara, non est commendanda. Secum ferret modum loquendi magis scholasticum, noceret claritati, et dictioni pastorali.

2. Non adhibetur modus loquendi scholae, sed rectius modus loquendi RR. Pontificum.

3. Dum Em.mus Card. Frings existimat abstinendum a quaestionibus diei, Em.mus Card. Léger e contra putat constitutionem saepius esse nimis generalem. Subcommissio autem putat nec unum nec alterum accidisse, sed Constitutionem attingere tunc solum actualia, si spectant ad omnia tempora.

4. Linguam latinam, cursum, interpunctionem, post omnes emendationes factas, debite curabit latinista.

5. Quod ad observationem fundamentalem attinet Em.mi Card. Léger, notandum est in Constitutione nec exclusive agi de ordine condito, nec exclusive de ordine condendo, sed in eadem statui, quomodo, missis accidentalibus temporis et loci, relatio populorum inter se esse debeat.

6. Relate ad instabilitatem terminologiae, quam notavit Em.mus Card. Léger, Subcommissio statuit, ut, ubi agitur de re condenda, dicatur: *Communitas*, ubi vero de re iam organice condita: *Societas*. Evitabitur quantum fieri potest vox *Civitas* vel *Status*. Sed etiam in terminologia non requiritur talis consequentia, ut excludatur libertas recedendi, ubi in contextu sensus patet.

Haec videntur sufficere: videri etiam potest responsio ad obiectiones generales circa Constitutionem *de Ordine Sociali*,** de qua propositae fuerunt animadversiones analogae.

---

* Cf. pp. 570-579.
** Cf. pp. 580-581.

Ad singula capita et paragraphos

Ad cap. 1: *De fundamento morali Communitatis gentium*

Ad num. 1

Ut desiderant Em.mi Cardd. Léger et Suenens, lin. 2 omittentur verba de gravibus scissionibus in mundo exsistentibus et legendum proponitur: ultimum fundamentum consortii humani perscrutans.

Non videntur omittenda verba de monogenismo, ut rogant Em.mi Cardd. Jullien et Frings. Maneat res aperta, et attendatur decisio hac in re facienda, quando tractabitur Schema *de deposito fidei pure custodiendo*.

Em.mus Card. Léger videtur opinari non satis dictum esse de fundamento naturali. Ut clarius appareat agi de utroque fundamento, naturali et supernaturali, Subcommissio revisoria proponit, ut linea 17 loco: *Itemque* legatur paululum longius: «Eamdem unitatem ratio quoque humana docet»; et per consequens legendum est lin. 22: *ultimum finem*, ubi nunc habetur: *supernum finem*.

Ad mentem Em.mi Card. Ferretto scribatur lin. 20-21: «unum ob opes naturales quibus» loco: *cuius opibus*.

Ut etiam dicatur, secundum optata Em.mi Card. Léger, de diversitate populorum, legatur lin. 28: quapropter, non obstante diversitate stirpium et nationum, huic naturali unitati generis... et linea 31 in fine haec verba addantur:

Immo, ne illa diversitate unitas periclitetur, ordo ille vel magis postulatur.

Ad num. 2

Em.mus Card. Browne putat desiderari claritatem, et ob illam deficientiam Em.mus Card. Léger scripta non intellexit. Non agitur de ratione, cur populi condere debeant societatem civilem, sed de ratione cur *plures easque diversas* condiderint. Hac de causa: lin. 3 legatur: «tamen populi» addito *tamen*.

Lin. 4-5 tollantur verba «inclinatione... propulsi». Hoc loco enim potius obscurant ideam centralem.

Lin. 5 loco: *in singulis* legatur: *in diversis*.

Lin. 7 loco: *debent* scribatur: debuerunt.

Lin. 9 tollatur et legatur: in varios populorum coetus sese congregare. Communitatis *autem* gentium est ...

Ad num. 3

Secundum principia supra statuta lin. 19-20 maneat vox: *Communitas*.

Lin. 23 scribatur ad mentem Em.mi Card. Léger non: *attributione*, sed rectius: agnitione.

Ut tollatur difficultas mota ab eodem scribatur lin. 24: «et ordinis internationalis singulis societatibus politicis externi, cum iusta».

Ad cap. 2: Titulus sic reformetur
De Communitate internationali sub auctoritate humana construenda

Ad num. 4

Nihil videtur mutandum esse.

Ad num. 5

Lin. 10 legatur, ut proponit Em.mus Card. Léger: «*De efficacitate structurae et de fine Communitatis Internationalis*».

Non videtur accedendum ad votum Em.mi Card. Browne expungendi videlicet lin. 15 verba: «inhibere iniustam aggressionem» et eius loco lin. 14 scribendi: «promovendi *ac tuendi* pacem». Nimis enim debilitatur id quod necessario videtur dicendum.

Proponit Em.mus Card. Confalonieri, ut lin. 14-15, ubi quaestio est de cooperatione in re politica, oeconomica, sociali, culturali, etiam cum quadam restrictione addatur vox: *religiosa*. Quia res est nimis delicata Subcommissio Revisoria proponit addendum: *morali*, l. 17.

Ad num. 6

Secundum antea dicta maneat vox *Communitas* sed lin. 24 pro verbis: «cum debita coordinatione dirigat» scribatur brevius: «debite coordinet», ut proponit Em.mus Card. Browne.

Ad num. 7

Lin. 27 scribatur *Societatis* loco *Communitatis*.

Em.mus Card. Browne proponit ut lin. 28 in fine inseratur: «omni iusta proportione servata». Hoc esset omnino addendum, si ageretur de iuribus et officiis *positivis*. Agitur autem de *fundamentalibus*. Quare Subcommissio proponit claritatis causa scribere lin. 28: «iuribus et officiis *fundamentalibus*».

Quia lin. 5-10 carent claritate debita, ut observavit idem Em.mus, lin. 4 loco *Insuper* legatur: «Idem insuper requiritur».

Lin. 8-9 loco: *in consortium divitiarum*, quod non placet Em.mis Card.libus Léger et Browne, legatur, ut proposuit ultimus: «in consortium oeconomiae bonorum».

Ad num. 8

Em.mus Card. Browne vult ut numerus revideatur.

Lin. 13 loco *Communitatis* scribatur: *Societatis*.

De sensu verborum: *ordinis interni*, supra dictum est ad n. 3. Clarum est illo ordine interno minime in discrimem vocari ordinem internationalem, ut timet Em.mus Card. Léger.

Impressio, quam habet Em.mus Card. Browne, ac si omnes religiones dicantur aequales, provenit ex eo quod in fine sententiae lin. 18 interpunctio est defectuosa. Ut tollatur omnis ambiguitas, scribatur ibidem: «religionis atque cultus, in eadem servetur et promoveatur».

Ut satisfiat votis Em.mi Card. Jullien, limitandi vid. debito modo omnia ea quae se-

quuntur, scribatur lin. 23: « et internationali, *servatis utique legitimis exigentiis veritatis bonique communis*, propriis fruatur ».

Lin. 26 scribatur, ut vult Em.mus Card. Browne, *ius colendi*, expuncta voce *libere.*

Lin. 28 legatur: *bonaque* loco: bona.

Ut satisfiat desiderio Em.mi Card. Léger, legatur cum parvis modificationibus lin. 30-33: ius contrahendi matrimonium, constituendi vitam familiarem libereque educandi filios; *ius laborandi* seque consociandi ad honestos fines assequendos.

Ad cap. 3: Legatur in titulo: *De Societatum politicarum iuribus* e. q. s.

Ad num. 9

Lin. 1 loco *Civitatum*, dicatur *Societatum politicarum.*

Ad num. 10

Lin. 10 in titulo legatur: *Societatum politicarum* loco: *Reipublicae.*

Verum est, ut ait Em.mus Card. Léger, hodie in nullo Statu procurari posse totum bonum commune: sed hac de causa diminuitur non *sovranità*, sed *autarkia*, quod non est idem.

Ad num. 11

Lin. 22 titulus legatur: « *Praecipua Societatum politicarum iura in Societate Internationali* ».

Lin. 25 loco *independentiam* non est legendum: *autonomiam.* Nam dum *autonomia* significat non esse subiectum iuridice et oeconomice relate ad alios status, *independentia* dicit respectum ad Societatem gentium, quippe cuius singuli Status non fiunt pars integralis.

Lin. 26 non est addendum, ut vult Em.mus Card. Browne, post *Civitatibus*: « a iure internationali agnitis ». Valet enim propositio de omni vera societate civili, etiam non agnita.

Lin. 28 *integritas* spectat praecise incolumitatem territorialem, nec opponi debet independentiae.

Pag. 15, lin. 1 scribatur: « habendi *secundum aequitatem* partem bonorum », ut vult Em.mus Card. Léger.

Lin. 3-4 non tolli possunt, ut exoptat Em.mus Card. Browne, verba « vel nimis habitatis »: cogites v. g. de China, et insula Java ubi sunt plus minusve 50.000.000 hominum!

Lin. 5 post *inventa* addi potuerit: « stratospherica et sideralia quoque ». Sic forsan satisfit desiderio Em.mi Card. Confalonieri.

Ad num. 12

In titulo legatur: *Societate* loco *Communitate.*

Lin. 2 claritatis causa scribatur: « Civitatum *ad invicem* relationes ».

Lin. 13-18 dictio negativa est tuta omnino; positiva crearet plures difficultates.

Ut proponit Em.mus Card. Browne, lin. 14 loco: *religionem* scribatur: « proprios mores homine dignos ».

Ad num. 13

Lin. 19 in titulo legatur: *De auxilio populis oeconomice et socialiter minus progressis praestando.*

Mens auxilii de quo in hoc numero exprimitur lin. 23-24, et sic satisfit desiderio Em.mi Card. Léger.

De fraternitate relate ad Patrem in Filio, de qua Em.mus Card. Léger, iam dictum est in num. 1.

Quod ad interrogationem Em.mi Card. Ferretto attinet, verum est S. Paulum non adhibuisse vocem *corpus sociale*; sed in Encyclica *Mystici Corporis* docetur secundum S. Paulum corpus Christi mysticum esse corpus sociale. Terminologia iam est S. Paulini Nolani.

Ad cap. 4: In titulo legatur in fine: *Societatis internationalis.*

Ad num. 14

Lin. 1 loco *Civitates* dicatur: *Societates politicae.*

Lin. 2 loco *Communitatis* scribatur: *Societatis.*

Lin. 5 loco *Civitates* legatur: *Societates politicae.*

Nullo modo in hoc capite supponitur vel insinuatur ordinem internationalem inniti contractibus libere susceptis, ut timet Em.mus Card. Léger.

Reapse lin. 7 voce *suprema potestas* significatur « sovranità », attamen debite limitata, ut habetur in ipso textu.

Ad num. 15

In hoc numero agitur de *nimio* studio suae gentis. Omne nimium autem vertitur in vitium, etiam si illud nimium invenitur in Africa vel America.

Em.mus Card. Browne putat lin. 20-24 nimium sapere scholam: sunt autem in litteris pontificiis. Sed minus rigide potest legi lin. 22-23: « sit vera virtus et quaedam caritatis pietatisque filialis significatio ».[3]

Ad num. 16

Lin. 24 in titulo legatur *Societatis* loco: *Communitatis.*

Voces *imperialismi, razzismi, totalitarismi* difficulter aliis substitui possunt, etsi, ut recte observat Card. Browne, non bene sonant.

Ad num. 17

Observat Em.mus Card. Léger problema magis accentuari quam solvi. Sed difficile solvitur manente semper peccato et quod magis est concupiscentia triplici.

Ad mentem Em.mi Card. Suenens verba ultimi numeri lin. 27-28 sic de novo redigi possunt: Adlaborent praeterea ad statuendum modum magis aptum inspectionis, ab organo internationali perficiendae; et huic inspectioni omnes societates politicae haec arma tenentes se subiiciant.

Videtur utile de hac re loqui, licet Em.mi Card. Micara et Browne dubitent.

Ad notam (6) addi possunt tria testimonia graviora: vid. Leonis XIII, Benedicti XV et Pii XI:

Leo XIII, Encycl. *Praeclara gratulationis*, 20 iun. 1894: A.A.S. 26 (1894), p. 714.

Benedictus XV, Adhortatio ad belligerentes, 1 aug. 1917: A.A.S. 9 (1917), p. 418.

Pius XI, Encycl. *Nova impendet*, 2 oct. 1931: A.A.S. 23 (1931), p. 295, ubi de minuendo apparatu bellico.

Ad cap. 5

In hoc quoque capite de defensione ordinis internationalis secundum Em.mum Card. Léger problema magis ponitur quam solvitur. Attamen multa positiva dicuntur, et manente triplici mala concupiscentia, problema numquam totaliter solvitur.

Ad num. 18

Lin. 8 Em.mus Card. Browne vult expungere verba: «si necesse est, etiam». Subcommissio Revisoria accedere nequit. Nec alius Em.mus sese opposuit.

Ad num. 19

Putat Em.mus Card. Frings confundi pacem, quam dat Christus et pacem internationalem. Minime, sed ex pace Christi a fortiori concluditur ad pacem internationalem.

Ad num. 20

Lin. 22 loco *Statuum* scribatur: *Societatum politicarum*; item lin. 26 loco *Statibus* legatur: *Societatibus politicis*.

Ad num. 21

Em.mi Cardd. Browne, Jullien, Frings, Micara potius eliminarent lin. 4-10 pag. 26. Notandum tamen, nullum ex Revisoribus dixisse haec verba non esse vera. Melius est, ut maneant. Nam totus mundus hac in re exspectat declarationem. Quoad formulam iudicent Patres Concilii.

Ad num. 22

Nil observatur.

Ad num. 23

Ab Em.mo Card. Browne hic numerus habetur magni momenti.

Ad mentem eiusdem Cardinalis legatur lin. 26-28: «Quapropter respectu Communitatis Internationalis Ecclesia ut Mater et Magistra gentium possibilitatem habere debet influxum suum moralem exercendi...».

Lin. 30 corrigatur error, ab Em.mo Card. Heard notatus. Loco *arduum* legatur: *arduis*.

Non clare videtur quomodo ea quae dicuntur in nota (3) p. 27 ab Em.mo Card. Jullien citari queant contra capitis 5 n. 21.*

Romae, diebus 6-7 m. oct. 1962.

SEBASTIANUS TROMP, S.J., *secr.*

---

* Schema emendatum constitutionis doctrinalis *De Communitate gentium* typis editum est in *Schemata constitutionum et decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur. Series Tertia*, Typis Polyglottis Vaticanis 1962, pp. 45-66.

INDEX

PAG.

SUBCOMMISSIONIS DE SCHEMATIBUS EMENDANDIS
SESSIONES VIII-XIV

DOCUMENTA

1. Schema decreti de sacramento ordinis

2. Schema decreti de sacerdotibus lapsis

3. Schema decreti: Necessitas orationis pro unitate christianorum maxime temporibus nostris

4. Schema decreti pastoralis de Verbo Dei

5. Decretum de oecumenismo catholico (Decretum pastorale)